












[C/

This Book has another t[itle]
page - i.e

Preces
Canonicae
Juxta Ordinem ecclesiastic[ae]
distributae



M. DCC. LXXXVII.

(in Parte Hiemali
[Th]e Word "Synopsis" (sc. Brev. Cong. S. Mauri)
is changed to "Monitum" throughout
all the 4 vols. of Prec. Can.

[illegible] Pars Hiem. Prec. Can. has the usual
[M]onitum but the Partis Hiemalis Argum[ent]
quite different from this. Pars Hiem. of
[illegible] Brev.
Regulae Generales are prefixed to the
Pars Hiem. Prec. Canon. but
to the Autumnale of the Breviary

W.I,B.

I fancy that after the Editing & printing of this vol. – the compilers modified their plan – in some particulars: thus the Prec. Canon. Mass [illegible] represents what w[oul]d have been their alteration of the Pars [illegible] Prec. Benc. had another impression been called for. the other 3 [illegible] i.e. Vom. Ord. & Autumn agree in Prec Benc. & Prec. Can.

BREVIARIUM

AD USUM CONGREGATIONIS SANCTI MAURI,

ORDINIS SANCTI BENEDICTI, IN GALLIA.

PARS HIEMALIS.



PARISIIS,

Ex Typographiâ PH.-D. PIERRES, Christianissimi Regis Proto-Typographi, nec-non Congregationis S. Mauri Typographi Ordinarii.

M. DCC. LXXXVII.

Cum Privilegio Regis, & Licentiâ Superiorum.



SYNOPSIS.

NEMO nescit quantùm, à primoribus Ecclesiæ sæculis, studii ac laboris impenderint ii quibus divini cultûs instituendi munus obtigit, ut sua constaret publicis Officiis puritas & integritas; eaque accederet etiam concinnitas, quæ ad Cleri plebisque pietatem alendam, erudiendam fidem, fervorem accendendum, maximè conduceret.

Hujusce spiritûs, in Ecclesiâ perenniter vigentis, nunquàm immemor Congregatio sancti Mauri, exquisitiorem Officiorum formam jamdudùm expetebat. Hujus votis & mandato, nunc tandem Breviarium novum, ad normam San-Vitoniani expressum, sistimus.

In quibus autem utrumque Breviarium consentiat; quæ verò huic nostro peculiaria inserta sint, hìc paucis est indicandum.

Amica, inquit S. Cyprianus, & familiaris est oratio Deum de suo rogare. Ideò ex puris Scripturarum fontibus cùm sint à nobis hausta omnia, uberrimo fluxu decurrunt: verùm, ut ab illâ, quam Tertullianus appellat *Cædem Scripturarum*, abstineremus, cautio maxima fuit ne in prolixioribus Responsoriis, alia, præter eam, adhiberetur utriusque Testamenti connexio, quàm quæ spontè sese obtulit, neque per vim fuit accersenda, aut à genuino sensu, verborum quasi lusibus, detorquenda.

Lectiones è sacris Codicibus excerptas ita disposuimus, ut per anni curriculum ad Vigilias, præcipuæ Librorum veteris Testamenti partes legantur, & Novum ferè integrum, in tertio præsertim Nocturno, ex Regulæ præscripto, servatâ communi huc-usque, in Officiis, Librorum annuâ partitione, recitetur. Quâ in re id solum proprium nobis ac singulare est, quòd intra Quadragesimam, Librum *Job* legendum statuimus; neque immeritò: quippè, ut testantur sancti Pa-

tres, atque imprimis S. Gregorius magnus, quem secuti sunt præstantissimi Scripturæ Interpretes, Christi patientis, imò & Ecclesiæ typus fuit Job, & Propheta.

Ut Fidei depositum, quod apertis quibusdam veluti scriniis ibi continetur, recitantium oculis & mentibus jugiter obversetur, Lectionibus è sacrâ Scripturâ depromptis, congruentes è sanctis Patribus, in secundo Nocturno Lectiones, & unoquoque privato aut feriali die, tertiam apposuimus; quo fit ut, collatâ divinorum Eloquiorum & Ecclesiasticæ Traditionis autoritate, Religionis probetur veritas, sanctitas effulgeat, necessitasque demonstretur; quantùm nimirùm, per angustos operis terminos, licet. Nempè ex copioso purioris aquæ flumine rivulus emanans, ad ipsum fontem sitientes recurrere compellit.

Singulis quibusque diebus ad Primam, unum affiximus è Canonibus authenticis, quibus publicâ & intemeratâ Conciliorum sanctione firmatur, quod privatim à sanctis Doctoribus traditum est.

Sanctorum quas vocant *Legendas*, non temerè ac sine delectu congessimus: sed quas severioris Criticæ leges probant, & quibus pietas ad æmulandum provocatur, eas tantùm adhibemus. In exempla præsto sint inter cætera, S. Cyrilli Hierosolymitani, & Africanorum Martyrum Acta, quorum hæc posteriora toto orbe vulgatum prædicant miraculum, quo Verbi Divini CONSUBSTANTIALITAS mirificè comprobatur; illa autem priora stupendum hoc exhibent prodigium, quo Julianus Imperator à reædificando Salomonis templo repulsus fuit, ut ipse testatur Ammianus Marcellinus, per flammarum globos propè fundamenta crebris assultibus erumpentes (*).

Eadem, in secernendis ad usus nostros tum veteribus, tum novis Hymnis, cura nobis fuit, ut quos sublimitas sensûs, styli nitor, vividioresque in Deum affectus movendi vis potissimè commendant, cæteris

(*) 12 Aug. & 10 Octob.

anteponeremus. *Doxologias* verò, ne iisdem verbis in Hymnis ejusdem rythmi semper repetitæ minùs afficerent, variare, atque ornare, pro virili, studuimus.

Nec desunt exquisitissimæ Precum formulæ, seu *Collectæ*, ex priscis novisque, ac melioris notæ *Sacramentariis* & *Breviariis*, selectæ. In his maximè elucet percelebre illud S. Apostolicæ Romanæ Sedis effatum: LEGEM CREDENDI LEX STATUAT SUPPLICANDI.

Regulæ sancti Patris nostri Benedicti consonat omnis omnino, ut par est, Officii nostri Ratio; Triduo tamen ante Pascha excepto, in quo, à pervetustâ *Romanæ Ecclesiæ*, Congregationis nostræ, totiusque *Benedictini* Ordinis consuetudine, recedere nefas duximus.

Ne plus æquo cresceret festivitatum numerus, non alia visum est admittere duodecim Lectionum officia, præter ea quæ sancivit usu suo Catholica Ecclesia, aut universus Ordo noster, salvis nihilominùs Monasterii cujusque consuetudinibus ac juribus. Cætera tribus Lectionibus, inter utrumque Nocturnum, sub ritu simplici continentur.

Psalmorum distributionem, ut meliùs Gallicanis usibus consentiret, magis ad Regulæ mentem quàm ad ipsius apices exegimus. Quòd si cui molestiam afferat hæc novitas, is nôrit ipsum S. Legislatorem nostrum, quod hâc in re constituit, aliorum voluntati sub unâ, quam explicat, conditione permittere. « Si » cui, inquit, hæc distributio displicuerit, ordinet, si » meliùs judicaverit, dum omnimodis attendatur, » ut omni hebdomadâ, ex integro numero centum » quinquaginta Psalmorum psallatur, & Dominico » die semper à capite repetatur ad vigilias. » *Regula Cap. XVIII.*

Eâdem usi licentiâ, in feriis æstivalibus, pro unâ, quam præscribit, brevemque Lectionem appellat S. P. Benedictus, tres suffecimus ad nocturnum officium. Id postulabat scilicet grandis illa documentorum series

quibus inſpergere Breviarium ſategimus; quâ in re duces & magiſtros habuimus viros in Scripturis ſacris, doctrinâ Patrum & Eccleſiæ Traditione verſatiſſimos, Liturgiæ San-Vitonianæ Editores, quorum ad exemplar ſeriem illam contexuimus. Hanc illam primi, non modico labore, viam aperuerunt, neque exſpectationem infauſto exitu decepit experientia.

De conſenſione Breviarii noſtri cum Regulâ S. Patris noſtri Benedicti plura dicere ſupervacaneum eſt. Ad cætera pergamus.

Suus cuilibet hebdomadæ diei finis, & pietati quaſi ſcopus adſignatur divinorum operum varietate diſtinctus, eo modo quo *in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum.*

Dominica dies, Deo creanti & Chriſto reſurgenti dicata, Legis inſuper novæ promulgationem recolens, uberem divinæ bonitati gratias agendi, & cum Salvatore exultandi materiem ſuppeditat. Feria ſecunda, Dei erga homines immenſam celebrat caritatem, quâ præſertim nos per Unigenitum ſuum filios adoptare dignatus eſt, naturæque divinæ conſortes efficere. Feriâ tertiâ, Proximi dilectio præceptis commendatur & exemplis Chriſti, qui pacis & concordiæ magiſter, docet nos unitatem, & *habitare facit unanimes in domo.* Feriâ quartâ, Spes in Chriſtum roboratur, *per quem acceſſum habemus ad Deum.* Feriâ quintâ, Fides, quam alit verus ille, quo paſcimur, vitæ panis, celebratur. Feriâ ſextâ, Chriſtus in cruce Patri pro ſalute generis humani, quia ipſe voluit, oblatus, invictæ patientiæ documentum præbet, & immenſæ caritatis argumentum, ipſe noſter in laboribus & ærumnis adjutor fortis. Sabbato, ad promerendam mercedem, bonis operibus adſertam, excitamur; & ſic perpetuam Eccleſiæ, Chriſti ſponſæ, in cœlis pacem, in hâc noſtrâ peregrinatione, ſuſpiriis & deſideriis, jam prælibamus.

In divinis laudibus, primum ſibi locum vindicant ſacra illa Cantica quæ, à Pſalterio quo modulabatur illa David, *Pſalmi* nuncupantur. Hos autem, quamvis

ad Vulgatam editionem ex Ecclesiæ usu edere, ut par est, curaverimus, perpaucos tamen versiculos in hâc editione subobscuros, verbis tantisper immutatis, ad clariorem Textûs genuini sensum revocare (salvâ Tridentino Concilio debitâ reverentiâ) agressus est (*) Vir de Re-Christianâ optimè meritus, Laurentius-Stephanus Rondet, sacrarum Litterarum Interpres. Atque ut de his neminem lateret, neque nos quisquam sacrilegæ sacri contextûs adulterationis criminaretur, ex his saltem præcipuos parenthesi consignavimus.

Insuper, hanc vocem DOMINUS, litteris, ut Typographi vocant, *Capitalibus*, in Psalterii decursu excudendam curavit idem, quoties præcelsum, ineffabile, & incommutabile IEOVAH Dei omnipotentis Hebræum nomen sermo Latinus exprimit.

Cæterùm, ad Psalmos quod pertinet, in his Christum & Ecclesiam prædicari, loqui & orare, quisquis non animadverterit, germanum Psalmistæ sensum se neutiquam assecutum esse pro certo habeat: vix enim in iis, nisi utrinsque & verba & voces invenias. Ergo ad Christi & Ecclesiæ mentem, psalmodiam nos instituere par est, si aliquem ex eâ fructum percipere velimus.

Nec quemquam moveant maledicta quibus inimicos suos consectatur Psalmista Regius; vaticinia namque sunt ista, ut fert primigenius ipse textus, malorum Christi & Ecclesiæ hostibus impendentium, ob inflexam eorum pervicaciam, non vota, à quibus quàm alienus fuerit vir mansuetissimus sexcentis in locis declarat, & totius vitæ series testatur. Insidiantem vitæ suæ regem Saülem quo pacto ultus est! Quibus gemitibus ac suspiriis mortem ejus prosecutus est! Semei conviciantem sibi, dum fugeret à facie Absalonis filii sui, quâ lenitate sustinuit! Ipso

---

(*) Agressus quidem est Vir doctissimus, sed non nisi in paucissimis vocabulis executus est, ne fortè hæc omnibus non arrideret immutatio. Hanc ergo in posterâ Editione notis marginalibus consignandam esse, salvâ in Breviarii contextu, ut par est, *Vulgatæ* Editionis integritate, meliùs judicavimus.

cum Absalone, non modò thronum suum appetente; sed necem quoque ipsi moliente, quàm pio ac demisso animo se gessit! Cum ipso coactus prælium committere, quàm sollicitè duces suos, ut incolumis servaretur, exoravit! Cæsum victor cùm audisset, quàm paterno affectu deflevit! Davidis itaque Psalmos, ex sensibus quos in vitâ expressit, interpretemur; ac ritè intellectos, eâdem cum ipso mente decantemus.

Hanc denique sibi regulam imprimis constitutam esse sciant qui divino incumbunt operi, ut animus voci consonet, vocisque sensui sese accommodet. Si orat Psalmus, orate; si gemit, gemite; si gratulatur, gaudete; si sperat, sperate; & si timet, timete. Qui psallunt, *psallant spiritu, psallant & mente*, nunquam immemores quales esse se deceat coram Deo & Angelis ejus; solos enim *rectos decet collaudatio*. Cogitent aut malè & non sine pecato, aut, quod idem est, non orari omnino, nisi mens voci consentiat. A publicâ privatam orationem, & ab utrâque Dominicæ legis investigationem non disjungant, ut in eâ indesinenter sit ipsorum voluntas. Sedulò perpendant, neque coli Deum nisi amando, neque amari, nisi à quibus colitur: vera enim adoratio in spiritu & veritate consistit. In spiritu quidem adorant, qui non labiis tantùm, sed ex intimo cordis affectu Deum colunt; in veritate, qui exteriore Cultu & piis operibus, veracem mentis affectum testantur & exprimunt. Perfecta igitur adoratio est, cùm animâ simul & corpore, divino obsequio mancipamur.

Sic in æternum, nos olim fuisse miseros nescituri, ut ait S. Augustinus, in laudem & gloriam Gratiæ Christi, cujus sanguine liberati sumus, misericordias Domini cantabimus, cùm perficietur in nobis Propheticum illud: *Vacate & videte quoniam ipse est Deus.* Tunc enim benedictione & sanctificatione refecti in æternâ Civitate videbimus, quoniam ipse est Deus, quo pleni erimus, quando ipse erit omnia in omnibus. Videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus; ecce quod erit in fine sine fine.

Atque hæc quidem de Breviarii quasi materiâ & formâ. Nunc præcipua quæ in eo tractantur doctrinæ Christianæ capita, servato eo, quo diversis anni Temribus, Solemnitatibus & Festivitatibus, ordine sunt accommodata, summatim recolamus: quâ in re facem nobis præferet San-Vitonianum Specimen, copiosâ brevitate multa complexum (*).

PARTIS HIEMALIS ARGUMENTUM.

Homo ad imaginem similitudinis Dei factus est; ab illo quippe intelligentiâ ac voluntate bonâ, id est, justitiâ, præditus est. Fecit enim eum Deus rectum, & reliquit eum in manu consilii sui; *antè eum vita & mors, bonum & malum erat, quod placuerit ei dabitur illi.* Ex quibus, humanæ voluntatis quæ esset integritas & sanitas, quantâque facilitate in bono stare posset, si vellet, apertè declaratur.

Totum ergo se reddere Deo, cujus imago erat, justâ & indeclinabili lege tenebatur; quin, & supremo illius dominio fidissimum exhibere honorem, majestatique ejus conditionis suæ dignitatem famulam facere jubebatur. In eo autem cùm in honore esset, non intellexit, ac per superbiam & inobedientiam, in Auctorem Benefactoremque suum ingratus rebellavit; principium namque omnis peccati superbia, & initium superbiæ hominis est apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus. Per hoc, acceptam à Deo sanctitatem & justitiam perdidit; aversus à Deo, unà simul à lege, & cultu ejus ac ab amore descivit.

Cecidit homo injustus & miser ab excelso loco illo in ima profundi, eoque casu omnes omninò ho-

(*) Hanc nostram Synopsim, ex S. Scripturâ, & ex SS. Patrum & Conciliorum ipsissimis verbis compactam, cuique Breviarii volumini, per partes tamen, & compendiosiori modo distributam, præfiximus.

mines ceciderunt. *Sicut* enim *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ingens profectò atque ineffabile peccatum, quandoquidem in Adam omnes moriuntur. *Quam* verò *incomprehensibilia sunt judicia Dei, & investigabiles viæ ejus!* (1)

Omnes itaque homines in primo homine, ait Leo Magnus, sine vitio conditi sumus, & omnes naturæ nostræ incolumitatem, ejusdem hominis prævaricatione, perdidimus, *in quo* siquidem *omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Inde tracta animi corporisque mortalitas, nec non minor miseriarum multitudo quàm criminum. His atque aliis malis, in humanam naturam irruentibus, nemo in se undè repararetur invenit. Neque enim naturæ suæ viribus, neque per inanem philosophorum sapientiam, neque etiam per legis Mosaïcæ Litteram, se ipsum homo, lethali vulnere sauciatus, reparare poterat. Quia, etsi fuerunt qui, naturali intellectu, aut acquisitâ scientiâ, conati sint, aut vitiis reluctari, aut virtutibus inservire, eorum illa temporis vitam steriliter ornârunt: ad veras autem virtutes, æternamque beatitudinem, non profecerunt. Sine cultu enim Dei, ait Autor libri *De vocatione omnium gentium*, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere ullus Deo, sine Deo, potest.

Ad perniciem igitur ineluctabilem præceps devolvebatur homo. Ad eum verò liberandum Filius ipse Dei, ab ipso peccati exordio, protoparentibus nostris promissus est, rerum ac verborum figuris prænuntiatus, per omnem Veteris Testamenti cultum & cæremonias typis adumbratus, atque per Prophetias omnes à sæculis repromissus. At ubi venit plenitudo temporis, præscripto per Prophetas tempore, misit Deus Salvatorem illum, in quo, à con-

(1) Hebdom. I. Adventûs, & Hebdom. Septuagesimæ.

stitutione mundi, semper est universitas justificata Sanctorum (2).

Inanem proindè esse Judæorum, Messiam adhuc expectantium, spem ac fiduciam, quàm multa & invictissima comprobant argumenta! Hoc illis saltem sufficiat, quòd à decem & octo sæculis corruit solo æquatum Hierosolymitanum illud templum, de quo dixerat Aggæus Propheta: *Veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ: magna erit gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ.* Projectus est locus sanctificationis Dei; defecit templi juge sacrificium; sacra conticuerunt Oracula; illis jam non est Propheta; jam dudum ablatum est sceptrum de Juda. Qui mittendus erat, & qui erat *Expectatio gentium*, non in Judæâ notus tantùm, non in Israel solùm magnum nomen ejus; prædicatum enim est Evangelium omni creaturæ: *Notum* autem *fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam, & viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Quid multa? Hujus ergo Messiæ adventûs nihil est quod fidem, etiam incredulis, non adstruat (3).

Jam verò, exultantibus animis, Redemptionis nostræ insigne ac mirabile opus pleniùs intueamur. Obstrictus homo peccati debito, peccati reus, servus peccati, delicto mortuus, neque per seipsum, neque per Angelum, neque per aliud quid creatum redimi poterat; sed & pretium redemptionis animæ suæ solvere nequibat, aut dare Deo placationem suam. Necesse igitur erat ut hominem, fidelis Deus, ipse qui repromiserat, liberaret ac pro eo solveret. Deus autem, inviolabili naturâ suâ, pati nescius, expiando peccato victima, non nisi in alienâ naturâ, erat idonea. *Deus ergo, qui dives est in misericordiâ, propter nimiam caritatem suam, quâ dilexit nos, non secundùm opera justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam magnam, salvos*

---

(2) Hebdom. II. Adventûs.

(3) Hebdom. III. Adventûs.

nos fecit, per Filium suum qui prædestinatus est in virtute secundùm spiritum sanctificationis (4).

Tandem *apparuit Gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus; Desiderium collium æternorum; Splendor gloriæ Dei, & Figura substantiæ ejus; qui, cùm in formâ Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo; pro similitudine absque peccato*, etiamsi *in similitudine carnis peccati. Cum hominibus conversatus est, cujus deliciæ esse cum filiis hominum.* VERBUM CARO FACTUM EST, *& habitavit in nobis, plenum gratiæ & veritatis*, ut ità gratia regnet per justitiam in vitam æternam. Misit itaque Deus Filium suum Unigenitum in mundum, æqualem sibi, sibi Consubstantialem, Deum ut ipse est, in quo sibi benè complacuit; divinam atque humanam in se naturam, utramque in genere suo perfectam, sub unâ eâdemque personâ complectentem; *debuit* enim *per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & repropitiaret delicta* nostra (5).

Nascitur proindè passibilis homo in tempore, non ex voluntate carnis, sed ex Deo, & integrâ Virgine, Spiritu Sancto superveniente in eam, & virtute Altissimi obumbrante illam. Ita etiam *per Christum maxima & pretiosa nobis promissa donavit Deus: ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ.* Agnoscat igitur Christianus dignitatem suam, ait Leo magnus, erigat spem suam, videatque quantum locum habeat in operibus Dei; reminiscatur cujus capitis sit membrum; & faciat secundùm exemplar quod sibi monstratum est (6).

Circumciditur Puer octavo die, simulque ei JESUS, id est Salvatoris, inditum est nomen, quod est super

(4) Hebdom. IV. Advent. & Nativ. B. Mariæ Virginis.

(5) Vig. Nat. Domini, Annunt. B. Mariæ. 25. Mart. & Conceptio 8. Decembr.

(6) Natalis Domini N. Jesu Christi, & diebus intra Octavam.

omnè nomen; non enim aliud est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri, & ipse est qui salvum facturus erat populum suum à peccatis eorum. Mosaïcam implendo legem, illam penitùs abrogat, in tantùm melioris testamenti Sponsor factus est Jesus. *Ecce Deus noster iste, sustinuimus eum, & salvabit nos; exultabimus, & lætabimur in salutari ejus* (7).

Cujus nativitatis gaudium magnum, primò Pastoribus, ab Angelis nuntiatum est, Judæis iterum Christus in templo fit manifestus, præcipuè autem justis illis qui *expectabant redemptionem Israel*; dum sese Deo Patri, Sacerdos & hostia, salutis nostræ victimam placationis offert (8).

Paulò post manifestus fit & Gentibus, dum à Magis gentilibus ab Oriente profectis adoratur, muneribusque colitur, ut Deus-Homo, Rex Gentium, & desiderium earum. Omnis autem turbatur Jerosolyma, tota congregatur Synagoga. Isti verò, proh dementia! proh cœca hominum ingratitudo! Salvatorem, salutemque ab eo allatam, minimè curant. Nôrunt equidem Prophetias, & ex Bethleem Judæ exiturum Ducem, qui regat populum Dei Israel; at certè inconsulti negligunt & parvipendunt (9).

Turbatur etiamnùm Synagoga, propter incredulitatem reprobata, *quia cæcitas contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret. Non* verò *Deus repulit plebem suam quam præscivit; sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur, potens est enim Deus iterum inserere illos; secundùm electionem autem carissimi sunt propter patres.* Quòd *si amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio, nisi* VITA EX MORTUIS? Christianum igitur, ait Tertullianus, de restitutione Judæi gaudere convenit, siquidem tota spes

(7) Circumcisio Dom. & usque ad Epiphaniam.

(8) Præsentatio Dom. 2. Feb.

(9) Epiph. Dom. & intra ejus Oct.

nostra cum reliquâ Israelis expectatione conjuncta est (10).

Magorum inquisitione Herodes perterritus, quærit infantem Jesum, vitæque ejus molitur insidias, atque ità eum in Ægyptum profugum ire compellit. Sic factum est, ut Veritas, quam Judæorum obcæcatio non recepit, Nationibus lumen suum invexerit (11). Reductus indè Jesus à parentibus in Judæam, post obitum Tyranni, in domo sponsi matris suæ, triginta propè annos, obscurè degit (12). Demùm evangelizandi munus à Patre, sibi impositum, accepto priùs à Joanne baptismate, Salvator auspicatur (13).

Porrò, in hâc alternâ Judæorum & Gentilium obcæcatione ac illuminatione, divinæ Prædestinationis ineffabile & inenodabile mysterium, missis humanæ sapientiæ argutiolis, admiremur necesse est; *miserebor*, ait Dominus, *cujus misereor, & misericordiam præstabo cujus miserebor*. Ita Jacob dilexit Deus, Esaü autem odio habuit, *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali*; quia, *non ex operibus, sed ex vocante Deo, ut secundùm electionem propositum Dei maneret* (14).

Eodem modo miranda est nobis Gratia Dei, quam nulla præcedunt merita, quæ verò meritorum nostrorum fons & origo est. Suum hæc illa, vi propriâ, sortitur effectum, hominis nullo modo libertatem tollens, sed sanans, adjuvans & fovens. Siquidem, ait Leo Magnus, operante Spiritu Dei, juvatur arbitrium, non aufertur; &, ad implenda Dei mandata, vires præbet efficacissimas voluntati, ut sæpè sæpiùs luculenter ait Augustinus; *Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bonâ voluntate* (15).

Et verò, Redemptor & Rex noster, Mediator

---

(10) Dominica intra Octav. Epiph. & Octav. Dedic. Eccles.
(11) Festiv. SS. Innocent.
(12) Fest. S. Joseph. 3 Febr.
(13) Octav. Epiphaniæ.
(14) Hebd. I. post Epiphaniam.
(15) Hebd. II. post Epiph.

Dei & hominum, Magister noster unus est Christus, quem nos audire, cuique credere jubet Deus. Magister autem ille, non verbo tantùm, sed etiam suâ nos intùs unctione docet & erudit, mundique istius, qui totus in maligno positus est, cum suis terroribus, & erroribus, & amoribus, victores effectos, transfert in suum regnum & gloriam. Facessant igitur falsæ omnes pseudo-dialecticorum doctrinæ, quibus decipere nos student, *per philosophiam & inanem fallaciam*. Omnia namque nos, quæ ad salutem pertinent & conducunt, Magister noster edocuit Christus; neque curiositate nobis opus est post ipsum, cujus in mysterio *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*. Toto igitur corde credamus in eum; id est, juxta divi Augustini sententiam: Credendo amemus, credendo diligamus, credendo in eum eamus. Hæc est certa fides, hæc salus vera, hoc fidei Christianæ meritum, sine quâ non est in nobis ad Patrem directio, siquidem *nemo venit ad Patrem nisi per Filium, non est in alio aliquo salus, & non est absque eo salvator* (16).

Sicut autem *in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur; & sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*. Fides igitur Christiana propriè consistit in causâ duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis; quorum primus de terrâ terrenus, secundus de cœlo cœlestis; quorum denique alter innocentiâ, in quâ conditus fuerat, peccando spoliatus, universam progeniem suam, ejusdem peccati hæredem, in suam ipsius perniciem attraxit; alter prioris culpam in nos transfusam abolevit, nosque à servitute Satanæ ereptos in adoptionem filiorum Dei transtulit.

Protoparentis peccatum illud, origine unum, pro-

(16) Hebd. III. IV. V. & VI. post Epiphaniam.

pagatione in posteros, non imitatione & exemplo, transfusum, omnibus inest, unicuique proprium est. Quae autem & quanta ex hoc corruptissimo fonte mala emanent, nemo nescit, nemo non experitur. Inclinatum scilicet & attenuatum liberum arbitrium, unde fit, ita Concilium definit Arausicanum, ut, in statu naturae corruptae, etiam deficiat homo ab hoc quod secundùm naturam suam potest, proinde indigeat auxilio Gratiae naturam sanantis; certa moriendi conditio, multiplex corporis animaeque corruptio, flagitiorum omnium parens Concupiscentia, carnis adversùs spiritum indefessa colluctatio, ignorantia demum & difficultas, queîs omnibus solus medetur Christus Salvator, per inspirationem sanctae dilectionis, quâ fit, ait divinae Gratiae Doctor, ut cognita sancto amore faciamus; quod propriè Gratia est (17).

VERNAE PARTIS ARGUMENTUM.

Innumeris malis ac vitiis quibus undiquè humana premebatur natura, permotus Deus, eamque miserans, *sic dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret; quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Servi formam induit Christus Jesus, & mirabili Incarnationis mysterio Redemptionis nostrae opus aggreditur (18).

Naturâ filios irae, & ad mortem genitos, vitae, per lavacrum regenerationis & renovationis, nos Christus restituit. Ille post Baptismum lapsos, ac lethali vulnere sauciatos rursus erigit, & medicamento poenitentiae sanat, ministrantibus hoc donum Sacerdotibus, quibus ligandi atque solvendi tradidit potestatem. Poenitentiae Sacramento, peccata reipsâ delentur, dum ea reus sincerè detestetur, Deumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiat. Initium bonorum operum, ait

(17) Hebd. Septuages. Sexagesimae & Quinquagesimae.

(18) Incarnat. Domini, 25. Mart.

S. Augustinus, malorum est operum confessio; ideò imprimis exigit sancta Mater Ecclesia, ut excussâ quàm diligentissimè conscientiâ, singula quæ perpetravimus peccata, cogitationes etiam, desideria, intimosque mentis affectus, contrito atque humili corde confiteamur; huic Exomologesi nostræ, addito vitæ veteris odio, novæ deinceps conversationis inchoatione, firmo denique rursus non peccandi proposito.

Divinæ justitiæ ratio postulat, ut aliter in gratiam recipiantur qui per ignorantiam ante baptismum deliquerunt, aliter verò ii, *qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti; deinde prolapsi sunt.* Inde laboriosus baptismus Pœnitentia vocatur à SS. Patribus, eaque tantò severiùs exercenda, quantò magis, aut frequentiùs, peccator à divinâ lege desciverit.

Alto vulneri, ait S. Cyprianus, diligens & longa medicina non desit; pœnitentia crimine minor non sit. Prudens sit erga sontem, ac perspicax Dei Sacerdos, & præsertim in necessariâ Canonum pœnitentialium, quorum spiritus perpetuò in Ecclesiâ viget, scientiâ versatissimus. Iis, quasi facibus, ad perpendendam peccati cujusvis naturam, statum pœnitentis discernendum, propria huic admovenda remedia, sapiens medicus dirigatur. Nimia Sacerdotis facilitas delinquendi suggerit incentivum, nedum auferat. Hoc est non curare, idem ait S. Cyprianus: sed, si dicere verum volumus, occidere. Caveant ergo Sacerdotes, ne salutarem ad Deum peccatoribus reditum crudeli indulgentiâ præcludant, & dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipsa tollatur (19).

Vir dolorum Christus Jesus, *languores nostros ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus.* Omnes perpessus est contumelias, opprobriis saturatus, quin & *factus pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,*

(19) Hebdom. I. II. III. & IV. Quadragesimæ.

ita nobis relinquens exemplum, ut & sequamur vestigia ejus. Crucis ignominia, tota spes nostra est, & pignus justificationis nostræ; si tamen compatimur, & peccato morimur, sicut & ille pro peccatis nostris mortuus est (20).

Completo prædicationis ministerio, Christus, postquàm discipulos sæpiùs à fermento & hypocrisi Pharisæorum cavendum monuit, potestatem habens ponendi animam, cùm hora ejus advenisset, principibus sacerdotum traditur. Hunc sub Pontio Pilato præside damnatum, neque reluctantem, cruci affigunt. Ita justitiæ divinæ, cui placandæ nemo præter ipsum par alius erat, pro humano genere persolvit, *delens quod adversum nos erat chirographum decreti, affigens illud cruci, & exspolians principatus & potestates.* Sic totum Redemptionis opus, sanguinis ejus effusione, *consummatum est* (21).

Resurgit Christus *primitiæ dormientium*; surgamus & nos à peccato, sicut à mortuis hunc surrexisse non dubitamus. Certissimum Christi resurrectionis, comprobatur factum, cujus testes, neque fallaciæ, neque etiam credulitatis possunt insimulari. Ex tam insigni miraculo, Christianæ Religionis stat veritas, & divinitas, totaque fidelium spes erigitur. *Consepulti sumus cum* Christo *per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*: inde Baptismi necessitas, unitas, sanctitas, indelebilis character, mirabiles effectus (22).

Divini lavacri sanctificatione regenerati, inungimur, & obsignamur ad pugnam, ut Christi fidem intrepidi athletæ profiteamur, dignosque nos existimemus pro nomine ipsius contumeliam pati. In extremo mortis luctamine, infirmo opitulantur Presbyteri, *orantes super eum, ungentes eum oleo in*

(20) Hebd. Passionis & Palm.

(21) Trid. ante Pascha, & Solemnit. S. Crucis.

(22) Hebdom. Paschæ, & in Albis depositis, & Vigil. Pentecostes.

nomine Domini, & , si in peccatis sit, remittuntur ei. Christus enim bonus ipse Pastor, qui invisibiliter quidem regit Ecclesiam *quam acquisivit sanguine suo*, in ipsâ veluti gratiæ suæ canales & signacula, instituit Sacramenta, ut ipsorum etiam quasi consortio Fideles visibiliter adunarentur.

Hic sese tandem exhibet Ecclesia; illa scilicet Fidelium Congregatio, qui tum internis fidei, spei & caritatis nexibus, tum conspicuis communionis vinculis, sibi invicem, Christoque cohærent. Unius autem ejusdemque Ecclesiæ partes duæ sunt, quarum una antecessit, & cœlesti patriâ jam potitur; altera in dies sequitur, donec aliquando cum Salvatore nostro conjuncta, in sempiternâ felicitate conquiescat. In Ecclesiâ militante duo sunt hominum genera, bonorum scilicet & malorum. Ab eâ verò excluduntur Infideles, qui nec Christum colunt, nec Deum verum noverunt; Hæretici, qui, Ecclesiæ autoritate contemptâ, quod damnavit illa pertinaci animo defendunt; Schismatici, qui unitatis ruptis nexibus, adulterinas societates sibi constituunt aut sectantur; Excommunicati, qui Ecclesiam sæpiùs monentem audire, pessimamque vivendi rationem mutare renuentes, velut membra putrida & insanabilia, spiritali tandem mucrone abscinduntur.

Jam verò societas illa, non humanâ ratione, sed Dei sapientiâ & consilio constituta, UNA est; quòd scilicet qui ad eam pertinent unum Deum colant, unum eumdemque Christum ducem ac caput habeant, uno eodemque spiritu vegetentur, eorumdem sint Sacramentorum participes, eamdem fidem profiteantur, & iisdem Pastoribus subsint. Ut enim perennis esset membrorum conjunctio, nihilque esset, vel in fide dubium, vel in caritate divisum, Pastores in Ecclesiâ Christus constituit, qui Fideles docerent, regerent, suo quemque in officio continerent. Inter Pastores unum præ cæteris eminere voluit, ut, Capite constituto, ait S. Hieronymus, Schismatis tolleretur occasio: unum nihilosecius eumdemque

esse Episcopatum cujus à singulis pars in solidum teneretur: Episcopis verò secundi ordinis Sacerdotes, socios & adjutores, adjunxit, qui eamdem cum ipsis fidem & docerent & tuerentur. Est etiam Ecclesia SANCTA, quòd Deo consecrata sit, quòd veluti corpus cum sancto Capite Christo Domino, totius sanctitatis fonte, conjungatur; quòd plures, quovis tempore sinu suo, Fideles complectatur, qui Deum ex animo colunt & diligunt. Est etiam hoc Ecclesiæ Christi maximè proprium, ut sit CATHOLICA: non enim, ut in humanis Rebus-publicis, aut hæreticorum conventiculis, unius tantùm regni terminis, aut uno hominum genere, Ecclesia definita est: verùm & in omnes gentes longè latèque diffunditur, & innumeros *ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione*, ejusdem fidei ac Communionis vinculis colligit. Illa ab Apostolis in omnem terrarum orbem disseminata est; & quod illi à Christo Domino acceperant sacrum ministerii ac doctrinæ depositum, hoc ipsum hæreditario jure transmissum diligentissimè custodit, nec usquam violari patietur: atque ob eam causam APOSTOLICA dicitur.

Quoniam verò promisit ille, qui omnem habet in cœlo & in terrâ potestatem, cum Apostolis se, eorumque successoribus, ad finem usque seculi mansurum, fieri idcircò non potest ut Ecclesia intereat. Eam Christus in cœlum conscensurus, Fidelibus Matrem ac Magistram reliquit; non ergo falli ipsa, cùm de fidei & morum negotio agitur, non alios fallere potest: quæ omni ævo, ut caritatis est sacrarium, ita & erit *columna & firmamentum veritatis* (23).

Christus à mortuis suscitatus resurrectionem in Capite jam factam, in membris futuram satis indicat; ipse quidem nostræ in propriâ carne resurrectionis pignus est. *Apostolis præbuit seipsum vivum in*

(23) Hebd. II. post Pasch. Octav. Ascensionis. Diebus infra Octav. Dedicationis Ecclesiæ. Pontificatus S. Petri. 18 Febr. & Comm. SS. Pontif.

multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Quot his diebus confirmata sacramenta, quanta etiam revelata mysteria! Inde Traditio è purissimo Veritatis ore procedens, & ab Apostolis, Eloquii divini præconibus, vivâ voce ad nos usque transmissa est. Illa, non secùs ac verbum Sacris conscriptum Litteris, fundamentum est ac robur Christianæ Religionis, fons inexhaustus eorum omnium quæ tum ad Dogma, tum ad Disciplinam pertinent. Eâ, velut invictis armis, percelluntur ætatum omnium novatores. Undè hæc præclara fidei regula: QUOD UBIQUE, QUOD SEMPER, QUOD AB OMNIBUS CREDITUM EST. Victricem porro hanc autoritatem sola sibi vindicat Ecclesia Catholica (24).

Tandem, peracto salutis nostræ opere, Christus ascendit in altum, cœloque victor mortis exuvias infert, cum Deo Patre regnaturus. *Quem oportet* quidem *cœlum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum à seculo Prophetarum.* Idem ipse, dum viveret, humiliatus, judicatus, crucifixus, veniet in nubibus cœli, veniet vivus in virtute, veniet justitias ipse judicaturus. In ipso, naturæ nostræ humilitas ad Dei Patris est provecta consessum; & per ipsum, consors jam divinæ facta naturæ, cœlestis hæreditatis particeps effecta est. Nos Christi membra, ait S. Augustinus, propter Ecclesiam quæ est corpus ejus, & cujus Caput Christus est. Hanc contra varios hujusce mundi turbines, errorumque procellas perpetuo tuetur subsidio, ac jugi Spiritûs sui fovet influxu (25). Hunc ergo & nos, eodem ardore succensi, quo flagrabant Apostoli, indefessâ prece postulemus, & indesinenter expectemus promissionem Christi, quem etiam *Advocatum habemus apud Patrem* (26).

(24) Hebdom. III & IV post Pasch. & Comm. SS. Doctor.

(25) Ascensio Domini cum Octavâ, & diebus intra Octav.

(26) Dom. V. post Pascha & Trid. Rogationum.

Profectus in cœlum Christus Dominus, misit Spiritum Sanctum quem se missurum pollicitus erat. Eo repleti Apostoli, linguis repentè loquuntur omnium gentium, Jesum prædicant, errantes arguunt, Judæos ad pœnitentiam adhortantur, signis & prodigiis ubique coruscant; tantâ pollent animi firmitate, ut eos nec minæ superent, nec supplicia deterreant. Ubique jam Evangelium annuntiant, miraculis comprobant, virtutibus exornant; idque tam celeri successu, ut, priusquam obierint, per totum terrarum Orbem Christiana Religio, stridente diabolo, mundo fremente, reluctante naturâ, disseminaretur (27).

Spiritus Sanctus, nostræ salutis pignus & obses, Deus ipse, à Patre Filioque procedit. Divino caritatis afflatu corda succendit. Ab ipso varia emanant donorum spiritualium charismata. Ab ipso, inquit S. Leo, est invocatio Patris; ab ipso sunt lacrymæ pœnitentium; ab ipso sunt gemitus supplicantium; & nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto (28).

ÆSTIVÆ PARTIS ARGUMENTUM.

Ecclesia Christi sponsa, de Sponsi latere nata, per universum orbem, Apostolorum prædicatione disseminata, ab ipsis, eorumque discipulis, fidem accepit in Deum Unum & Trinum; Patrem, Filium ejus Jesum Christum, & Spiritum Sanctum. Augustissimum illud Sanctissimæ, necnon adorandæ, & incomprehensæ TRINITATIS Mysterium, in cujus nomine renati sumus & baptizati, caput est fidei nostræ, totius Christianæ Religionis fundamentum, fons demùm à quo singula derivantur salutis nostræ subsidia. Deus unus est; Unus in substantiâ, Trinus in personis. Solus immensus, solus habens immortalitatem,

(27) Pentecoste, Festivit. & Commun. SS. Apostolorum & Evangelist.

(28) Octava Pentecostes.

& lucem inhabitans inaccessibilem. Solus bonus, summumque totius creaturæ bonum. Nihil profectò latet eum, *qui scrutatur corda & renes; & oculi ejus in pauperem respiciunt*. Solus potens, suâ providentiâ creat, regit, temperat, attingens à fine usque ad finem, fortiter & suaviter disponit omnia. Potentiæ, justitiæ, & bonitatis abyssus est; ex eo, per eum, in eo sunt omnia, *in quo & nos vivimus, movemur, & sumus* (29).

Ecclesiam non solùm Spiritu suo regit, sed & carne propriâ pascit bonus Pastor Christus Jesus, *cujus deliciæ esse cum filiis hominum*. Ut enim ostenderet divitias & potentiam regni sui, & *memoriam faceret mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus*, Sacro-Sanctum, pridie quàm pateretur, Eucharistiæ Sacramentum, ineffabile scilicet in suos usque in finem dilectionis mysterium, instituit. Cœleste prorsus convivium, ad quod solus invitatur, qui, *innocens manibus & mundo corde*, veste indutus est nuptiali! Quæ quidem nihil aliud est quàm Caritas. Solis namque sunt SANCTA SANCTIS. Soli ergo ad mensam Agni convivalem accedant, in quibus vivida fides enitet, sincerus ardet amor Dei, & non ficta operatur in Proximum caritas; qui peccato, sibique mortui, soli Deo vivunt, soloque Christi recipiendi, non sine summâ humilitate, inardescunt desiderio.

Ad Consecrantis verba, quæ panem & vinum, Christi corpus & sanguinem efficiunt, quis non obstupescit! At ipse Christus est, qui etiamnum tam grande patrat miraculum; ipse est qui dona proposita sanctificat & transmutat. Totius substantiæ panis & vini, in corpus & sanguinem Christi conversio, quæ & apprimè Transsubstantiatio dicitur; necnon vera & realis præsentia corporis & sanguinis Christi in SS. Eucharistiâ, tot sunt inconcussa fidei Catholicæ dogmata, quæ vel à primis Ecclesiæ temporibus, apud antiquissimos avitæ doctrinæ Pa-

(29) Dom. SS. Trinitatis, & Trid. seq.

tres, custodes & vindices, consignata, non dubiæ etiam Præscriptionis laude sibi meritò gloriantur (30).

Mirabilis admodum Eucharistici Sacrificii institutor Christus ipse est. Solus sine maculâ *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, plenitudo veritatis, veritatem adimplens præfiguratæ imaginis, sese Deo Patri obtulit, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, Pontifex idem & victima. Cujus rei Sacramentum, ait S. Augustinus, quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, quæ, cùm ipsius Capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre. Ideò, ut tanti amoris, in Ecclesiâ memoriale perpetuum, & simul continuum, præsentiæ suæ, & futuræ gloriæ fidelibus suis visibile pignus relinqueret, sui Sacerdotii homines quosdam effecit participes. Paveant illi ad sanctuarium, Angelicis humeris formidandum onus considerantes. *Nec quisquam hunc sibi sumat honorem, sed* QUI VOCATUR A DEO TAMQUAM AARON; *non enim Christus semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret; vocavit autem ad se quos voluit*; ad illum etiam honorem non indoctus, aut ineruditus, vel pietate, aut requisitis, ut par est, ingenii animique virtutibus vacuus, nec coactus, accedere præsumat. Solus autem id opus bonum suscipiat, qui virtutibus pollens, requisitasque has omnes in semetipso dotes, gratiæ munere, recolens, ab ipsomet vocante Deo accersitur (31).

Sacerdotii Christiani dignitas in eo potissimùm elucet, quòd scilicet Sacerdotes veram habeant potestatem Missæ sacrificii peragendi. Illud porro Missæ sacrificium in oblatione incruentâ Christi, sub panis & vini speciebus verè & realiter præsentis, non autem in solâ & nudâ mortis Christi commemoratione ac repræsentatione, constituitur. Indè, quantùm ad essentiam, Missæ sacrificium à crucis sa-

---

(30) Solemn. SS. Eucharist. *Dieb. & Dom.* intra Octav.

(31) Octav. SS. Eucharistiæ. IV. Temp. Septembr.

crificio non differt. Idem est qui offert Pontifex, eadem quæ offertur hostia, solâ offerendi ratione diversâ (32).

Labia Sacerdotis custodient scientiam, dicit Dominus. Indoctis non secùs ac malis sanctuarii aditus interdicitur; & qui scientiam repellunt, eos etiam *Deus repellit, ne Sacerdotio fungantur*. Probè sciant igitur Sacerdotes legem Domini; Ritus sacros non negligant; Liturgiæ Ecclesiasticæ veteris codices diligenter evolvant. His enim mirificè Catholicum Eucharistiæ dogma adseritur; quin & rituum primævorum inornata majestas maximam in divina mysteria reverentiam instillat. Majorum denique, fervidi æmulatores, qualis semper fuerit in contrectandis Sacris religio, & in celebrandis Sanctorum Festis pietas, sapientes ediscant (33).

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus. Indè, Thesaurus Christianorum, Scriptura sacra meritò nuncupatur. *Utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Quantùm ergo huic incumbere debent Sacerdotes Domini, quorum munus est hujusce thesauri, & sibi ipsis depromere, & aliis expandere divitias. Quibus injungitur Christianorum mentes cœlesti veritatis pabulo enutrire, & quos delusit fallax novitatis amor, ad rectum fidei tramitem revocare. Quibus demum præscribitur, *exhortari in doctrinâ sanâ, & eos qui contradicunt, arguere*! Sacros igitur libros, attentâ mentis consideratione meditentur: ex iis siquidem purissimis fontibus emanat, quidquid, ad fulciendam fidem, caritatem excitandam, mores componendos, vitia profliganda, virtutem denique promovendam, pertinet. *Hoc verò priùs scientes*, ait Princeps Apostolorum, *quòd omnis Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit*: nemo itaque suæ fidens prudentiæ,

(32) Fer. VI. & Sabb. post Octav. SS. Eucharistiæ.

(33) Hebd. III. post Pentecosten.

aut proprio lumine ſuperbiens, contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, aut etiam contra SS. Patrum unanimem conſenſum, audeat Scripturam interpretari: indubiis autem innixus regulis, & à Patre luminum, intelligentiam, animum docilem, rectamque intentionem, quibus indiget, indeficienter poſtulans, ſacra profectò reſeret arcana; quorum clavis aurea, Caritas, cui comitantur Humilitas, Vitaque, nomine & re, Chriſtiana (34).

Hìc jam Morum diſciplinæ limen attigimus. Prævius ſit ſermo 1° de Omnipotentiâ Dei, quo renitente nihil fit, & ſine quo non fit aliquid, niſi vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo, fieri velit Omnipotens; 2° de Libertate hominis lapſi, quæ ſummâ cum Dei poteſtate, præſcientiâ, gratuito & neceſſario divinæ Gratiæ auxilio, probè concinit. Ea verò libertas nulla major in nobis exiſtit, quàm cum *liberati à peccato*, & à pravis cupiditatum nexibus expediti, *ſervi facti ſumus juſtitiæ; quâ libertate Chriſtus nos liberavit* (35).

Altis mentibus inſita eſt juſti & injuſti notio. Hæc ab ipsâ Creatoris manu in intimis pectoribus exarata, in totum, neque oblivione ſopiri, neque diſputationum nebulis deleri, neque ignorantiæ tenebris obliterari poteſt. Summa in moribus inſtituendis regula eſt, LEX ÆTERNA, quæ, ut ait S. Auguſtinus, eſt ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans; ſeu ſuprema & incommutabilis Veritas, in quâ cernitur & tenetur ſummum bonum (36).

Porrò in hac vitâ, virtus non eſt poſita niſi in eo, ut diligamus quod diligendum, & hoc, Deus eſt; Virtutis autem noſtræ principium & finis, quin & virtus noſtra, ipſe Chriſtus eſt. Nulla ergo, ſine fide in ipſum, virtus vera. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium; & ſine fide impoſſibile*

(34) Heb. IV & V. poſt Pent.

(35) Hebd. VI. poſt Pent.

(36) Hebd. VII. poſt Pent.

impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Hæc illa fides, gratuitum Dei donum est; Initium, ait S. Augustinus, unde bona opera incipiunt; inde S. Doctoris sententiam evolvens S. Prosper: Tota, inquit, infidelium vita peccatum est, & falsa virtus, etiam in optimis moribus; eò sanè quòd homines, absque fide, ad eum finem opera non retulerunt, ad quem referre debuerunt. Ideòque, in hâc vitâ, receperunt mercedem vani vanam, ait S. Augustinus. Credere autem non sufficit: *Dæmones* enim *credunt, & contremiscunt; & fides sine operibus mortua est*; oportet igitur illam & per dilectionem operari. *Quid enim proderit si fidem quis dicat se habere? numquid poterit fides salvare eum* (37)?

Germana fidei & spei cognatio est; quòd illa futurum credit, illud hæc sibi futurum sperat. Utraque perficitur caritate. Ex fidei enim confessione, ait S. Augustinus, nascitur spes bona fidelium, quam caritas sancta comitatur. Amantes, in desiderio gemimus, qui promissis nondum potimur: sed, quia verax & fidelis est qui promisit, in spe gaudemus, & per ipsum, quæ repromisit obtinenda speramus, quoniam ipse est spes nostra. Hæc tota expectationis Christianæ ratio; hæc vera hominis à se deficientis, Deo autem suo innitentis, eique soli confidentis, fiducia (38).

Unde verò oritur orandi animus & affectus, nisi ex æternorum desiderio, atque ex intimo miseriæ & egestatis nostræ sensu? Hìc namque exules, atque propriæ infirmitatis conscii, inter irruentes undique acerrimos hostes, & tot tantasque tentationum procellas, unum hoc salutis præsidium, perfugiumque habemus, Orationem scilicet, & Obsecrationem, quæ divinæ pietatis nobis patrocinium concilient.

(37) Hebd. VIII & IX, post Pentecosten.

(38) Hebd. X. post Pentecosten.

Reverà, quid aliud est Oratio, nisi rei magnæ nostræ, id est, salutis æternæ, apud Deum commendatio? Quod quidem negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu. In Fide, Spe, & Caritate, indefessis gemitibus, non in multiloquio, sed in templo mentis nostræ, orandum est; ut in templo Dei, orationis nostræ clamor exaudiri mereatur. Cuivis orationi præcellit Oratio Dominica; Regula postulandi, ait S. Augustinus, à cœlesti Jurisperito data; & ea continet quiquid rectè, & congruenter, orari potest; & ad eam quoque cæteræ aliæ reducuntur orationes. Hanc Orationem quàm disertè & luculenter S. Cyprianus commentatur, in percelebri, neque sat unquam laudando, quem de illâ conscripsit, Libro; quem legimus, inquit S. Augustinus, & ostendimus quemadmodùm docuerit omnia, quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè vivimus, à Patre nostro qui in cœlis est, exposcenda; ne, de libero præsumentes Arbitrio, à divinâ Gratiâ decidamus (39).

Hinc Orationis dotes consectariæ potissimùm recensentur. Quid scilicet, quomodò, & quo ordine sit postulandum à Deo, qui non voce solâ, sed jejuniis, lacrymis, eleemosynis, & omni deprecationis genere, placandus est, & exorandus (40).

PARTIS AUTUMNALIS ARGUMENTUM.

Hactenùs de Privatâ Oratione diximus; nunc de Vocali & Publicâ sermo habendus est. Horæ Canonicæ, à Canonibus, sive Ecclesiasticis legibus, quibus præscribuntur, nomen obtinent. Servitutis hoc nostræ munus explere singulis diebus, sive in Choro, sive privatim, strictiori præcepto tenemur; nec quemquam nostrûm, nisi aut legitima necessitas,

(39) Hebd. XI & XII. post Pentecosten.

(40) Hebd. XIII. post Pentecosten.

aut urgentis caritatis causâ, ab his persolvendis eximit. Canonici Officii, etiam Nocturni, memoratur antiquitas, commendatur utilitas, & modus præscribitur (41).

Ad Publicam verò Orationem pertinent, 1°. Invocatio Sanctorum, in cœlis jam cum Christo regnantium; imprimis Beatæ Mariæ Virginis Deiparæ, cujus præcellens dignitas, & præpotens apud Filium intercessio est (42). 2°. In SS. Angelos pietas; *Omnes enim sunt Administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis.* Sunt etiam tutelares ministri quibus mandavit Deus, ut custodiant nos in omnibus viis nostris, quique in nos quasi concives, fraterno jam amore devinciuntur (43). 3°. Vivificæ Crucis, quæ nostræ signum est redemptionis, quin & sanctarum Imaginum, laudata ubique passim veneratio (44). 4°. Religio in sacras Reliquias; Sanctorum scilicet corpora, ossa, cineresque, sæpè sæpius miraculis illustrata, mundaque Spiritûs Sancti receptacula. Qui quidem cultus in Ecclesiâ, ab ipsius incunabulis, summus invaluit. Is cum fide Communionis Sanctorum, quam profitetur, conjunctissimus est; nullus profectò dies, ait S. Augustinus, nulla hora, nullum momentum temporis invenitur, quo non à Sanctis orationes ad Deum ubique fundantur (45). 5°. Pro Fidelibus Defunctis ad Deum deprecatio. Considerandum quippe nobis est, ait Scriptura, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperunt, optimam habeant repositam gratiam. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur: nisi enim eos resurrecturos speraremus, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis:* hæc est certa & inconcussa viatorum fide-

(41) Hebd. XIV. post Pent.

(42) Festiv. B. Mariæ Virg. & Omn. SS. 1. Nov.

(43) S. Michael. & omn. SS. Angel. 29. Sept.

(44) Solemn. S. Crucis, 14. Sept.

(45) Fest. SS. Reliq. 8. Nov.

lium, siquidem in multis offendimus omnes, in Deum fiducia (46).

Patientia, altera quædam Orationis species, ex verbis ejusdem S. Doctoris, rerum arduarum ac difficilium voluntaria est ac diuturna perpessio. Quemadmodùm Oratio, sic & illa filia est spei Christianæ: adversa namque quis non patienter toleret, qui cœlestia meditatur & ardet? Justus ærumnis affectus, totum se committit Deo, qui reddet unicuique secundùm opera ejus, quique interim hìc malos suffert, & ad pœnitentiam invitat; bonos autem probat, & purgat, & ad patientiam erudit.

Quantùm autem nobis prosit patientia, ipsa ubique docet Scriptura. *Patientia*, inquit, *opus perfectum habet: patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Quid aliud Christianis prædicat Apostolus, cùm dicit: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur?* Ideo, inquit S. Leo, nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis. Nos verò promissione suâ Christus consolatur. *Beati*, inquit, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (47). In Christo imitando, tota versatur christiana vita. In hoc quippe vocati sumus, ut adimpleamus ea quæ desunt passionum ejus; *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* Procul ergo hinc à nobis risus, joci, scurrilitates, & his similia, quæ christianum hominem, aut Religiosum, maximè verò Sacerdotem dedecent. Nostrum hìc indefessi defleamus exilium, continuis patriam votis præoccupantes, in quâ sumus torrente voluptatis inebriandi,

(46) Comm. Fidel. omn. 1. Nov. & Offic. Defunct.

(47) Hebd. XV & XVI. post Pent. & Comm. plur. SS. Mart.

st tamen fiduciam, & *gloriam spei, usque ad finem, firmam retineamus* (48).

In summo bono, qui Deus est, beatitudo ista consistit: hunc ergo toto corde, nosque & Proximum, propter Deum, diligamus. *Hoc enim est primum & maximum mandatum in lege; plenitudo*, autem *legis est dilectio* (49).

Causa diligendi Deum, ait S. Bernardus, Deus est; modus, sine modo diligere. Omnes itaque mentis & cordis motus ad Deum par est dirigere; quæ quidem regula dilectionis, ait S. Augustinus, divinitus constituta est, ut omnes illa cogitationes, omnem vitam, omnem intellectum, in illum conferat à quo habet ipsa quæ confert. Hujusce amoris præmium aliud esse non potest, nisi Deus ipse; siquidem, cùm unus sit hominis conditor ac reparator, sic & solus est ipsius finis, bonum, & perfectio. Si quod aliud præmium ingratus homo insulsè prosequitur, istud pro certo, non Deum ipsum diligit. Summum verò divini amoris dominium luculenter nobis Dominus ipse commendat. *Qui diligit me*, inquit, *sermonem meum servabit*. Ideò omnis affectuum, omnis sensuum usus, amori divino famulari jubetur. Fidele enim & constans in præceptis servandis obsequium, hujusce nostri indubitatum est amoris indicium; probatio siquidem dilectionis, ait S. Gregorius magnus, exhibitio est operis (50).

Qui Deum, tamquàm totius justitiæ fontem diligit, justitiam profectò diligit. Ipsa autem summa justitia Deus est, quatenus per Christi merita, hanc nobis impertitur dilectionem, sive suavitatem quâ æterna justitia nobis dulcescit, quâ in ejus amorem inardescimus, quâ & toti cupimus, pro ejus amore, non cæteras modò delectationes contemnere, sed

(48) Hebd. XVII. post Pent. & IV. Temp. Sept.

(49) Hebd. XVIII. post Pent.

(50) Hebd. XIX. post Pent.

& quaslibet alias sustinere passiones. Hanc esurire, hanc sitire justitiam, ut docet S. Augustinus, ea nostra est in hâc peregrinatione justitia; hâc postea saturari, ea nostra est in æternitate plena & perfecta justitia. *Qui ergo justus est, justificetur adhuc*; ad quam justitiæ perfectionem Christianus proficiet, si, juxta celebrem præfati S. Doctoris sententiam, aliquid quotidie detrahat de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus caritatis; & donec illud consumatur, hoc perficiatur. Satis autem provectum se esse nunquam existimet, sed ad justitiæ fastigium indefesso labore nitatur, siquidem non proficere, deficere est (51).

Si ab illâ justitiæ normâ nullus Christianus eximitur, quantò strictiùs eâ teneri censendus est Monachus, quem ad summum perfectionis Evangelicæ culmen contendere instituti sui ratio compellit! Perfectus ergo sit Monachus, qui Deo proprietatis abdicationem, carnis continentiam, regularemque obedientiam, sponte suâ vovit. In his tribus tota religiosæ professionis substantia consistit. De cætero, ut præcipit S. Pater N. Benedictus, Magistram sequatur Regulam. Sine enim hujusce, secundùm quam vivere professus est, observatione, non est, ut definit Concilium Biterrense, IN STATU VEL ORDINE SALVANDORUM. Caveat tantùm ille, ne ad apices Regulæ exigendo vitam, in illam, quæ occidit litteram, spiritu qui vivificat neglecto, infeliciùs impingat; studeat contrà, mentem virtutibus ornare, quibus Monasticæ vitæ perfectio continetur.

A suî ipsius contemptu, salutis opus debet aggredi vir Christianus, multòque magis Monachus, omnium certè, ex instituto suo, humillimus. Hunc sanè nihil tam dedecet, nihil eum ita deprimit ob oculos Dei & hominum, quàm elatus animus, vanæque laudis cupidus: nihil verò magis hunc exor-

---

(51) Hebd. XX. post Pent. & Comm. SS. Justorum.

nat commendatque apud Deum & homines, quàm modestia expressa vultu, gestis, habitu, incessu, voce & sermone, modò ex intimo animi sensu profecta sit (52).

Humilitas Christiana fundamentum est, quo altiùs extollitur pietatis & perfectionis ædificium, quin & ipsa perfectio nostra est. Corruptissimum autem superbiæ flatum, exitialemque in propriâ justitiâ fiduciam, spiritus veræ humilitatis & sinceræ caritatis penitùs excludit. Tantâ porro cum spiritu gratiæ & precum necessitudine utraque virtus conjuncta est, ut ab ipso divelli non possit: qui enim infirmum se agnoscit & egenum, ad illum bonorum omnium fontem facilè recurrit. Inde humilitatis proprietas, ait S. Leo magnus, in confessione est Gratiæ Dei, quæ tota repellitur, nisi tota suscipiatur (53).

Hoc mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Amicos amore prosequi, omnium est; inimicos verò diligere, solius est Christiani. Ita etiam benevolo eos affectu diligi jubet Christus: *Diligite*, inquit, *inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quandò autem tanta Proximi commendatur dilectio, non illa prorsus intelligitur, quâ homines sibi invicem præsentis vitæ bona apprecantur & largiuntur, sed ea sola laudibus extollitur Caritas, quæ in ferendis ejus defectibus ita patiens est, ut illum benigna lucretur Christo, ipsius offensis semper invicta, nedum de ipsis vindictam reposcat. Christianus nullius est hostis, ait Tertullianus. Ante alios præcipuè Regem diligit & honorificat, juxtà illud Apostoli effatum: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim Potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordi-*

(52) Hebd. XXI & XXII. post Pent. Festiv. SS. Monach. Comm. SS. Abb. Præsent. Beatæ Mariæ Virg. & Comm. SS. Virginum.

(53) Hebd. XXIII. post Pent.

nata sunt. Ideo alibi jubet Apostolus, *primùm omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt*. Nec non denique ipsa docet Christiana Religio quemadmodum, & non omnibus omnia, & omnibus caritas, & nulli debeatur injuria. *Nemini quidquam debeatis*, ait Apostolus, *nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit Proximum, legem implevit* (54).

Quæ nos Christi imitatores efficit caritas, illa nos etiam reddit de salute Proximi sollicitos, ut hic Deo vivat, Deoque tandem jugiter perfruatur; sicque ei proinde omnia benigno animo præbeamus, quæ à nobis impendi possunt, beneficia & auxilia quibus ad Deum faciliùs feliciùsque perveniat. Quâ quidem caritate discernuntur discipuli Domini ab hujus mundi vanis sectatoribus. Inde etiam, quasi ex fonte, manat fluitque fraterna correptio. Difficultatis non exiguæ quidem, at commune munus, omnibus implendum est; his verò qui præsunt præcipuum incumbit. Quantùm porro damni zelus amarus & inordinatus importet, minimè fas est dicere. Fraternam igitur correptionem temperet caritatis benignitas ac lenitas; quod quidem commendat Apostolus; *Si, præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos*, inquit, *qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris* (55).

Eleemosyna opus est misericordiæ, quod ad redimenda peccata plurimùm conducit. Omnibus, præcipuè autem divitibus Laicis, præcipitur: at quantò magis dispensatoribus bonorum Ecclesiasticorum, quæ nihil aliud sunt, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & pauperum patrimonia. Si pauperum COMPAUPERES sumus, præclarè ait S. Augustinus, ea, & nostra sunt & illorum bona: pauperum enim procurationem quodam modo gerimus, non proprie-

(54) Hebd. XXIV. & XXV. post Pentecosten, & Festivit. S. Ludovici, 25. Aug.

(55) Hebd. XXVI. post Pent.

tatem nobis usurpatione damnandâ vindicamus. *Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei* (56).

Hæc præcipua sunt, Fidei, Morum, & Disciplinæ documenta, quæ sancta per orbem tenet & servat, æternùmque servabit Mater Ecclesia, quam sibi in fide Christus desponsavit. Ab eo autem Sponso & Doctore, neque per infidelitatem, aut ullum circa mores errorem, unquam est divellenda Ecclesia; neque ullo illam patietur Christus à se divortio separari; quandoquidem cum eâ futurum se spopondit usque ad consummationem seculi. Sacræ nihilominus Litteræ prænuntiaverunt fore aliquando, ut multiplici afflictationum genere divexata, & quasi obruta, senioque quodam, ait S. Gregorius magnus, quasi debilitata conspiciatur. In luctuosa illa tempora pene jam incidimus. At malis omnibus, quibus undequaque premitur, præstantissimum paravit remedium ille, qui ejus est artifex & conditor Deus, tantoque ipsam robore firmavit, ut portæ inferi adversus eam non prævalituræ sint. Quantùm autem, ad ejus lacrymas abstergendas, damna resarcienda, ac pristinum ipsi splendorem restituendum, suffultura sit Judæorum conversio, quis enarrabit (57)?

Et hæc erant quidem maxima, de Dogmate Catholico, de Doctrinâ Christianâ, de Ecclesiasticâ & Monasticâ Disciplinâ, fidei ac pietatis oculis exponenda. Ea, quantùm, Deo juvante, capere & assequi datum nobis fuit, & quàm studiosissimè potuimus, absolvimus. Utilissimum profectò opus, necnon jampridem necessarium, ardentibus certè bonorum votis diu desideratum, quin, & in firmissimâ consensûs unanimis expectatione, fidenter vulgatum. In eo autem peragendo, omne nos tulisse punctum, idque numeris omnibus absolutum esse, nec audemus asserere, nec opinamur. Antecessorum verò vestigiis accuratè insistentes, ope-

(56) Hebd. XXVII. post Pentecosten.

(57) Hebd. XXVIII & ultim. post Pentecosten.

rosum illud stadium fidi percurrimus, eumdemque, ut speramus, scopum, ad quem collineandum erat, attigimus. Spem indè omnem Fratrum, nec vacuam, nec inanem fore confidimus. In quâ elucubratione, & in his omnibus eruendis aptandisve, nihil indulsimus ingenio nostro; assiduam verò in pervolvendis sacris Litteris, cæterisque Christianæ Fidei monumentis, diligentiam adhibentes, filum doctrinæ cœlestis, omni ex parte sibi consonantis, humiliter secuti sumus. Quâ in re utrùm aliquid profecerimus, non nostrî, sed aliorum judicium esto.

Dabunt utique veniam, si in tanti momenti operis decursu, aliquid nobis effugerit. Labeculis etenim quibus quandoque prior Editio inspergitur, quis tam severus qui non indulgeat? eas autem omninò deleri, posteris curis, ipso mendorum tirocinio oculatiores effecti, sedulâ attentione conabimur.

Verumtamen nihil egimus, nihilque statuimus, quàm quod ad Religionem, quod ad Pietatem, quod ad Veritatis investigationem & amorem, Fratres conducere, aptum & consentaneum duximus. Huic sacratissimæ addicti regulæ, nihilque nobis, aut sententiæ nostræ prorsùs arrogantes, quæcumque collegimus, retulimus, scripsimus; quinimò, ordinem ipsum, vel seriem hujusce operis, eo, quod nos tantopere decet, obsequio ac observantiâ, indagini judicioque submittimus, imprimis quidem Ecclesiæ Catholicæ, cujus obsequentissimi sumus filii, in quo nomine sed & maximè gloriamur; deindè amantissimorum in Christo Fratrum, quorum nobis præcipuè benevolentia cordi est; tandemque omnium ordinum, qui nobiscum unà uno gaudentes bono, Sanctorum scientiam vestigiis omnibus indagantes, atque ad normam illorum suam ipsorum vitam componentes, in hoc opere nostro, & lucem quæ mentem illuminat, & eum, quo satiatur cor, cibum spiritalem anhelant.



NOTANDUM.

In Festivitate S. Mauri, 15 Jan. pag. 565, sequens legatur.

Canon.

Ex Concílio Tridentíno.

An. 1563. *Sess.* 25. *de Regular.*

Quóniam non ignórat sancta Synodus, quantùm ex Monastériis piè institútis, & rectè administrátis, in Ecclésiâ Dei splendóris atque utilitátis oriátur, necessárium esse cénsuit, quò facíliùs ac matúriùs, ubi collapsa est, vetus & Reguláris disciplína instaurétur, & constántiùs, ubi conserváta est, persevéret, præcípere, prout hoc decréto præcipit, ut omnes Reguláres, tam viri quàm mulíeres, ad Régulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instítuant & compónant; atque ímprimis, quæ ad suæ professiónis perfectiónem, ut Obediéntiæ, Paupertátis & Castitátis, ac quæ ália sunt alicújus Régulæ & Ordinis peculiária vota & præcepta, ad eórum respectívè esséntiam, nec non ad commúnem vitam, victum, & vestitum conservanda, pertinéntia fidéliter obsérvent: cùm comperto sit, ab eis non posse ea, quæ ad substántiam Reguláris vitæ pértinent, relaxári: si enim illa quæ bases sunt & fundamenta totíus Reguláris disciplínæ, exactè non fúerint conserváta, totum córruat ædificium necesse est.

In Festivitate S. Scholasticæ, 10 Febr. Canon legatur: Tanti fuére, &c. *ut in Festivitate S. Mauri, pag. 565.*

TABULA TEMPORARIA.

Anni Domini.	*Aureus Num.*	*Epacta.*	*Indictio.*	*Lit. Dom.*	*Dom. post Epiph*	*Septuagesima.*	*Dies Cinerum.*
1787	2	xj	5	g	4	4 Feb.	21 Feb.
1788	3	xxij	6	f e	1	20 Jan.	6 Feb.
1789	4	iij	7	d	4	8 Feb.	25 Feb.
1790	5	xiv	8	c	3	31 Jan.	17 Feb.
1791	6	xxv	9	b	6	20 Feb.	9 Mar.
1792	7	vj	10	A g	4	5 Feb	22 Feb.
1793	8	xvij	11	f	2	27 Jan.	13 Feb.
1794	9	xxviij	12	e	5	16 Feb.	5 Mar.
1795	10	ix	13	d	3	1 Feb.	18 Feb.
1796	11	xx	14	c b	2	24 Jan.	10 Feb.
1797	12	j	15	A	5	12 Feb.	1 Mar.
1798	13	xij	1	g	4	4 Feb.	21 Feb.
1799	14	xxiij	2	f	1	20 Jan.	6 Feb.
1800	15	iv	3	e	4	9 Feb.	26 Feb.
1801	16	xv	4	d	3	1 Feb.	18 Feb.
1802	17	xxvj	5	c	5	14 Feb.	3 Mar.
1803	18	vij	6	b	4	6 Feb.	23 Feb.
1804	19	xviij	7	A g	3	29 Jan.	15 Feb.
1805	1	*	8	f	4	10 Feb.	27 Feb.
1806	2	xj	9	e	3	2 Feb.	19 Feb.
1807	3	xxij	10	d	2	25 Jan.	11 Feb.
1808	4	iij	11	c b	5	14 Feb.	2 Mar.
1809	5	xiv	12	A	3	29 Jan.	15 Feb.
1810	6	xxv	13	g	6	18 Feb.	7 Mar.
1811	7	vj	14	f	4	10 Feb.	27 Feb.
1812	8	xvij	15	e d	2	26 Jan.	12 Feb.
1813	9	xxviij	1	c	5	14 Feb.	3 Mar.
1814	10	ix	2	b	4	6 Feb.	23 Feb.
1815	11	xx	3	A	2	22 Jan.	8 Feb.
1816	12	j	4	g f	5	11 Feb.	28 Feb.
1817	13	xij	5	e	3	2 Feb.	19 Feb.
1818	14	xxiij	6	d	1	18 Jan.	4 Feb.
1819	15	iv	7	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1820	16	xv	8	b A	3	30 Jan.	16 Feb.
1821	17	xxvj	9	g	6	18 Feb.	7 Mar.

FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	*Pascha.*	*Ascensio Domini.*	*Pentecoste.*	*Festum SS. Eucharistiæ*	*Dom. post Pent.*	*Dom. prima Advent.*	*Litera Martyrol.*
1787	8 Apr.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2 Dec.	I
1788	23 Mar.	1 Maii	11 Maii	22 Maii	28	30 Nov.	C
1789	12 Apr.	21 Maii	31 Maii	11 Junii	25	29 Nov.	c
1790	4 Apr.	13 Maii	23 Maii	3 Junii	26	28 Nov.	P
1791	24 Apr.	2 Junii	12 Junii	23 Junii	23	27 Nov.	F
1792	8 Apr.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2 Dec.	f
1793	31 Mar	9 Maii	19 Maii	30 Maii	27	1 Dec	s
1794	20 Apr.	29 Maii	8 Junii	19 Junii	24	30 Nov	M
1795	5 Apr	14 Maii	24 Maii	4 Junii	26	29 Nov.	i
1796	27 Mar.	5 Maii	15 Maii	26 Maii	27	27 Nov.	A
1797	16 Apr.	25 Maii	4 Junii	15 Junii	25	3 Dec.	a
1798	8 Apr.	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2 Dec.	m
1799	24 Mar.	2 Maii	12 Maii	23 Maii	28	1 Dec.	D
1800	13 Apr.	22 Maii	1 Junii	12 Junii	25	30 Nov.	d
1801	5 Apr.	14 Maii	24 Maii	4 Junii	26	29 Nov.	q
1802	18 Apr.	27 Maii	6 Junii	17 Junii	24	28 Nov.	G
1803	10 Apr.	19 Maii	29 Maii	9 Junii	25	27 Nov.	g
1804	1 Apr.	10 Maii	20 Maii	31 Maii	27	2 Dec.	t
1805	14 Apr.	23 Maii	2 Junii	13 Junii	25	1 Dec.	P
1806	6 Apr	15 Maii	25 Maii	5 Junii	26	30 Nov.	l
1807	29 Mar.	7 Maii	17 Maii	28 Maii	27	29 Nov.	C
1808	17 Apr	26 Maii	5 Junii	16 Junii	24	27 Nov.	c
1809	2 Apr.	11 Maii	21 Maii	1 Junii	27	3 Dec.	p
1810	22 Apr.	31 Maii	10 Junii	21 Junii	24	2 Dec.	F
1811	14 Apr.	23 Maii	2 Junii	13 Junii	25	1 Dec.	f
1812	29 Mar.	7 Maii	17 Maii	28 Maii	27	29 Nov.	d
1813	18 Apr	27 Maii	6 Junii	17 Junii	24	28 Nov.	M
1814	10 Apr.	19 Maii	29 Maii	9 Junii	25	27 Nov.	i
1815	26 Mar.	4 Maii	14 Maii	25 Maii	28	3 Dec.	A
1816	14 Apr.	23 Maii	2 Junii	13 Junii	25	1 Dec.	a
1817	6 Apr.	15 Maii	25 Maii	5 Junii	26	30 Nov.	m
1818	22 Mar.	30 Apr.	10 Maii	21 Maii	28	29 Nov.	D
1819	11 Apr.	20 Maii	30 Maii	10 Junii	25	28 Nov.	d
1820	2 Apr.	11 Maii	21 Maii	1 Junii	27	3 Dec.	q
1821	22 Apr.	31 Maii	10 Junii	21 Junii	24	2 Dec.	G

In sequenti Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit : an. significat Anno. : c. an. circa Annum ; s. seculo ; c. init. s. circa initium seculi : c. fin. s. circa finem seculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Mensis.*		JANUARIUS.
*	A	Kal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI ; Impositio nominis JESU, & Octava Natalis ejus. *solemnitas ij. classis.*
xxix	b	iv	2	Fulgentii Ruspensis Episcopi, (è die 1) an. 533. *commemoratio.*
xxviij	c	iij	3	
xxvij	d	Prid.	4	
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ.
25. xxv	f	viij	6	EPIPHANIA DOMINI. *solemnitas j. classis.*
xxiv	g	vij	7	De Octava, } Epiphaniæ.
xxiij	A	vj	8	De Octava, } Epiphaniæ.
xxij	b	v	9	De Octava, } Epiphaniæ.
xxj	c	iv	10	De Octava, } Epiphaniæ.
xx	d	iij	11	De Octava, } Epiphaniæ.
xix	e	Prid.	12	De Octava, } Epiphaniæ.
xviij	f	Idib.	13	OCTAVA EPIPHANIÆ ET BAPTISMUS DOMINI. *solemnitas iij. classis.*
xvij	g	xix	14	Hilarii Pictav. Ep. & Eccl. Doct. (è 13) an. 368. *festum simplex, & commemoratio* S. Felicis Nolani Presbyteri. 265.
xvj	A	xviij	15	MAURI ABBATIS Congregationis Patroni (c. an. 584.) *Festivitas j. classis.*
xv	b	xvij	16	
xiv	c	xvj	17	Antonii Abbatis, an. 356. *und simul commemoratio.* S. Pauli, primi Heremitæ an. 341. *festum simplex.*
xiij	d	xv	18	Pontificatus, seu Cathedra S Petri, Apostoli. *festum simplex.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom	Dies Mensis.		JANUARIUS.
				Prima Septuagesima.
xij	e	xiv	19	
xj	f	xiij	20	Sebastiani Mart. c. an. 304. *commemoratio* & S. Fabiani Papæ & Mart. an. 250. *commemoratio.*
x	g	xij	21	Agnetis Virg. & Mart. an. 301. vel 304. *festum simplex.*
ix	A	xj	22	Vincentii Diaconi & Mart. c. an. 304. *festum simplex.*
viij	b	x	23	
vij	c	ix	24	Timothei, Ephes. Episcopi & Martyris, an. 97. *commemoratio.*
vj	d	viij	25	CONVERSIO S. PAULI APOSTOLI. an. 30. vel 31. aliis 34. vel 35. *festivitas iij. classis.*
v	e	vij	26	Polycarpi, Smyrn. Ep. & Mart. c. an. 166. *festum simplex.*
iv	f	vj	27	Paulæ, Viduæ Romanæ (è 26.) an. 404. *commemoratio.*
iij	g	v	28	
ij	A	iv	29	Francisci Salesii Genevensis Ep. (è 28. Decemb.) an. 1622. *commemoratio.*
j	b	iij	30	
*	c	Prid.	31	

FEBRUARIUS.

xxix	d	Kal.	1	Ignatii Antiocheni Ep. & Mart. an. 107. *festum simplex.*
xxviij	e	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI ET PURIFICATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *solemnitas ij. classis.*
xxvij	f	iij	3	S. JOSEPH, Sponsi B. M. Virg. (è 19. Mart.) 1. sec. *festivitas iij. classis. Commemoratio* S. Blasii, Ep. & Mart. an. 316.

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Mensis.*		FEBRUARIUS.
25.xxvj	g	Prid.	4	*Prima dies Cinerum.*
xxv.xxiv	A	Non.	5	Agathæ, Virg. & Mart. an. 251. *commemoratio.*
xxiij	b	viij	6	
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	
xx	e	v	9	Apolloniæ, Alexandr. Virg. & Martyris, an. 249. *commem.*
xix	f	iv	10	SCHOLASTICÆ, VIRGINIS. c. an. 543. *festiv. ij. class.* (*si in Quadragesima, anticipatur.*)
xviij	g	iij	11	
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Symeonis Jerosolym. Ep. & M. an. 106. vel 107. *fest. simpl.* (*si in Quadragesima, commem.*)
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	*Ultima Septuagesima.*
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Bissextili.*
v	f	vj	24	MATTHIÆ APOSTOLI. 1. f. *festiv. iij. class.* (*si in Quadragesima, anticipatur.*)
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	Prid.	28	

In anno Bissextili Februarius est dierum 29, & festum Sancti Matthiæ celebratur 25 Februarii, & bis dicitur *Sexto Calendas*, id est 24 & 25; & Littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem: ut si in Januario Littera Dominicalis fuit *A*, mutatur in præcedentem quæ est *g*; & sic de aliis.

MARTIUS.

*	d	Kal.	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non	7	Revocati, Saturnini, Felicitatis, Perpetuæ & soc. Mart. c. an. 204. *festum simplex.* (*si in Quadragesima, commemoratio.*)
xxiij	d	viij	8	*Primum Novilunium Paschale.*
xxij	e	vij	9	Quadraginta Mart. an. 320. *festum simplex.* (*si in Quadragesima, commemoratio.*)
xxj	f	vj	10	
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	Gertrudis, Virg. an. 659. *commemoratio.*
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	S. PATRIS N. BENEDICTI ABBATIS. an. 543. *festivitas j. classis.*
ix	d	xj	22	*Primum Pascha.*
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO ET INCARNATIO DOMINI, *solemnitas ij. classis.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		MARTIUS.
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

				APRILIS.
xxix	g	Kal.	1	
xxviij	A	iv	2	Francisci de Paula, Ord. Minim. Instit. an. 1507. *commem.*
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	
xxv. xxiv	d	Non.	5	*Ultimum Novilunium Paschale.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	Leonis Magni Papæ, & Eccles. Doct. an. 461. *festum simplex.*
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	Anselmi Cantuar. Ep. an. 1109. *commemoratio.*
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Georgii, Mart. c. an. 303. *commemoratio.*
v	b	viij	24	
iv	c	vij	25	MARCI, EVANGELISTÆ. an. 68. *festivitas iij. classis.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		APRILIS.
				Ultimum Pascha.
iij	d	vj	26	
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	
*	g	iij	29	Roberti Molisim. Abb. Ordin. Cistercii Instit. anno 1111. 21. Mart. *commemoratio.*
xxix	A	Prid.	30	
				MAIUS.
xxviij	b	Kal.	1	PHILIPPI ET JACOBI ALPHÆI, Apost. 1. f. *festivitas iij. classis.*
xxvij	c	vj	2	Athanasii Alexandr. Ep. & Eccl. Doct. an. 373. *festum simplex.*
xxvj	d	v	3	INVENTIO S. CRUCIS. a. 326. *solemnitas iij. classis.*
25. xxv	e	iv	4	
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	Joannis ante Portam-Latinam. an. 95. *commemoratio.*
xxij	A	Non.	7	
xxj	b	viij	8	
xx	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Constantinop. Ep. & Eccles. Doct. c. an. 391. *festum simplex.*
xix	d	vj	10	
xviij	e	v	11	*Prima Pentecoste.*
xvij	f	iv	12	
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	Pachomii, Abbatis. c. an. 349. *commemoratio.*
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	
xij	d	xvj	17	
xj	e	xv	18	

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		MAIUS.
x	f	xiv	19	
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis (è 9. Apr.) v. vel. vj. s. *commemoratio.*
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	
iij	f	vij	26	Augustini, Cant. Episc. Angl. Apost. an. 607. *commem.*
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	
*	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	Felicis, Papæ & Mart. an. 274. *commemoratio.*
xxviij	d	Prid.	31	
				Dominicâ primâ post Pentecosten. fit officium de SS. TRINITATE. *solemnitas ij. classis.*

JUNIUS.

xxvij	e	Kal.	1	
25.xxvj	f	iv	2	Pothini, Lugdun. Ep. Blandinæ Virgin. & soc. Mart. an. 177. *festum simpl.* & *commemoratio* SS. Marcellini Presbyt. & Petri Exorcistæ, Martyrum, an. 304.
xxv.xxiv	g	iij	3	
xxiij	A	Prid.	4	
xxij	b	Non.	5	Bonifacii Mogunt. Ep. & Mart. Germaniæ Apost. anno 754. *commemoratio.*
xxj	c	viij	6	Norberti Magdeburg. Ep. Ord. Præmonstrat. Instit. an. 1134. *commemoratio.*
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		JUNIUS.
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	
xvj	A	iij	11	BARNABÆ APOSTOLI. 1. f. *festivitas iij. classis.*
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	*Ultima Pentecoste.*
xiij	d	xviij	14	
xij	e	xvij	15	
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Gervasii & Protasii, Martyrum. j. vel ij. f. *commemoratio.*
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	Basilii magni Cæsar. in Cappadocia Ep. & Eccl. Doct. (è 14) obiit 1. Jan. 379. *festum simplex.*
v	e	x	22	Paulini Nolani Ep. an. 431. *commemoratio.*
iv	f	ix	23	Vigilia.
iij	g	viij	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, *festivitas j. classis.*
ij	A	vij	25	Prosperi Aquitani. c. an. 456. *commemoratio.*
j	b	vj	26	Joannis & Pauli, Mart. c. an. 362. *commemoratio.*
*	c	v	27	
xxix	d	iv	28	Irenæi Lugdun. Episc. & soc. Mart. c. an. 202. *festum simplex & commemoratio.* Vigiliæ. SS. Apostolorum.
xxviij	e	iij	29	PETRI ET PAULI APOST. an. 67. *festivitas. j. classis.*
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Apostoli. *festum simplex.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
				J U L I U S.
xxvj	g	Kal.	1	
25. xxv	A	vj	2	VISITATIO B. MARIÆ VIRGINIS. *solemnitas iij. classis.*
xxiv	b	v	3	
xxiij	c	iv	4	
xxij	d	iij	5	
xxj	e	Prid.	6	
xx	f	Non.	7	
xix	g	viij	8	
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum, & S. Felicitatis matris eorum, Mart. c. an. 150. *commemoratio.*
xvj	c	v	11	TRANSLATIO S. PATRIS N. BENEDICTI. c. an. 653. *festivitas j. classis.*
xv	d	iv	12	De Octava,
xiv	e	iij	13	De Octava,
xiij	f	Prid.	14	De Octava, S. Benedicti.
xij	g	Idib.	15	De Octava, *commemoratio.*
xj	A	xvij	16	De Octava,
x	b	xvj	17	De Octava,
ix	c	xv	18	OMNIUM SANCTORUM MONACHORUM Ordinis S. Benedicti, *festivitas ij. classis.*
viij	d	xiv	19	Thomæ Aquinatis, Presb. & Doct. (è 7. Mart.) an. 1274. *Canonizatio* 18. an. 1333. *festum simplex.*
vij	e	xiij	20	
vj	f	xij	21	
v	g	xj	22	MARIÆ MAGDALENES. 1. f. *festivitas iij. classis.*
iv	A	x	23	
iij	b	ix	24	
ij	c	viij	25	JACOBI ZEBEDÆI APOSTOLI. 1. sec. *festivitas iij. classis.*
j	d	vij	26	Joachim & Annæ, Parentum B. Mariæ Virg. *commemoratio.*

clus. ac̃t.	*Lit. Dom.*	*Dies Mensis.*		JULIUS.
	e	vj	27	
ix	f	v	28	
riij	g	iv	29	Lazari à Christo suscitati, & SS. Mariæ & Marthæ, sororum ejus, Christi hospitum. *festum simplex.*
rij	A	iij	30	
xvj	b	Prid.	31	Germani Autissiodorensis Ep. an. 448. vel 444. *unâ comm.* S. Lupi Trecensis Ep. a. 478. *festum simplex.*

AUGUSTUS.

xxiv	c	Kal.	1	Petri ad Vincula. an. 44. & 63. *festum simpl. & commem.* SS. Septem Fratrum Machabæorum Martyrum a. 167. *ante Christum.*
iij	d	iv	2	
rij	e	iij	3	
xj	f	Prid.	4	Dominici Presbit. Ord. Prædicat. Instit. an. 1211. *commem.*
x	g	Non.	5	
ix	A	viij	6	TRANSFIGURATIO DOMINI. an. 28. vel 32. *solemnitas iij. classis. commem.* S. Xysti Papæ & Mart. an. 258.
riij	b	vij	7	
vij	c	vj	8	
vj	d	v	9	
rv	e	iv	10	LAURENTII DIACONI ET MART. an. 258. *festivitas iij. classis.*
riv	f	iij	11	
riij	g	Prid.	12	Martyrum Africanorum Typasian. pro consubstantialitate Verbi. v. sec. *festum simplex.*
xij	A	Idib.	13	
xj	b	xix	14	Vigilia.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		AUGUSTUS.
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. 1. f. *festiv. j. classis.*
ix	d	xvij	16	De Octava, Assumptionis, *commemoratio.*
viij	e	xvj	17	De Octava, Assumptionis, *commemoratio.*
vij	f	xv	18	De Octava, Assumptionis, *commemoratio.*
vj	g	xiv	19	De Octava, Assumptionis, *commemoratio.*
v	A	xiij	20	Bernardi Claravall. Abb. & Eccl. Doct. an. 1153. *festum simplex. comm.* Octavæ.
iv	b	xij	21	De Octava, *commemoratio.*
iij	c	xj	22	Octava Assumptionis B. Mariæ. *festum simplex.*
ij	d	x	23	
j	e	ix	24	BARTHOLOMÆI APOSTOLI. 1. f. *festivitas iij. classis.*
*	f	viij	25	LUDOVICI IX. FRANCIÆ REG. an. 1270. *festivitas iij. classis.*
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	Cæsarii Arelat. Ep. & Ecclesf. Doct. an. 542. *commemoratio.*
xxvij	b	v	28	AUGUSTINI Hipp. Ep. & Eccl. Doct. an. 430. *festiv. iij. clas. unâ simul comm.* S. Monicæ viduæ, matris ejus. an. 387.
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptistæ. an. 28. vel. 32. *festum simplex.*
25. xxv	d	iij	30	
xxiv	e	Prid.	31	
				SEPTEMBER.
xxiij	f	Kal.	1	
xxij	g	iv	2	
xxj	A	iij	3	GREGORII MAGNI, Papæ & Eccl. Doct. (è 12 Mart.) an. 604. *ordinatio hâc die* : an. 590. *festivitas iij. classis.*
xx	b	Prid.	4	
xix	c	Non.	5	
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRG. *festivitas ij. classis.*

Cyclus

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		SEPTEMBER.
xv	g	v	9	
xiv	A	iv	10	
xiij	b	iij	11	
xij	c	Prid.	12	
xj	d	Idid.	13	
x	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis, imperante Heraclio. an. 628. *solemnitas iij. classis. commemoratio* S. Cornelii Pap. & Mart. (è 14) an. 252. vel 311. *Post Exaltationem S. Crucis, Feriis iv. vj. & Sabbato fiunt jejunia* IV. Temporum. *Officium annotatur in Proprio Sanctorum.*
ix	f	xvij	15	
viij	g	xvj	16	Euphemiæ Calcedon. Virg. & Mart. an. 307. *commemoratio.*
vij	A	xv	17	
vj	b	xiv	18	Joannis Chrysostomi Constantinop. Ep. & Ecclesf. Doct. (è 14) an. 407. *festum simpl.*
v	c	xiij	19	Cypriani Carthag. Ep. & Mart. (è 14) an. 258. *festum simplex.*
iv	d	xij	20	
iij	e	xj	21	Matthæi Apost. et Evang. 1. s. *festivitas iij. classis.*
ij	f	x	22	Mauritii & soc. Mart. an. 286. *commemoratio.*
j	g	ix	23	S. Theclæ Virginis & primæ Martyris. c. fin. j. s. *commemoratio.*
*	A	viij	24	Lini. c. an. 78. & Cleti c. an. 78. Pap. & Mart. *commemoratio.*
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Cosmæ & Damiani frat. Mart. c. init. iv. s. *commemoratio.*
25. xxvj	e	iv	28	
xxv. xxiv	f	iij	29	Michaelis Archangeli, & omnium SS. Angelorum. *festivitas iij. classis.*
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi, Presb. & Ecclesiæ Doct. an. 420. *festum simplex.*

OCTOBER.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		OCTOBER.
xxij	A	Kal.	1	Remigii Remensis, Episcopi (è 13 Jan.) c. an. 533. *Translatio hâc die*, c. an. 585. *festum simplex.*
xxj	b	vj	2	
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci Assisinatis Ord. Fratr. Min. Instit. an. 1226. *commemoratio.*
xviij	e	iij	5	PLACIDI ET SOCIORUM Mart. vj. f. *festivitas iij. classis.*
xvij	f	Prid.	6	Brunonis Ord. Carthus. Instit. an. 1101. *festum simplex.*
xvj	g	Non.	7	
xv	A	viij	8	
xiv	b	vij	9	Dionysii Paris. Ep. Rustici & Eleutherii Mart. an. 275 vel 286 *festum simplex.*
xiij	c	vj	10	Cyrilli Jerosolymitani Ep. (è 18 Mart.) an. 386. *festum simplex.*
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	
ix	g	Prid.	14	
viij	A	Idib.	15	Theresiæ Virg. Ord. Carmelit. Instaurat. an. 1582. *commemoratio.*
vij	b	xvij	16	
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	LUCÆ EVANGELISTÆ. I. f. *festivitas iij. classis.*
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	
ij	g	xij	21	Hilarionis, Abbatis. an. 371. vel 372. *commemoratio.*
j	A	xj	22	
*	b	x	23	Justini Philosoph. & Mart. (è 1. Aug.) an. 167. *festum simplex.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		OCTOBER.
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	
xxvij	e	vij	26	
xxvj	f	vj	27	
25. xxv	g	v	28	SIMONIS ET JUDÆ, APOST. 1. f. *festivitas iij. classis. com.* S. Anastasiæ Feminæ & Mart.
xxiv	A	iv	29	c. a. 305.
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Vigilia Omnium Sanctorum.

NOVEMBER.

xxj	d	Kal.	1	OMNIUM SANCTORUM. instit. c. an. 835 *festivitas j. classis.*
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM instit. an. 998. *festivitas ij. classis.*
xix	f	iij	3	De Octava, *commemoratio.*
xviij	g	Prid.	4	Caroli Boromæi Mediolan. Ep. an. 1584. *festum simpl. commemoratio* Octavæ.
xvij	A	Non.	5	De Octava, } Omnium, SS. *commemoratio.*
xvj	b	viij	6	De Octava, } Omnium, SS. *commemoratio.*
xv	c	vij	7	De Octava, } Omnium, SS. *commemoratio.*
xiv	d	vj	8	SS. RELIQUIARUM, inst. a. 1194. & Oct. omn. Sanct. *festivitas ij. classis*
xiij	e	v	9	VITONI, VIRDUNENSIS Ep. c. an. 525. *festivitas iij. classis.*
xij	f	iv	10	
xj	g	iij	11	MARTINI TURONENSIS Ep. an. 397. *festivitas iij. class.*
x	A	Prid.	12	
ix	b	Idib.	13	Martini, Papæ & Mart. an. 655. *commemoratio.*
viij	c	xviij	14	
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Neocæ-

Cyclus Epact.	*Litt. Dom.*	*Dies Mensis.*		NOVEMBER.
				ſareenſis Ep. an. 270. *commemoratio.*
iv	g	xiv	18	Odonis Cluniac. Abb. x ſ. *commemoratio.*
iij	A	xiiij	19	
ij	b	xij	20	
j	c	xj	21	Præſentatio B. Mariæ Virginis. *feſtum ſimplex*, *commem.* S. Columbani Abbatis. an. 592.
*.	d	x	22	Cæciliæ Virg. & Mart. ij. vel iij. ſ. *commemoratio.*
*xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. an. 100 *feſtum ſimplex.*
xxviij	f	viij	24	Chryſogoni, Martyris. an. 304. *commemoratio.*
xxvij	g	vij	25	Catharinæ, Virg. & Martyris. iv ſ. *commemoratio.*
xxv.xxvj	A	vj	26	Genovefæ Virg. an. 512. (ob. 3. Jan.) *Hodie Pariſiis, mem. Miraculi Ardentium.* an. 1131. *feſtum ſimplex.*
xxiv.xxv	b	v	27	*Prima ſedes Adventus.*
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ APOSTOLI. I. ſec. *feſtivitas iij. claſſis.*
				DECEMBER.
xx	f	Kal.	1	
xix	g	iv	2	
xviij	A	iij	3	*Ultima ſedes Adventûs.*
xvij	b	Prid.	4	
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viij	6	Nicolai Myrenſis Epiſc. iv. ſec. *feſtum ſimplex.*
xiv	e	vij	7	Ambroſii Mediol. Ep. & Eccl. Doct. an. 397. *feſtum ſimpl.*
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. *feſtivitas iij. claſſis.*

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		DECEMBER.
xij	g	v	9	
xj	A	iv	10	
x	b	iij	11	
ix	c	Prid.	12	
viij	d	Idib.	13	Luciæ, Virg. & Mart. an. 304 vel 305. *commemoratio.*
vij	e	xix	14	
vj	f	xviij	15	
v	g	xvij	16	
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
*	e	xij	21	THOMÆ, Apost. 1. s. *festivitas iij. classis.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia Natalis Domini.
xxvj	b	viij	25	NATALE DOMINI N. JESU-CHRISTI. *solemnitas j. classis.*
xxv	c	vij	26	STEPHANI DIACONI ET PROTOMART. an. 33. *festivitas ij. classis. commemoratio* Oct. Natalis Domini.
xxiv	d	vj	27	JOANNIS, APOSTOLI & Ev. an. 100. vel 104. *festivitas iij. classis. commemoratio* Oct. Natalis Domini.
xxiij	e	v	28	INNOCENTIUM MARTYRUM. 1. s. *festivitas iij. classis. commem.* Oct. Nat. Domini.
xxij	f	iv	29	De Octava } Natalis Domini.
xxj	g	iij	30	De Octava } Natalis Domini.
*19. xx	A	Prid.	31	De Octava } Natalis Domini. *Commemoratio* S. Sylvestri, Papæ an. 335.

* Hæc Epacta 19 nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum numero aureo xix.

QUO MORE AC MODO

RECITANDÆ SINT.

HORÆ CANONICÆ.

Santolius Victorinus.

1. ALTERNO Jeſſæa choro quæ carmina pſallis
Æternas Gens nata Deo perſolvere laudes,
Hic tibi ſervandas, quas ſcripſimus, accipe leges:
Qui formavit, habet, quibus audiat, & Deus aures.

2. Maxima debetur ſanctis reverentia Templis.
Hæc habitat Deus, & præſenti numine replet.
Hujus ad aſpectum, puræ ſine corpore mentes
Terrificæ trepidant crebra inter fulgura lucis.

3. Si mordet te noxa gravis, vel limine in ipſo
Ingreſſum paveas, ſceleris neque conſcius intres
Templa auguſta: ſacris Deus eſt penetralibus ultor.
Si quid at impuri contraxeris, elue labem
Confeſtim. Mundis oculis ſint omnia munda.
Pectoris ille tui ſacros habitare receſſus
Plus ambit, quàm juncta ſimul certo ordine ſaxa.
Sic loca ſancta, metu poſito, luſtratus adibis;
Et ſolves divina tuam in præconia linguam.

4. Ne venias, placare cupis ſi numinis iram,
Elatus caput, & bene-compto bellulus ore,
Promiſſoque capillitio, nec odoribus unctus,
Allicias ſpectantûm oculos; nec veſte placebis,
Moribus at puris: decus eſt ſibi ſplendida Virtus.

5. Ne rerum species violent sacraria mentis,
Captivos sensus durâ sub lege tenebis;
Acceptoque jugo, dociles tua jussa capessent,
Mentis ad imperium. MULTÙM est componere sensus.

6. In toto sedeat depicta modestia vultu;
Ut qui te videat, propiori numine tactus,
Sentiat esse Deum præsentem, & pronus adoret.

7. Ne nimiùm celeri confundas omnia cantu;
Sed paveas ad verba, ipso dictata TONANTE.
Plena Deo sunt verba. Moras servare memento;
Cantanti prodest, seu pectora fessa subinde
Respirent, seu mens, quod profert lingua, revolvat,
Et sacras voces arcano ruminet ore.
Ad numeros hilarem lentus ne protrahe cantum,
Nec te adeò recreet vocis sonus: intima rerum
Scrutare, & sensus tecum meditare profundos.

8. Non incompositis lædas clamoribus aures;
Nec leviore sono molles imitabere cantus,
Fractaque femineo supplantans verba palato,
Captabis plausum indecorem: nam talia spernit
Vota, precesque Deus. Puri suspiria cordis,
Et tacitos gemitus attentis auribus audit.

9. At neque cantanti rictus distorqueat ora
Vastior, & rupto se vox de gutture trudat,
Unde solent resonare immani templa boatu.
Non clamore Deus placatur. Ut audiat alto
E solio, nil vocis eget. Vos surda, Prophetæ,
Numina necquicquam valido pulmone vocastis.

10. Concordes animos monſtret concordia vocum,
Par ſtudium. Variâ pro conditione locorum
Ritè obſerventur, quæ ſunt præſcripta quotannis.

11. Abſint bella, procul ſacris diſcordia Templis;
Pro ritu ancipiti ſi quid peccatur, in ipſo
Advertens culpam momento corrige, dum res
Et tempus tulerit. Si qui tibi fortè reſiſtant,
Nec valeas ſolus te contra opponere turbæ:
Errorem permitte. Deo gratiſſimus error!
Mox cujus fuerat melior ſententia, prudens,
Paulatim cum ſe malè-nata remiſerit ira,
Errorem oſtendas, & erit tibi gloria major.

12. Ne tibi longa nimis ſubeant faſtidia cantûs,
Te ſuper aſtra feras; propriis mens libera vinclis
Audeat interdum ſedes percurrere ſanctas,
Cœleſteſque intrare domos. Te junge ſupernis
Obvius agminibus, Superiſque admixtus, adora
Quem cœli prona aula canit, quem terque Beatum,
Terque canit Sanctum. Sic tu novus ætheris hoſpes,
Laudare incipies quem mox laudabis in ævum.
Pectus inundabit quàm pura & ſancta voluptas!

Felix, ſi nondum exutus mortalia membra,
Has retinens leges, patrio præludis Olympo!

Cùm Domino pſalles, pſallendo tu tria ſerves:
Sit tibi cor ſurſum, bene profer, reſpice ſenſum.
Auſcultando cane, ſimul incipe, deſine plane.
Sit mens ſublimis, pes junctus, viſus in imis.



REGULÆ

'RIVATÆ ORATIONES

ET POST OFFICIUM DIVINUM.

itationem Officii Divini.

:NE, doce nos orá- Ipſe Spíritus pó- ı nobis gemítibus ıílibus. Miſerére ɪs, & exaudi ora- neam. *Luc.* 11. *Pſ.* 4.

cium Nocturnum, Completorium, stò dicitur :

noſter, qui es in , ſanctificétur no- m ; advéniat re- ım ; fiat voluntas : in cœlo & in ter- n noſtrum quoti- da nobis hódie, : nobis débita no- & nos dimíttimus us noſtris : & ne as in tentatiónem ; nos à malo. Amen.

Maria, grátiâ ple- Dóminus tecum ; tu in muliéribus, ctus fructus ven- ESUS. Sancta Ma- ter Dei, ora pro catóribus, nunc, â mortis noſtræ.

Credo in Deum, Patrem omnipoténtem, creatórem cœli & terræ : Et in Jeſum Chriſtum Fílium ejus únicum, Dóminum noſtrum, qui conceptus eſt de Spíritu Sancto, natus ex Mariâ Vírgine ; paſſus ſub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, & ſepultus : deſcendit ad ínferos ; tértiâ die reſurrexit à mórtuis : aſcendit ad cœlos ; ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, ſanctam Eccléſiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remiſſiónem peccatórum, carnis reſurrectiónem, vitam æternam. Amen.

Poſt recitationem Officii Divini.

Sedenti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & poteſtas in sécula ſeculórum. Amen.

Soli ſapienti Deo, per Jeſum Chriſtum, honor & glória in sécula ſeculórum. Amen.

Veni, Dómine Jesu. Amen. *Apoc.* 5. *Rom.* 16. *Apoc.* 22.

ORATIO.

Ex antiquis Psalteriis, apud Thomasium.

Salva nos, omnípotens Deus; & per mérita Dómini nostri Jesu Christi, & intercessiónem sanctæ Dei Genitrícis Maríæ, omniumque Sanctórum, esto nobis propítius & clemens; concessâque véniâ peccatórum, da nobis, deinceps velle, posse, & perfícere quæ tibi placent, & nobis expédiunt. Da nobis in tribulatióne solátium, in persecutióne auxílium, in omni tentatióne virtútem. Da nobis de prætéritis véniam, de præséntibus quoque malis emendatiónem; atque de futúris largíri nobis dignáre custódiam; Per eumdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

EXCERPTA

Ex Regulis generalibus Officii Divini.

I. Oratio Dominica *Pater*, & Salutatio Angelica *Ave*, secretò dicuntur ante Horas quaslibet, excepto Completorio. Si Hora jungatur Officio præcedenti, tunc ante ejus initium minime dicuntur. In fine unius cujusque Horæ, nisi aliud Officium sequatur, dicto *Benedicamus*, etiam secreto dicuntur: *Pater &c.* & *Ave &c.* Salutatio Angelica sola dicitur ante Offic. votiv. B. Mariæ Virg.

II. Quando, ad Horas & Vesperas, Laudum ressumuntur Antiphonæ, quarta semper prætermittitur.

III. Cujuslibet Officii Collecta, semper ad Laudes præfigitur.

IV. Crucicul † & asterisc * tum in Lection. brev. tum in Collectis, cantûs modulationem indicant.

ERRATA.

In Monit pag. 10. *lin.* 19. nihil. *leg.* vix. *In Brev. pag.* 22. *lin.* 9. &. *leg.* aut. *pag.* 47. *col.* 1. *lin.* 3. clamat. *leg.* clamet. *pag.* 112. *col.* 1. *lin.* 30. carnem. *leg.* carne. *pag.* 200. *col.* 2. *lin.* 39. &. *leg.* est. *pag.* 263. *col.* 1. *lin.* 2. habitabit. *leg.* habitavit. *pag.* 282. *col.* 2. *lin.* 23. utili. *leg.* rutili. *pag.* 35 . *col.* 1. *lin.* 21. frumento. *leg.* frumenta. *pag.* 382. *col.* 2. *lin.* 3. propitius. *leg.* proprius.

Si quæ & alia menda Typographicis curis, rara admodum, in punctis & apicibus, effugêre, studiosâ indagine compertum est vix ullum inesse, quod scalpello expungere, aut calamo, lector benevolus emendare non possit.

Variantes, quæ in Psalmis passim occurrunt, delineatas perlegere est ad finem Moniti Æstivæ Partis, *pag.* 15.

ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES

Dicendæ in Officio nocturno ante Lectiones.

DOMINICA
Ut in Psalterio.

IN SOLEMNITATIBUS DOMINI.

IN I. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *II. Mach.* 1.

ADapériat Deus cor vestrum in lege suâ, & in præceptis suis, & fáciat pacem. ℟. Amen.

Benedictio. Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *Ephes.* 4.

OCcurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. ℟. Amen.

Benedictio. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. *I. Joan.* 5. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *Rom.* 15.

DEus spei répleat vos omni gáudio, & pace in credendo; ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs sancti. ℟. Amen.

Benedictio. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16. ℟. Amen.

IN FESTIVITATIBUS SANCTORUM.
XII. Lectionum.

IN I. NOCTURNO.

Absolutio. Adapériat, &c.

Benedictio. Deus Dómini, &c. *ut suprà in Solemnitatibus.*

IN II. NOCTURNO.

ABSOLUTIO. *Act.* 26.

APeriantur óculi nostri, ut convertámur à ténebris ad lucem, & accipiámus sortem inter Sanctos. ℟. Amen.

Benedictio. Deus det nobis illuminátos óculos cordis, ut sciámus quæ sit spes vocatiónis ejus in Sanctis. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Absolutio. Deus spei, &c.

Benedictio. Spíritus veritátis, &c. *ut suprà in Solemnitatibus.*

In Festis Sanctorum *Simplicibus, ut in diebus privatis III. Lectionum.*

Absolutio, *semper ut in Psalterio, Feriâ occurrente.*

1. *Benedictio.* Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

2. *Benedictio.* Dignos nos fáciat Deus in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. *Coloss.* 1. ℟. Amen.

In Officio Feriali,

Et etiam in diebus intra Octavas solemnitatum Domini.

Absolutio, *ut in Psalterio, Feriâ occurrente.*

1. *Benedictio.* Sciámus supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3. ℟. Amen.

2. *Benedictio.* Deus apériat nobis óstium sermónis, ad loquendum mystérium Christi. *Coloss.* 4. ℟. Amen.

In Officio votivo beatæ Mariæ Virginis, Absolutiones annotantur.

In Officiis Defunctorum, non habentur Absolutiones neque Benedictiones.



PSALTERIUM



PSALTERIUM

PER HEBDOMADAM

DISPOSITUM,

AD MENTEM PATRIS NOSTRI

SANCTI BENEDICTI.

PARS HIEMALIS.

DOMINICA.

Christus resurgens : Dei & divinæ legis laus & amor.

AD OFFICIUM NOCT.

Dictis secretò Pater, Ave, Credo; *altâ voce dicitur :*

DEus, † in adjutórium meū intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festina. *Ps.* 69.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto :

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen. Allelúia. *Post Septuagesimam*, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Dein ter, Dómine, † lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50.

*Asteriscus hic * denotat mediationem & pausam.*

PSALMUS 3.

Christus resurgens : salus in se sperantium Deus.

1. DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me ? * multi insurgunt adversùm me.

2. Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

3. Tu autem, DÓMINE, ſuſceptor meus es, * glória mea, & exaltans caput meũ.

4. Voce meâ ad DÓMINUM clamávi; * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

5. Ego dormívi, & ſoporátus ſum, & exurrexi; * quia DÓMINUS ſuſcépit me.

6. Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * exurge, DÓMINE; ſalvum me fac, Deus meus.

7. Quóniam tu percuſiſti omnes adverſantes mihi ſine causâ: * dentes peccatórum contriviſti.

8. DÓMINI eſt ſalus: * & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui ſancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, * & in ſécula ſeculórum. Amen.

Hi duo Verſus dicuntur in fine omnium Pſalmorum, Diviſionum & Canticorum, niſi aliter notetur.

Sic inchoantur Vigiliæ in ſingulis noctibus.

In Dominicis ab Epiphaniâ ad Septuageſimam, in Pſalmum Veníte, *Antiphona, ſeu Invitatorium:*

Chriſtum Jeſum, qui débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miſéricors fieret, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 2. *Repetitur.*

In cæteris Temporibus, ut in Proprio de Tempore.

PSALMUS 94.

Invitatio ad Dei laudes, adorationem & obſequium.

VEníte, exultémus DÓMINO; jubilémus Deo ſalutári noſtro: præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne, & in pſalmis jubilémus ei.

Repetitur: Chriſtum Jeſum, qui débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miſéricors fieret, * Veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus DÓMINUS, & Rex magnus ſuper omnes deos; quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipſe cónſpicit; quóniam ipsíus eſt mare, & ipſe fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus.

Repetitur: * Veníte, adorémus.

Veníte, adorémus, (*hìc procíditur.*) & procidámus ante Deum; plorémus coram DÓMINO qui fecit nos: quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter; nos autem pópulus manûs ejus, & oves páſcuæ ejus.

Repetitur: Chriſtum Jeſum, qui débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miſéricors fieret, * Veníte, adorémus.

Hódiè ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra, ſicut in exacerbatióne, ſecundùm diem tentatiónis in deſerto, ubi

tentavérunt me patres vestri, probavérunt me, & vidérunt ópera mea.

Repetitur : * Veníte, adorémus.

Quadraginta annis offensus fui generatióni huic; & dixi : Semper hi errant corde : ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in irâ meâ : Si introíbunt in réquiem meã.

Repetitur : Christum Jesum, qui débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fieret, * Veníte, adorémus.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto : sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen.

Repetitur : * Veníte, adorémus.

Antiphona. Christum Jesum, qui débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fieret, * Veníte, adorémus.

Prædictus modus dicendi Psalmum Veníte, *cum suâ Antiphonâ, cuilibet Tempori vel Festo propriâ, servatur in quocumque Officio.*

HYMNUS. *S. V.*

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

FAc, Christe, nostrî grátiâ
Defunctæ tot labóribus,
Ut mente gratâ, sic piis
Hos prædicári cántibus.
Castæ parentis in sinu
Indúsus ardébas pati;
Æternus, ut discas mori,
Mortále corpus índuis.
Vix natus imbellis puer
Acúta sentis frígora;
En vile pro molli thoro
Fœnum tibi suppónitur.
Amóre te facis reum;
Fers sponte pœnas innocens.
Nec éximis te légibus,
Suprémus ipse legifer.
Qui primus excísâ cruor
E parte stillat córporis
Mẽbris micans ex ómnibus
Torrentis instar próruet.
Qui mucro lactẽtes necat,
Idem tuum pectus fodit;
Et quo cadébant párvuli,
Hoc tu cadébas vúlnere.
Exul Deus promptâ fugâ
Tuæ salúti cónsulis;
Intras Pharon verax Deus,
Mistus diis mendácibus.
Qui natus es de Vírgine,
JESU, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS I.

Justorum beatitudo in amore Dei, & legis ejus : sors malorum metuenda.

1. BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in viâ peccatórum non stetit, * & in cáthedrâ pestiléntiæ non sedit:

2. Sed in lege DÓMINI voluntas ejus; * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

3. Et erit tamquàm lignũ

quod plantátum est secus decursus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo, & fólium ejus non défluet:

4. Et ómnia quæcumque fáciet, * prosperabuntur.

5. Non sic ímpii, non sic; * sed tamquàm pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

6. Ideò non resurgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórũ.

7. Quóniam novit Dóminus, viam justórum; * & iter impiórum peribit.

Ant. Novit Dóminus viam justórum, & iter impiórum peribit.

II. Psalmus 2.

Christi incarnatio, victoria & imperium.

1. QUarè fremuérunt gẽtes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

2. Astitérunt Reges terræ, & Príncipes convenérunt in unum, * adversùs Dóminum & adversùs Christum ejus.

3. Dirumpámus víncula eórum; * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

4. Qui hábitat in cœlis, irridébit eos; * & Dóminus subsannábit eos.

5. Tunc loquétur ad eos in irâ suâ; * & in furóre suo conturbábit eos.

6. Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

7. Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu; ego hódiè génui te.

8. Póstula à me; & dabo tibi gentes hereditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

9. Reges eos in virgâ férreâ, * & tamquàm vas fíguli confringes eos.

10. Et nunc, Reges, intellígite; * erudímini, qui judicátis terram.

11. Servíte Dómino in timóre; * & exsultáte ei cum tremóre.

12. Apprehéndite disciplínam; * nequandò irascátur Dóminus, & pereátis de viâ justâ.

13. Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confidunt in eo.

Ant. Servíte Dómino in timóre, & exsultáte ei cum tremóre.

III. Psalmus 15.

Christi Personam gerens Rex Propheta, ejus prædicit Resurrectionem.

1. COnserva me, Dómine; * quóniam sperávi in te.

2. Dixi Dómino: Deus meus es tu: * quóniam bonórum meórum non eges.

3. Sanctis qui sunt in terrâ ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

4. Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum; * pósteà acceleravérunt.

5. Non congregábo con-

ventícula eórum de sanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

6. DÓMINUS pars hereditátis meæ, & cálicis mei: * tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

7. Funes cecidérunt mihi in præcláris, * étenim heréditas mea præclára est mihi.

8. Benedícam DÓMINUM, qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

9. Providébam DÓMINUM in conspéctu meo semper; * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

10. Propter hoc lætátum est cor meum, & exsultávit lingua mea; * ínsuper & caro mea requiéscet in spe.

11. Quóniam non derelínques ánimam meam in inferno, * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

12. Notas mihi fecísti vias vitæ; adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxterâ tuâ usque in finem.

Ant. Dóminus pars hereditátis meæ, & calicis mei.

IV. PSALMUS 20.

Ecclesia de Christi Regis sui victoriis gratias agit.

1. DOMINE, in virtúte tuâ lætábitur Rex: * & super salutáre tuum exsultábit veheménter.

2. Desidérium cordis ejus tribuísti ei; * & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

3. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

4. Vitam pétiit à te; & tribuísti ei: * longitúdinem diérum in séculum, & in séculum séculi.

5. Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

6. Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

7. Quóniam Rex sperat in DÓMINO; * & in misericórdiâ Altíssimi non commovébitur.

8. Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

9. Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * DÓMINUS in irâ suâ conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

10. Fructum eórum de terrâ perdes, * & semen eórum à fíliis hóminum.

11. Quóniam declinávérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

12. Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

& psalmum dicam DÓMINO.

12. Exaudi, DÓMINE, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miserére meî, & exaudi me.

13. Tibi dixit cor meum: exquisívit te fácies mea; * fáciem tuam, DÓMINE, requíram.

14. Ne avertas fáciem tuam à me; * ne declínes, in irâ, à servo tuo.

15. Adjútor meus esto; ne derelinquas me: * neque despícias me, Deus salutáris meus.

16. Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * DÓMINUS autem assumpsit me.

17. Legem pone mihi, DÓMINE, in viâ tuâ; * & dírige me in sémitam rectâ, propter inimícos meos.

18. Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui; & mentíta est iníquitas sibi.

19. Credo vidére bona DÓMINI, * in terrâ vivéntium.

20. Expecta DÓMINUM, viríliter age: * & confortétur cor tuum, & sústine DÓMINUM.

Ant. Tibi dixit cor meũ; exquisívit te fácies mea: fáciem tuam, Dómine, requíram.

II. PSALMUS 27.

Christi & justorum inter adversa spes resurgendi.

1. AD te, DÓMINE, clamábo; Deus meus, ne síleas à me; * nequando táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

2. Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dùm oro ad te; * dùm extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

3. Ne simul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

4. Qui loquuntur pacem cum próximo suo; * mala autem in córdibus eórum.

5. Da illis secundùm ópera eórum, * & secundùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

6. Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

7. Quóniam non intellexérunt ópera DÓMINI, & in ópera mánuum ejus; * déstrues illos, & non ædificábis eos.

8. Benedictus DÓMINUS: * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

9. DÓMINUS adjútor meus, & protector meus: * in ipso sperávit cor meum, & adjutus sum.

10. Et reflóruit caro mea; * & ex voluntáte meâ confitébor ei.

11. Dóminus fortitúdo plebis suæ; * & protéctor salvatiónum christi sui est.

12. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hereditáti tuæ; * & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

Ant. In Dómino sperávit cor meum, & adjútus sum; & reflóruit caro mea.

III. Psalmus 29.

Christus post suos in passione labores, & suam in resurrectione victoriam, gratias agit.

1. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me; * nec delectasti inimícos meos super me.

2. Dómine, Deus meus, clamávi ad te; * & sanasti me.

3. Dómine, eduxísti ab inferno ánimam meam: * salvasti me à descendéntibus in lacum.

4. Psállite Dómino, sancti ejus; * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

5. Quóniam ira in indignatióne ejus; * & vita in voluntáte ejus.

6. Ad vésperum demorábitur fletus; * & ad matutínum lætítia.

7. Ego autem dixi in abundántiâ meâ: * Non movébor in æternum.

8. Dómine, in voluntáte tuâ, * præstitisti decóri meo virtútem.

9. Avertisti fáciem tuam à me; * & factus sum conturbátus.

10. Ad te, Dómine, clamábo; * & ad Deum meum deprecábor.

11. Quæ utílitas in sánguine meo; * dum descendo in corruptiónem?

12. Numquid confitébitur tibi pulvis; * aut annuntiábit veritátem tuam?

13. Audívit Dóminus, & misertus est meî: * Dóminus factus est adjútor meus.

14. Convertisti planctum meum in gáudium mihi: * conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætítiâ:

15. Ut cantet tibi glória mea, * & non compungar.

16. Dómine, Deus meus, * in æternum confitébor tibi.

Ant. Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam; salvasti me à descendéntibus in lacum.

IV. Psalmus 95.

Regnat super gentes Christus, per quem cœli facti sunt.

1. Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

2. Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

3. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus:

4. Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos:

5. Quóniam omnes dii géntium, dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

6. Conféssio & pulchritúdo in conspectu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

7. Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam & honórem: * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

8. Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

9. Commoveátur à fácie ejus universa terra: * dícite in géntibus: Quia Dóminus regnávit.

10. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

11. Lætentur cœli, & exultet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi & ómnia quæ in eis sunt.

12. Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

13. Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte suâ.

Ant. Dícite in géntibus: Quia Dóminus regnávit.

V. Psalmus 96.

Christus Rex exaltatus super omnes deos: ab Angelis adorando.

1. Dóminus regnávit; exultet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

2. Nubes, & calígo in circúitu ejus: * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

3. Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

4. Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

5. Montes sicut cera fluxérunt, à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

6. Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

7. Confundantur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriantur in simulácris suis.

8. Adoráte eum, * omnes Angeli ejus.

9. Audívit, & lætáta est Sion: * & exultavérunt fíliæ Judæ, propter judícia tua, Dómine.

10. Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

11. Qui dílígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

12. Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

13. Lætámini, justi, in Dómino; * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Adoráte eum, omnes Angeli ejus.

VI. Psalmus 97.

Christus resurgens notum facit gentibus salutare suum.

1. Cantáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit.

2. Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

3. Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

4. Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israel.

5. Vidérunt omnes términi terræ, * salutáre Dei nostri.

6. Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

7. Psállite Dómino in cítharâ: * in cítharâ & voce psalmi.

8. In tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ, * jubiláte in conspectu Regis Dómini.

9. Moveátur mare, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

10. Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini; * quóniam venit judicáre terram.

11. Judicábit orbem terrárum in justítiâ, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

℣. Notas mihi fecisti vias vitæ: ℟. Adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo. *Ps.* 15.

Absolutio. *Ephes.* 4.

Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Fílii Dei, ut non circumferámur omni vento doctrínæ. ℟. Amen.

Benedictio. *I. Joan.* 5.

Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. ℟. Amen.

In Festivitatibus, Absolutio & Benedictio propria.

IN III. NOCTURNO.

In Adventu, Cantica, Ant. & ℣. ut in Proprio.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam, Cantica ut in Natali Domini.

Ant. Deus noster in terris visus est, & cum homínibus conversátus est. *Bar.* 3.

℣. Véritas de terrâ orta est; ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84.

Post Septuagesimam.

I. CANTICUM. *I. Paral.* 29.

In manu Domini magnitudo & imperium omnium.

1. BEnedictus es, Dómine, Deus Israel patris nostri, * ab æterno in æternum.

2. Tua est, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória: * & tibi laus.

3. Cuncta enim quæ in cœlo sunt, & in terrâ, tua sunt: * tuum, Dómine, regnum, & tu es super omnes príncipes.

4. Tuæ divítiæ, & tua est glória: * tu domináris ómnium.

5. In manu tuâ virtus & poténtia: * in manu tuâ magnitúdo, & impérium ómnium.

II. CANTICUM. *Sap.* 11.

Deus nil odit eorum quæ fecit.

1. OMnia in mensúrâ, & número, & póndere, * dispósuisti;

2. Multùm enim valére tibi soli supérerat semper: * & virtúti bráchii tui quis resistet?

3. Quóniam tamquàm momentum statéræ, sic est ante te orbis terrárum; * & tamquàm gutta roris antelucáni, quæ descendit in terram.

4. Sed miseréris ómnium, quia ómnia potes; * & dissimulas peccáta hóminum, propter pœniténtiam.

5. Díligis enim ómnia quæ sunt, & nihil odisti eórum quæ fecisti: * nec enim ódiens áliquid constituisti, aut fecisti.

6. Quómodo autem posset áliquid permanére, nisi tu voluisses? * aut quod à te vocátum non esset, conservarétur?

7. Parcis autem ómnibus; * quóniam tua sunt, Dómine, qui amas ánimas.

III. CANTICUM. *Ibid.* 12.

Justus Dominus justè & suaviter omnia disponit.

1. O Quàm bonus & suávis est, Dómine, * spíritus tuus in ómnibus!

2. Non enim est álius Deus quàm tu, cui cura est de ómnibus; * ut ostendas quóniam non injustè júdicas judícium.

3. Cùm ergo sis justus, * justè ómnia dispónis.

4. Ipsum quoque qui non debet puníri, condemnáre, * éxterum æstimas à tuâ virtúte.

5. Virtus enim tua justítiæ inítium est; * & ob hoc quòd ómnium Dóminus es, ómnibus te párcere facis.

6. Virtútem enim ostendis tu, * qui non créderis esse in virtúte consummátus,

7. Et horum qui te nésciunt, * audáciam tradúcis.

8. Tu autem dominátor virtútis, cum tranquillitáte júdicas; * & cum magnâ reveréntiâ dispónis nos.

9. Subest enim tibi, * cùm volúeris, posse.

10. Docuisti autem pópulum tuum per tália ópera; * quóniam oportet justum esse & humánum.

11. Et bonæ spei fecisti filios tuos; * quóniam júdicans das locum in peccátis, pœniténtiæ.

12. Cùm ergo das nobis disciplínam, inimícos nostros multiplíciter flagellas, * ut bonitátem tuam cogitémus judicantes:

13. Et cùm de nobis judicátur, * sperémus misericórdiam tuam.

Ant. Parcis ómnibus; quóniam tua sunt, Dómine, qui amas ánimas. *Sapient.* 11.

℣. Justus Dóminus in ómnibus viis suis, ℟. Et sanctus in ómnibus opéribus suis. *Ps.* 144.

Absolutio. *Rom.* 15.

Deus spei répleat vos omni gáudio & pace in credendo, ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs sancti. ℟. Amen.

Benedictio. *Joan.* 16.

Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. ℟. Amen.

Lectiones cum Responsoriis in Proprio.

Hymnus.

1. Te Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

2. Te æternum Patrem * omnis terra venerátur.

3. Tibi omnes Angeli, * tibi Cœli, & univérsæ Potestátes.

4. Tibi Chérubim & Séraphim * incessábili voce proclámant:

5. Sanctus,

6. Sanctus,

7. Sanctus, * Dóminus Deus Sábaoth.

8. Pleni sunt cœli & terra * majestátis glóriæ tuæ.

9. Te gloriósus * Apostolórum chorus,

10. Te Prophetárum * laudábilis númerus,

11. Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

12. Te, per orbem terrárum, * sancta confitétur Ecclésia;

13. Patrem * immensæ majestátis:

14. Venerandum tuum verum * & únicum Filium:

15. Sanctum quoque * Paraclétum Spíritum.

16. Tu, Rex glóriæ, * Christe:

17. Tu Patris * sempitérnus es Filius.

18. Tu, ad liberandum, suscepturus hóminem, * non horruisti Vírginis úterum.

19. Tu, devícto mortis acúleo, * aperuisti credéntibus regna cœlórum.

20. Tu ad déxteram Dei sedes, * in glóriâ Patris.

21. Judex créderis * esse ventúrus.

22. Te ergò quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemisti.

23. Ætemâ fac, cum sanctis tuis, * nos glóriâ munerári.

24. Salvum fac pópulum tuum, Dómine; * & bénedic hereditáti tuæ.

25. Et rege eos, * & extolle illos usque in æternum.

26. Per síngulos dies * benedícimus te.

27. Et laudámus nomen tuum in séculum, * & in séculum séculi.

28. Dignáre, Dómine, die isto, * sine peccáto nos custodíre.

29. Miserére nostrî, Dómine, * miserére nostrî.

30. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

31. In te, Dómine, sperávi: * non confundar in æternum.

Legitur à Præside Chori Evangelium diei, in cujus fine ℟. Amen. *Hymnus:* Te decet laus, te decet hymnus; tibi glória Deo Patri & Fílio, cum sancto Spiritu, in sécula seculórum. Amen.

Subjungit Præses Collectam diei, & sic terminatur Officium nocturnum.

AD LAUDES.

Deus, † in adjutórium

PSALMUS 66.

Sine Antiphonâ.

Ut ab omnibus gentibus cognoscatur & laudetur Deus, exoptat Ecclesia.

1. DEus misereátur nostrî, & benedícat nobis; * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostrî:

2. Ut cognoscámus in terrâ viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

3. Confiteantur tibi pópuli, Deus; confiteantur tibi pópuli omnes: * lætentur & exultent gentes,

4. Quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * & gentes in terrâ dírigis.

5. Confiteantur tibi pópuli, Deus; confiteantur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

6. Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus, * & métuant eum omnes fines terræ.

I. PSALMUS 62.

In cælum suspirat anima divinæ bonitatis contemplatione.

1. DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

2. Sitívit in te ánima mea; * quàm multiplíciter tibi caro mea!

3. In terrâ desertâ, & inviâ, & inaquósâ, sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

4. Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

5. Sic benedícam te in vitâ meâ; * & in nómine tuo levábo manus meas.

6. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea; * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

7. Si memor fui tuî super stratum meum, * in matutinis meditábor in te:

8. Quia fuisti adjútor meus: * & in velamento alárum tuárum exultábo.

9. Adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

10. Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meã; * introíbunt in inferióra terræ.

11. Tradentur in manus gládii; * partes vúlpium erunt.

12. Rex verò lætábitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquéntium iníqua.

Ant. In matutinis meditábor in te, Dómine.

II. PSALMUS 92.

Christi regnum & eloquia extolluntur.

1. DOMINUS regnávit; decórem indútus est: * indútus est DÓMINUS fortitúdinem, & præcinxit se.

2. Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

3. Paráta sedes tua ex tunc: * à sæculo tu es.

4. Elevavérunt flúmina, DÓMINE, * elevavérunt flúmina vocem suam.

5. Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

6. Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis DÓMINUS.

7. Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, DÓMINE, in longitúdinem diérum.

Ant. Indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se.

III. PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

1. JUbiláte Deo, omnis terra: * servíte DÓMINO in lætítiâ; introíte in

conſpectu ejus in exultatióne.

2. Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus: * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

3. Pópulus ejus & oves páſcuæ ejus, introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi; laudáte nomen ejus.

4. Quóniam ſuávis eſt Dóminus: * in ætérnum miſericórdia ejus; & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Laudáte nomen ejus; quóniam ſuávis eſt Dóminus.

IV. Canticum. *Dan.* 3.

Trium puerorum exhortatio ad omnes creaturas, ut benedicant Domino.

1. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

2. Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

3. Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

4. Benedícite, ſol & luna, Dómino: * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

5. Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

6. Benedícite, ignis & æſtus, Dño: * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

7. Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dño.

8. Benedícite, glácies & nives, Dómino: * benedícite, noctes & dies, Dño.

9. Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

10. Benedícat terra Dóminum; * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula.

11. Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univerſa germinántia in terrâ, Dómino.

12. Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

13. Benedícite, cete & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

14. Benedícite, omnes béſtiæ & pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

15. Benedícat Iſrael Dóminum: * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula.

16. Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino.

17. Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino: * benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino.

18. Benedícite, Anania,

Azaría, Mísaël, Dómino :* laudáte & superexaltáte eum in sécula.

Hìc loco Glória Patri, *dicitur :*

19. Benedicámus Patrem & Fílium cum sancto Spíritu : * laudémus & superexaltémus eum in sécula.

20. Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli : * & laudábilis, & gloriósus & superexaltátus in sécula.

Ant. Sol & luna, lux & ténebræ, noctes & dies, benedícite Dómino.

V. PSALMUS 148.

Ad Dei laudes omnes invitantur creaturæ.

1. LAudáte DÓMINUM de cœlis; * laudáte eum in excelsis.

2. Laudáte eum, omnes Angeli ejus; * laudáte eum, omnes Virtútes ejus.

3. Laudáte eum, sol & luna : * laudáte eum, omnes stellæ & lumen.

4. Laudáte eum, cœli cœlórum : * & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen DÓMINI.

5. Quia ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandávit, & creáta sunt.

6. Státuit ea in ætermum & in séculum séculi : * præceptum pósuit, & non prætéribit.

7. Laudáte DÓMINUM de terrâ, * dracónes, & omnes abyssi :

8. Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum; * quæ fáciunt verbum ejus :

9. Montes, & omnes colles; * ligna fructifera, & omnes cedri :

10. Béstiæ & universa pécora, * serpentes, & vólucres pennátæ.

11. Reges terræ, & omnes pópuli; * príncipes, & omnes júdices terræ :

12. Júvenes, & vírgines;* senes cum junióribus :

13. Laudent nomen DÓMINI; * quia exaltátum est nomen ejus solius.

14. Conféssio ejus super cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli sui.

15. Hymnus ómnibus sanctis ejus; * filiis Israel, pópulo appropinquanti sibi.

Ant. Laudáte eum, omnes Angeli ejus : laudáte eum, omnes Virtútes ejus.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

LECTIO. *Ephes.* 2.

ERámus natúrâ filii iræ, sicut & céteri; † Deus autem, qui dives est in misericórdiâ, propter nimiam caritátem suam, quâ diléxit nos, * & cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo Jesu, cujus grátiâ estis salváti.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Benedictiónem dabit Legislátor; * Ibunt

de virtúte in virtútem. ℟. Benedictiónem. ℣. Vidébitur Deus deórum in Sion. * Ibunt. Glória. Benedictiónem. *Ps.* 83.

HYMNUS. *S. V.*

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

DIvíne, crescébas, Puer,
Crescendo discébas mori;
Hæc destináta tunc erant
Mortis tuæ prælúdia.

Satus Deo, volens tegi,
Elégit obscúrum patrem:
Qui fecit æternas domos
Domo latet sub páupere.

Cœlũ manus quæ sústinẽt
Fabríle contrectant opus:
Suprémus astrórum parens
Fit ipse vilis ártifex.

Tremenda cujus præpetes
Mandáta portant Spíritus,
Cui pronus orbis súbditur,
Se sponte fabro súbjicit.

Præceptor & dux géntiũ,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Intende, prósperè procéde & regna; ℟. Propter veritátem & mansuetúdinem & justítiam. *Ps.* 44.

CANT. ZACH. *Luc.* I.

Gratiarum actio de Incarnationis beneficio.

1. BEnedictus Dóminus, Deus Israel; * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ:

2. Et erexit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui:

3. Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à século sunt, Prophetárum ejus:

4. Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

5. Ad faciendam misericórdiam cum pátribus nostris; * & memorári testamenti sui sancti:

6. Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:

7. Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi,

8. In sanctitáte & justítiâ coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

9. Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:

10. Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum,

11. Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto;

12. Illumináre his qui in ténebris & in umbrâ mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Antiphona & Collecta ut in Proprio.

A Præside Chori dicitur: Kyrie, eleéson: *Chorus*,

Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. *A Præside altâ voce:* Pater noster. *Ad hæc verba exclusivè:* Sed líbera nos à malo: *quæ à Choro respondentur. Tùm Hebdomadarius dicit:* Dóminus vobiscum. *Chorus,* ℟. Et cum spíritu tuo. *Hebdomadarius, dicto* Orémus, *subjungit Collectam. Chorus* ℟. Amen. *Fiunt deinde, si quæ occurrant, Commemorationes. Hebdomadarius dicit:* Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. *Et sic semper terminatur Officium.*

AD PRIMAM.

Deus, † in adjutórium.

HYMNUS. *C.*

JAm lucis orto sídere,
Deū precémur súpplices;
Nostras ut ipse dírigat
Lux increáta sémitas.

Nil lingua, nil peccet manus;
Nil mens ináne cógitet;
In ore simplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dùm fluet dies,
O Christe, sis custos vigil:
Da mente scire quod doces,
Da corde, quod jubes, sequi.

Superba ne nimìs caro
Menti licenter ímperet,
Quas sævus hostis óbsidet,
Portas tuére sénsuum.

Tu spes salútis, áctuum
Tu finis & primórdium:
Te prosequámur áuspice,
Quæ, te favente, cœpimus.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

PSALMUS 117.

Vox Christi resurgentis: solemnis gratiarum actio pro acceptis à Deo beneficiis.

1. COnfitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

2. Dicat nunc Israël, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

3. Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

4. Dicant nunc qui timent DÓMINUM, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

5. De tribulatióne invocávi DÓMINUM; * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

6. DÓMINUS mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

7. DÓMINUS mihi adjútor; * & ego despíciam inimícos meos.

8. Bonum est confídere in DÓMINO, * quàm confídere in hómine.

9. Bonum est speráre in DÓMINO, * quàm speráre in princípibus.

10. Omnes gentes cir-

cuiérunt me; * & in nómine DÓMINI, quia ultus sum in eos.

11. Circumdantes circumdedérunt me; * & in nómine DÓMINI, quia ultus sum in eos.

12. Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis; * & in nómine DÓMINI, quia ultus sum in eos.

13. Impulsus eversus sum ut cáderem; * & DÓMINUS suscépit me.

14. Fortitúdo mea & laus mea DÓMINUS; * & factus est mihi in salútem.

Divisio Psalmi 117.

15. VOx exultatiónis & salútis, * in tabernáculis justórum.

16. Déxtera DÓMINI fecit virtútem; déxtera DÓMINI exaltávit me; * déxtera DÓMINI fecit virtútem.

17. Non móriar, sed vivam; * & narrábo ópera DÓMINI.

18. Castígans castigávit me DÓMINUS; * & morti non trádidit me.

19. Aperíte mihi portas justítiæ; * ingressus in eas, confitébor DÓMINO.

20. Hæc porta DÓMINI; * justi intrábunt in eam.

21. Confitébor tibi, quóniam exaudísti me; * & factus es mihi in salútem.

22. Lápidem quem reprobavérunt ædificantes; * hic factus est in caput ánguli.

23. A DÓMINO factum est istud; * & est mirábile in óculis nostris.

24. Hæc est dies, quam fecit DÓMINUS: * exultémus, & lætémur in eâ.

25. O DÓMINE, salvum me fac; ô DÓMINE, benè prosperáre: * benedíctus qui venit in nómine DÓMINI.

26. Benedíximus vobis de domo DÓMINI: * Deus DÓMINUS, & illuxit nobis.

27. Constitúite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altáris.

28. Deus meus es tu, & confitébor tibi: * Deus meus es tu, & exaltábo te.

29. Confitébor tibi, quóniam exaudísti me; * & factus es mihi in salútem.

30. Confitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

PSALMUS 118.

Divinæ legis encomium: evangelicæ doctrinæ breviarium: piæ in Deum cordis effusiones.

1. BEáti immaculáti in viâ, * qui ámbulant in lege DÓMINI.

2. Beáti qui scrutantur testimónia ejus: * in toto corde exquírunt eum.

3. Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

4. Tu mandásti, * mandáta tua custodíri nimis.

5. Utinam dirigantur viæ meæ, * ad custodiendas justificatiónes tuas!

6. Tunc non confundar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

7. Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quòd dídici judícia justítiæ tuæ.

8. Justificatiónes tuas custódiam: * non me derelinquas usquequáquè.

In omnibus Dominicis, nisi aliter notetur, dicitur Symbolum sequens.

1. QUicumque vult salvus esse, * ante ómnia opus est, ut téneat cathólicam fidem.

2. Quam nisi quisque íntegram, inviolatamque serváverit, * absque dúbio in æternum períbit.

3. Fides autem Cathólica hæc est, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in unitáte venerémur.

4. Neque confundentes persónas, * neque substántiam separantes.

5. Alia est enim persóna Patris, ália Filii, * ália Spíritûs sancti:

6. Sed Patris, & Filii, & Spíritûs sancti una est divínitas, * æquális glória, coæterna majestas:

7. Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

8. Increátus Pater, increátus Filius, * increátus Spíritus sanctus.

9. Immensus Pater, immensus Fílius, * immensus Spíritus sanctus.

10. Æternus Pater, æternus Fílius, * æternus Spíritus sanctus:

11. Et tamen non tres æterni, * sed unus æternus.

12. Sicut non tres increáti, nec tres immensi, * sed unus increátus & unus immensus.

13. Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus sanctus:

14. Et tamen non tres omnipotentes, * sed unus omnípotens.

15. Ità, Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus:

16. Et tamen non tres Dii, * sed unus est Deus.

17. Ità, Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus:

18. Et tamen non tres Dómini, * sed unus est Dóminus.

19. Quia sicut singillátim unamquamque persónam, Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur: * ità tres Deos aut Dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

20. Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

21. Fílius à Patre solo est, * non factus, nec creátus, sed génitus.

22. Spíritus sanctus à Patre & Fílio, * non factus,

nec creátus, nec génitus, sed procédens.

23. Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

24. Et in hâc Trinitáte nihil prius & postérius, nihil majus aut minus: * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt & coæquáles.

25. Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * & únitas in Trinitáte, & Trínitas in unitáte veneranda sit.

26. Qui vult ergo salvus esse, * ità de Trinitáte séntiat.

27. Sed necessárium est ad æternam salútem, * ut Incarnatiónem quoquè Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

28. Est ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus & homo est.

29. Deus est ex substántiâ Patris ante sécula génitus, * & homo est ex substántiâ matris in século natus.

30. Perfectus Deus, perfectus homo, * ex ánimâ rationáli & humánâ carne subsistens.

31. Æquális Patri secundùm divinitátem, * minor Patre secundùm humanitátem.

32. Qui licèt Deus sit & homo; * non duo tamen, sed unus est Christus.

33. Unus autem, non conversióne divinitátis in carnem, * sed assumptióne humanitátis in Deum.

34. Unus omninò non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

35. Nam sicut ánima rationális & caro, unus est homo, * ità Deus & homo unus est Christus;

36. Qui passus est pro salúte nostrâ, descendit ad ínferos; * tértiâ die resurrexit à mórtuis:

37. Ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis, * indè ventúrus est judicáre vivos & mórtuos.

38. Ad cujus adventum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * & redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

39. Et qui bona egérunt, ibunt in vitam æternam; * qui verò mala, in ignem æternum.

40. Hæc est fides cathólica, * quam nisi quisque fidéliter firmiterque credíderit, salvus esse non póterit.

Ant. Deus meus es tu, & confitébor tibi: Deus meus es tu, & exaltábo te.

LECTIO. *Ephes.* 5.

VIdéte, Fratres, quómodò cautè ambulétis; † non quasi insipientes, sed

ut ſapientes ; * redimentes tempus, quóniam dies mali ſunt. ℟. Deo grátias.

℣. Exurge, Dómine; ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43.

Hebdomadarius : Kyrie, eleéſon. ℟. Chriſte, eleéſon : Kyrie, eleéſon. *Dein,* Pater noſter. *ſecretò ad hæc verba :* Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo. *Hebdomad.* Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Collecta. *Sacr. Alcuin.*

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecisti ; † tuâ nos hódiè ſalva virtúte, ut ad nullum declinémus peccátum ; * ſed ſemper ad tuam juſtitiam faciendam, noſtra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera : Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Hebdomadarius : Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Statìm per modum Officii Capitularis, in Choro fit Lectio Martyrologii, in cujus fine nil reſpondetur ; ſed dicit Hebdomadarius :

℣. Pretióſa in conſpectu Dómini, ℟. Mors Sanctórum ejus. *Pſ.* 115.

Hebdomadarius : Sancta Maria, omnes Angeli Dei, & omnes Sancti ádjuvent nos in oratiónibus ſuis pro nobis ad Deum ; ut ſecundùm eum, qui vocávit nos, Sanctum, & ipſi in omni converſatióne ſancti ſimus. ℟. Amen. *Rom.* 15. *I. Petr.* 1.

Hebdomadarius : Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige filios eórum ; ℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89.

Orémus.

Collecta. *Brev. Rom.*

DIrígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódiè corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes & actus noſtros, in lege tuâ & in opéribus mandatórum tuórum ut hìc, & in ætérnum, te auxiliante, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

Lector : Jube, domne, benedícere.

BENEDICTIO. *I. Joan.* 2.

UNctio quàm accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. ℟. Amen.

Tum fit Lectio Canonis qui suo loco habetur, in fine dicitur: Tu autem, Dómine, miserére nostrî. ℟. Deo grátias.

Præses Chori: Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

℣. *sacerdotalis.* Benedícite. ℟. Deus.

Benedictio: Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram se, per Jesum Christum, cui est glória in sécula seculórum.

℟. Amen. *Hebr.* 13.

Lector: Commemorátio ómnium fratrum, propinquórum, fundatórum, benefactórum Ordinis ac Monastérii nostri in Dómino defunctórum.

Præses Chori: ℣. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Psalmus 129. De profundis clamávi ad te, Dómine. *infrà ad Vesperas Feriæ IV.*

In fine: Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * Et lux perpétua lúceat eis.

Hebdomadarius: A portâ ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

℣. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

ABsolve, quæsumus, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glóriâ, inter Sanctos & Electos tuos resuscitáti respírent: Per eum qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & séculum per ignem. ℟. Amen.

Sic dicitur & terminatur Prima singulis diebus.

AD TERTIAM.

Deus, † in adjutórium.

HYMNUS. *C.*

O Fons amóris, Spíritus,
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium;
Sic nos amóris mútui
Fac sancta jungant víncula.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ex Psalmo 118.

9. IN quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiendo sermónes tuos.

10. In toto corde meo exquisívi te: * ne repellas me à mandátis tuis.

11. In corde meo abscondi elóquia tua; * ut non peccem tibi.

12. Benedíctus es, Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

13. In lábiis meis pronuntiávi * ómnia judícia oris tui.

14. In viâ testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

15. In mandátis tuis exercébor; * & considerábo vias tuas.

16. In justificatiónibus tuis meditábor: * non oblivíscar sermónes tuos.

17. Retríbue servo tuo, vivífica me; * & custódiam sermónes tuos.

18. Revéla óculos meos; * & considerábo mirabília de lege tuâ.

19. Incola ego sum in terrâ: * non abscondas à me mandáta tua.

20. Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

21. Increpasti supérbos: * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

22. Aufer à me oppróbrium & contemptum; * quia testimónia tua exquisívi.

23. Etenim sedérunt príncipes, & adversùm me loquebántur; * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

24. Nam & testimónia tua, meditátio mea est; * & consílium meum justificatiónes tuæ.

25. Adhæsit paviménto ánima mea: * vivífica me secundùm verbum tuum.

26. Vias meas enuntiávi & exaudísti me: * doce me justificatiónes tuas.

27. Viam justificatiónum tuárum ínstrue me; * & exercébor in mirabílibus tuis.

28. Dormitávit ánima mea præ tædio: * confírma me in verbis tuis.

29. Viam iniquitátis ámove à me; * & de lege tuâ miserére meî.

30. Viam veritátis elégi: * judícia tua non sum oblítus.

31. Adhæsi testimóniis tuis, Dómine: * noli me confúndere.

32. Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilatasti cor meum.

Ant. In toto corde meo exquisívi te, Dómine: doce me justificatiónes tuas.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Lectio. *Jerem.* 14.

Expectátio Israël, salvátor ejus in témpore tribulatiónis, † quare quasi colónus futúrus es in terrâ, & quasi viátor declínans ad manéndum? * quare fu-

túrus es velut vir vagus, ut fortis qui non poteſt ſalváre?

℣. Extráneus factus ſum frátribus meis, ℟. Et peregrinus filiis matris meæ. *Pſ. 68.*

Litania Dominica ut ad Primam.

Collecta ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Deus, † in adjutórium.

HYMNUS. *C.*

NUnc ſolis excelsũ jubar
Pleno coruſcat lúmine;
Tu, Chriſte, ſic mundum novâ
Sol verus accendis face.

Fac pura noſtris fúlgeat
Lux veritátis méntibus:
Fac noſtra plenam cáritas
Creſcendo ſurgat ad diem.

Qui nos creávit, laus Patri:
Laus, qui redémit, Fílio:
Qui caritáte nos foves,
Par ſit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ex Pſalmo 118.

33. LEgem pone mihi, DÓMINE, viam juſtificatiónum tuárum; * & exquíram eam ſemper.

34. Da mihi intellectum; & ſcrutábor legem tuam;* & cuſtódiam illam in toto corde meo.

35. Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum; * quia ipſam vólui.

36. Inclína cor meum in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

37. Averte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in viâ tuâ vivífica me.

38. Státue ſervo tuo elóquium tuũ,* in timóre tuo.

39. Amputa oppróbrium meũ, quod ſuſpicátus ſum;* quia judícia tua jucunda.

40. Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tuâ vivífica me.

41. ET véniat ſuper me miſericórdia tua, DÓMINE: * ſalutáre tuum ſecundùm elóquium tuum.

42. Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia ſperávi in ſermónibus tuis.

43. Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis uſquequáquè; * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

44. Et cuſtódiam legem tuam ſemper, * in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

45. Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

46. Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpectu regum;* & non confundébar.

47. Et meditábar in mandátis tuis,* quæ dilexi.

48. Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi; * & exercébar in juſtificatiónibus tuis.

49. MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dediſti.

50. Hæc me conſoláta eſt in humilitáte meâ; * quia elóquiũ tuũ vivificávit me.

51. Superbi iníquè agébant usquequáquè; * à lege autem tuâ non declinávi.

52. Memor fui judiciórum tuórum à sǽculo, Dómine; * & consolátus sum.

53. Deféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

54. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

55. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; * & custodívi legem tuam.

56. Hæc facta est mihi; * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Ant. Da mihi intelléctum; & scrutábor legem tuam, Dómine.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Lectio. *Ephes.* 1.

PRædestinávit nos Deus in adoptiónem filiórum, per Jesum Christum in ipsum: † secundùm propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, * in quâ gratificávit nos in dilecto Fílio suo.

℣. Confirmáta est super nos misericórdia ejus; ℟. Et véritas Dómini manet in ætérnum. *Ps.* 116.

Collecta ut in Proprio.

AD NONAM.

Deus, † in adjutórium.

Hymnus.

PRono volútus ímpetu
Inclínat in noctem dies;
Sic vita suprémam cito
Festínat ad metam gradu.

O Christe, dum fixus cruci
Expandis orbi bráchia,
Amáre da crucem; tuo
Da nos in amplexu mori.

Qui nos creávit, laus Patri:
Laus, qui redémit, Fílio:
Qui caritáte nos foves,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ex Psalmo 118.

57. POrtio mea, Dómine, dixi, * custodíre legem tuam.

58. Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo: * miserére meî secundùm elóquium tuum.

59. Cogitávi vias meas; * & converti pedes meos in testimónia tua.

60. Parátus sum, & non sum turbátus; * ut custódiam mandáta tua.

61. Funes peccatórum circumplexi sunt me; * & legem tuam non sum oblítus.

62. Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi, * super judícia justificatiónis tuæ.

63. Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * & custodiéntium mandáta tua.

64. Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra: * justificatiónes tuas doce me.

65. BOnitátē fecisti cum servo tuo, Dómine, * secundùm verbum tuum.

66. Bonitátem, & disciplinã, & sciéntiã doce me;* quia mandátis tuis crédidi.

67. Priusquàm humiliárer, ego deliqui;* proptérea elóquium tuũ custodivi.

68. Bonus es tu;* & in bonitáte tuâ doce me justificatiónes tuas.

69. Multiplicáta est super me iniquitas superbórum;* ego autẽ in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

70. Coagulátum est sicut lac cor eórum;* ego verò legem tuam meditátus sum.

71. Bonum mihi quia humiliasti me;* ut discam justificatiónes tuas.

72. Bonum mihi lex oris tui,* super míllia auri & argenti.

73. MAnus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me:* da mihi intelléctum, & discam mandáta tua.

74. Qui timent te, vidébunt me, & lætabuntur;* quia in verba tua supersperávi.

75. Cognóvi, DÓMINE, quia æquitas judícia tua;* & in veritáte tuâ humiliasti me.

76. Fiat misericórdia tua ut consolétur me,* secundùm elóquium tuum servo tuo.

77. Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam;* quia lex tua meditátio mea est.

78. Confundantur superbi; quia injustè iniquitátem fecérunt in me:* ego autem exercébor in mandátis tuis.

79. Convertantur mihi timentes te,* & qui novérunt testimónia tua.

80. Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis;* ut non confundar.

Ant. Bonus es tu, Dómine; & in bonitáte tuâ doce me justificatiónes tuas.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

LECTIO. *I. Cor. 15.*

PRimus homo de terrâ terrénus; secundus homo de cœlo cœlestis: † qualis terrénus, tales & terréni; & qualis cœlestis, tales & cœlestes:* ígitur sicut portávimus imáginem terréni, portémus & imáginem cœlestis.

℣. Deus Israel, ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ: ℟. Benedíctus Deus. *Ps. 67.*

Collecta ut in Proprio.

AD VESPERAS.

Deus, † in adjutórium.

Antiphonæ quæ hìc ponuntur, dicuntur ab Epiphaniâ ad Septuagesimam. Aliàs ut in Proprio.

I. PSALMUS 109.

Christi divinitas, sacerdotium & regnum.

1. DIxit DÓMINUS Dómino meo:* Sede à dextris meis;

2. Donec ponam inimícos tuos, * scabellum pedum tuórum.

3. Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion:* domináre in médio inimicórum tuórum.

4. Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferũ génui te.

5. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

6. Dóminus à dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ Reges.

7. Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terrâ multórum.

8. De torrente in viâ bibet: * proptéreà exaltábit caput.

Ant. Quem misit Deus, verba Dei lóquitur: non enim ad mensúram dat Deus Spíritum. *Joan.* 3.

II. Psalmus 110.

Laus Deo ob sua per Christum beneficia.

1. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio justórum & congregatióne.

2. Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

3. Conféssio & magnificéntia opus ejus; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

4. Memóriam fecit mirabílium suórum; * miséricors & miserátor Dóminus.

5. Escam dedit timéntibus se: * memor erit in séculum testamenti sui.

6. Virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo; * ut det illis hæreditátem géntium.

7. Opera mánuum ejus, véritas & judícium: * fidélia ómnia mandáta ejus.

8. Confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte & æquitáte.

9. Redemptiónem misit pópulo suo: mandávit in æternum testamentũ suũ: * sanctum & terríbile nomen ejus.

10. Inítium sapiéntiæ, timor Dómini: intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in séculum séculi.

Ant. Pater díligit Filiũ; & ómnia dedit in manu ejus. *Joan.* 3.

III. Psalmus 111.

Christi, & omnium in Christo justorum encomium.

1. Beátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimìs.

2. Potens in terrâ erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

3. Glória & divítiæ in domo ejus; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

4. Exortum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, & miserátor, & justus.

5. Jucundus homo qui miserétur & cómmodat : * dispónet sermônes suos in judício.

6. Quia in æternum non commovébitur : * in memóriâ æternâ erit justus.

7. Ab auditióne malâ non timébit : * parátum cor ejus speráre in DÓMINO.

8. Confirmátum est cor ejus ; non commovébitur : * donec despíciat inimícos suos.

9. Dispersit, dedit paupéribus ; justítia ejus manet in séculum séculi : * cornu ejus exaltábitur in glóriâ.

10. Peccátor vidébit & irascétur ; déntibus suis fremet & tabescet : * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Quæcumque Pater fécerit, hæc & Fílius simíliter facit ; Pater enim ómnia demonstrat ei, quæ ipse facit. *Joan.* 5.

IV. PSALMUS 112.

Dei laus ob Fidelium per Christum exaltationem & multiplicationem.

1. LAudáte, púeri, DÓMINUM : * laudáte nomen DÓMINI.

2. Sit nomen DÓMINI benedictum, * ex hoc nunc & usque in séculum.

3. A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen DÓMINI.

4. Excelsus super gentes DÓMINUS ;* &
cœlos glória ejus.

5. Quis sicut Dó
Deus noster, qui i
hábitat, * & hum
spicit in cœlo & in t

6. Súscitans à terı
pem, * & de stérco
gens páuperem ;

7. Ut cóllocet euı
princípibus, * cum
pibus pópuli sui.

8. Qui habitáre fa
rilem in domo, * r
filiórum lætantem.

Ant. Qui verbum
audit, & credit ei qu
me, habet vitam æt
Joan. 5.

*Ab Epiphaniâ ad S
gesimam.*

LECTIO. *Act*

VErbum misit De
Israel, † ann
pacem per Jesum Ch
hic est ómnium Dó
℞. Deo grátias.

℞. *br.* Filii Sion *
tent in Rege suo.
℣. Laudent nomen
choro. * Exultent.
℞. Filii. *Ps.* 149.

HYMNU

CHristus tenébris
LustrandoJudæ
Gens obstináto péct
Christum docenté r
Sese Deum signis
Surgunt sepulcris c
Erepta muto vox re
Claudo gradus, cæ
Gens dura, flecti
Aures sacris sermór

Obtúrat; & solem fugit,
Amóre noctis pérdita.
Nos lumē ambímus Patris,
In quo refulget cláritas:
Ne ménribus subrépere
Tetram sinas calíginem.
Nunquàm recédas à piis,
Lux sempiterna, córdibus:
Te veritáte fúlgeant;
Te caritáte férveant.
Qui velle dat, sit laus Patri;
Audíre qui dat, Fílio;
Audíta qui dat éxequi,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Tu es ipse Rex meus & Deus meus; ℟. Qui mandas salútes Jacob. *Ps.* 43.

CANTICUM B. M. V. *Luc.* 1.
Laus ob incarnati Verbi mysterium.

1. MAgníficat * ánima mea Dóminum;

2. Et exultávit spíritus meus, * in Deo salutári meo.

3. Quia respexit humilitátem ancillæ suæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:

4. Quia fecit mihi magna, qui potens est; * & sanctum nomen ejus:

5. Et misericórdia ejus, à progénie in progénies, * timéntibus eum.

6. Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

7. Depósuit potentes de sede;* & exaltávit húmiles.

8. Esurientes implévit bonis; * & divites dimísit inánes.

9. Suscépit Israel [illegible] suum, * recordátus misericórdiæ suæ,

10. Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham & sémini ejus in sǽcula.

Antiphona, Litania Dominica, & Collecta, ut in Proprio.

AD COMPLETORIUM.

Lector incipit: Jube, Domne, benedícere.

Præses Chori: Inclínet Dóminus corda nostra ad se, ut ambulémus in universis viis ejus. *III. Reg.* 8. ℟. Amen.

LECTIO. *I. Petri*, 5.

SObrii estóte, & vigiláte; quia adversárius vester diábolus tamquàm leo rúgiens círcuit quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide, scientes eamdem passiónem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitáti fieri. Tu autem, Dómine, miserére nostrî. ℟. Deo grátias.

Hebdomadarius facit Confessionem: Confiteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, beáto Benedícto, ómnibus Sanctis, (& vobis, Fratres): quia peccávi nimìs cogitatióne, verbo & ópere, meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ:

ideò precor beátam Maríā semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptiſtā, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, beátum Benedictum, omnes Sanctos, (& vos, Fratres), oráre pro me ad Dñum Deum noſtrum.

Lector : Misereátur tuî omnípotens Deus; & dimiſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætemam. *Hebdomadarius* ℟. Amen. *Repetit Lector Confeſſionem, in quâ dicit:* & tibi, Pater... & te, Pater, oráre pro me. *Hebdomadarius:* Misereátur veſtrî omnípotens Deus; & dimiſſis peccátis veſtris, perdúcat vos ad vitam ætemam. ℟. *Chorus :* Amen. *Deinde dicit :* Indulgéntiam, abſolutiónem & remiſſiónem peccatórum noſtrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Hebdomadarius: ℣. Converte nos, Deus ſalutáris noſter; ℟. Et averte iram tuam à nobis. *Pſ.* 84.

Deus, † in adjutórium.

PSALMUS 4.

In Deo per Chriſtum ſpes & requies.

1. CUm invocárem, exaudívit me Deus juſtítiæ meæ: * in tribulatióne dilataſti mihi.

2. Miserére meî, * & exaudi oratiónem meam.

3. Filii hóminum, úſquequò gravi corde? * ut quid diligitis vanitátem, & quæritis mendácium?

4. Et ſcitóte quóniam mirificávit DÓMINUS ſanctum ſuum: * DÓMINUS exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

5. Iraſcímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus veſtris, in cubílibus veſtris compungímini.

6. Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ; * & ſperáte in DÓMINO.

7. Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona? * ſignátum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, DÓMINE.

8. Dediſti lætítiam in corde meo: * à fructu frumenti, vini & ólei ſui multiplicáti ſunt.

9. In pace in idipſum dórmiam & requieſcam; * quóniam tu, DÓMINE, ſinguláriter in ſpe conſtituiſti me.

PSALMUS 90.

Filialis in Deum fiducia; præclara in tribulatione & tentatione oratio.

1. QUi hábitat in adjutório Altiſſimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur:

2. Dicet DÓMINO: Suſceptor meus es tu, & refúgium meum: * Deus meus, ſperábo in eum.

3. Quóniam ipſe liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áſpero.

4. Scápulis ſuis obumbrábit tibi; & ſub pennis

ejus sperábis : * scuto circúmdabit te véritas ejus.

5. Non timébis à timóre noctúrno,* à sagittâ volante in die :

6. A negótio perambulánte in ténebris,* ab incursu & dæmónio meridiáno.

7. Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

8. Verùmtamen óculis tuis considerábis ; * & retributiónem peccatórum vidébis.

9. Quóniam, Tu es, DÓMINE, spes mea ; * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

10. Non accédet ad te malum ; * & flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

11. Quóniam Angelis suis mandávit de te ; * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

12. In mánibus portábunt te ; * ne fortè offendas ad lápidem pedem tuũ.

13. Super áspidem & basilíscum ambulábis ; * & conculcábis leónem & dracónem.

14. Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

15. Clamábit ad me, & ego exáudiam eum : * cum ipso sum in tribulatióne ; erípiam eum, & glorificábo eum.

16. Longitúdine diérum replébo eum ; * & osténdam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

Deus die ac nocte benedicendus ; oratio vespertina.

1. ECce nunc benedícite DÓMINUM, * omnes servi DÓMINI.

2. Qui statis in domo DÓMINI, * in átriis domûs Dei nostri ;

3. In nóctibus extóllite manus vestras in sancta ; * & benedícite DÓMINUM.

4. Benedicat te DÓMINUS ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

CANT. SIMEONIS. *Luc.* 2.

De Salvatoris adventu gratiarum actio.

1. NUnc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum, in pace.

2. Quia vidérunt óculi mei, * salutáre tuum,

3. Quod parasti, * ante fáciem ómnium populõrũ :

4. Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israel.

In Adventu.

HYMNUS. C.

IN noctis umbrâ désides,
Dùm somnus artus óccupat,
Ad te, Deus, fidélibus
Mens éxcubat suspíriis.

Desideráte géntibus,
Verbũ Patris, mundi salus,
Audi preces geméntium,
Tandemque lapsos éxcita.

Adsis, Redemptor, & tuæ
Plebis relaxans crímina,
Adæ scelus, quas cláuserat,
Reclúde cœlestes domos.
Qui liberátor ádvenis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

A Vigiliâ Natalis Domini ad Septuagesimam.

HYMNUS. C.

MUndi salus qui násceris,
JESU puer, nos réspice:
Da móribus castis tuam
Referre nos infántiam.
Fessos diurno dum levat
Labóre nocturnus sopor,
Defende, Pastor, béstiis
Tuas ab infestis oves.
O Virgo quæ paris Deum,
Fovesque lactentem sinu,
Hunc flecte nobis quâ vales,
Benigna Mater, grátiâ.
Qui natus es de Vírgine,
JESU, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

Post Septuagesimam.

HYMNUS.

QUæ legis ante témpora
Sub lege fecit & patres
Justos fides; sub grátiâ
Tot Christiános párturit.
Nunc ergo nubem téstiũ,
Quæ lucis ostendit viam,
Spectémus; & veram fidem
Sanctis probémus móribus.
Agnoscit autórem suum,
O Christe, nostra te fides:
Nobis eam da créscere;
Nobis eam da pérfici.
Dum corpus ággravat sopor,
Cor clamet ad te líberum;
Amémus usque; cáritas
Nunquàm precári désinat.
Qui semen Abræ súscipis,
JESU, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

LECTIO. *I. Thess.* 5.

OMnes vos filii lucis estis & filii diéi; † non sumus noctis neque tenebrárum: * ígitur non dormiámus sicut & céteri, sed vigilémus, & sóbrii simus.
℟. Deo grátias.

℣. In manus tuas, Dómine, commendo spíritum meum: ℟. Redemisti me, Dómine Deus veritátis. *Ps.* 30.

Hebdomadarius: Kyrie, eleéson: ℟. Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. *Hebdomadarius:* Pater noster. *secretò. Hebdomad.* Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
Hebd. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. S. Greg.*

ILlúmina, quæsumus, Dómine, ténebras nostras; † & totius noctis insídias * tu propítius repelle: Per Dóminum nostrum.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Tùm Præses benedicit.

BENEDICTIO. *II. Cor.* 13.

GRátia Dómini nostri Jesu Christi, ✠ & cá-

ritas Dei, & communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis : ℟. Et cum frátribus nostris abséntibus. Amen.

Secretò ab omnibus : Pater. Ave. Credo. *Et completum est.*

FERIA SECUNDA.

Dei Creatoris erga homines caritas & beneficentia : Christus autor gratiæ.

AD OFFICIUM NOCT.

Deus, ☩ in adjutórium. Dómine, † lábia mea apéries.

Psalmus 3. Dómine, quid multiplicáti sunt. *ut in Dominicâ, pag.* 1. *& sic in aliis Feriis.*

In Ps. Veníte. *Ant.* Deũ, qui prior dilexit nos, * Veníte, adorémus. *I. Joan.* 4. *Psal.* Veníte. *ut suprà, pag.* 2.

HYMNUS. *C.*

DEi canámus glóriam,
Cœlũ secundo qui die
Expandit, admirábile
Mortálibus spectáculum.

Poli stupémus álveo
Stagnáre pénsiles lacus :
Hinc imbre terras fértili
Cœlestis irrórat Pater.

Quã præparas nobis, Deus,
Est hæc imágo grátiæ :
Hæc rore stillans úberi
Cordis penétrat íntima.

Hanc qui fidéli cómbibũt
Aquam salubrem péctore,
In his ad æternas domos
Miro resultat ímpetu.

Beáta gens, quã pródigâ
Ditáre non cessas manu !
Amóris hæc memor tui,
Amóris & reddat vices.

Orbem potenter qui creas,
Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo simul cum Spíritu,
Sit summa laus in sécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 103.

Deus ob multiplicia naturæ & gratiæ miracula benedicendus.

1. BEnedic, ánima mea, DÓMINO;* DÓMINE Deus meus, magnificátus es vehementer?

2. Confessiónem & decórem induisti, * amictus lúmine sicut vestimento :

3. Extendens cœlum sicut pellem ; * qui tegis aquis superióra ejus :

4. Qui ponis nubem ascensum tuum ; * qui ámbulas super pennas ventórum :

5. Qui facis Angelos tuos spíritus; * & ministros tuos, ignem urentem :

6. Qui fundasti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in séculum séculi.

7. Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus : * super montes stabunt aquæ.

8. Ab increpatióne tuâ

fugient; * à voce tonitrui tui formidábunt.

9. Ascendunt montes, & descendunt campi, * in locum quem fundasti eis.

10. Términum posuisti, quem non transgrediĕtur; * neque convertentur operíre terram.

11. Qui emittis fontes in convállibus; * inter médium móntium pertransíbunt aquæ:

12. Potábunt omnes béstiæ agri; * exspectábunt ónagri in siti suâ.

13. Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrárum dabunt voces.

Ant. Dómine Deus meus, magnificátus es vehemĕter.

II. *Divisio Psalmi* 103.

14. RIgans montes de superióribus tuis; * de fructu óperum tuórum satiábitur terra.

15. Prodúcens fenum juméntis, * & herbam servitúti hóminum;

16. Ut edúcas panem de terrâ, * & vinum lætíficet cor hóminis:

17. Ut exhílaret fáciem in óleo; * & panis cor hóminis confírmet.

18. Saturabuntur ligna campi, * & cedri Líbani, quas plantávit;

19. Illìc pásseres nidificábunt; * heródii domus dux est eórum:

20. Mõtes excelsi cervis, * petra refúgium herináciis.

21. Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

22. Posuisti ténebras, & facta est nox; * in ipsâ pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

23. Cátuli leónum rugientes, ut rápiant, * & quærant à Deo escam sibi.

24. Ortus est sol, & congregáti sunt; * & in cubílibus suis collocabuntur.

25. Exíbit homo ad opus suum, * & ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Ant. De fructu óperum tuórum, Dómine, satiábitur terra.

III. *Divisio Psalmi* 103.

26. QUám magnificáta sunt ópera tua, DÓMINE! * ómnia in sapiéntiâ fecisti; impléta est terra possessióne tuâ.

27. Hoc mare magnum & spatiósum mánibus, illic reptília quorum non est númerus, * animália pusilla cum magnis.

28. Illic naves pertransíbunt: * draco iste quem formasti ad illudendum ei.

29. Omnia à te exspectant; * ut des illis escam in témpore.

30. Dante te illis, cólligent: * aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte.

31. Avertente autem te fáciem, turbabuntur: * áuferes spíritum eórum, & deficient; & in púlverem suum revertentur.

32. Emittes Spíritum tuũ, & creabuntur; * & renovábis fáciem terræ.

33. Sit glória Dómini in sǽculum: * lætábitur Dóminus in opéribus suis:

34. Qui réspicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

35. Cantábo Dómino in vitâ meâ: * psallam Deo meo quámdiu sum.

36. Jucundum sit ei elóquium meum: * ego verò delectábor in Dómino.

37. Defíciant peccatóres à terrâ; & iníqui ità ut non sint: * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Ego delectábor in Dómino.

IV. Psalmus 104.

Beneficia Israelitico populo collata celebrantur & enumerantur: futurorum typus.

1. Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus: * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

2. Cantáte ei, & psállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

3. Laudámini in nómine sancto ejus; * lætétur cor quæréntium Dóminum.

4. Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus semper.

5. Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus, & judícia oris ejus:

6. Semen Abraham, servi ejus; * filii Jacob, electi ejus.

7. Ipse Dóminus Deus noster; * in universâ terrâ judícia ejus.

8. Memor fuit in sǽculum testamenti sui, * verbi quod mandávit in mille generatiónes:

9. Quod dispósuit ad Abraham, * & juramenti sui ad Isaac;

10. Et státuit illud Jacob in præceptum, * & Israel in testamentum æternum:

11. Dicens: Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hereditátis vestræ:

12. Cùm essent número brevi, * paucíssimi, & íncolæ ejus:

13. Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

14. Non relíquit hóminem nocére eis; * & corrípuit pro eis reges.

15. Nolíte tángere christos meos; * & in Prophétis meis nolíte malignári.

Ant. Lætétur cor quæréntium Dóminum.

V. *Divisio Psalmi* 104.

16. Vocávit famem super terram; * & omne firmamentum panis contrívit:

17. Misit ante eos virũ: * in servum venúmdatus est Joseph.

18. Humiliavérunt in compédibus pedes ejus: * ferrum pertránsiit ánimam

ejus, donec veníret verbum ejus.

19. Elóquium Dómini inflammávit eum: * misit Rex, & solvit eum; Princeps populórum, & dimísit eum.

20. Constítuit eum dóminum domûs suæ, * & príncipem omnis possessiónis suæ:

21. Ut erudíret príncipes ejus sicut semetipsum, * & senes ejus prudéntiam docéret.

22. Et intrávit Israel in Ægyptum; * & Jacob áccola fuit in terrâ Cham;

23. Et auxit pópulum suũ vehementer; * & firmávit eum super inimícos ejus.

24. Convertit cor eórum ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in servos ejus.

Ant. Quærite Dóminum, & confirmámini: quærite fáciem ejus semper.

VI. *Divisio Psalmi* 104.

25. Misit Móysen servum suum, * Aaron quem elégit ipsum.

26. Pósuit in eis verba signórum suórum, * & prodigiórum in terrâ Cham.

27. Misit ténebras, & obscurávit; * & non exacerbávit sermónes suos.

28. Convertit aquas eórum in sánguinem, * & occídit pisces eórum.

29. Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus Regum ipsórum.

30. Dixit, & venit cœnomyia & scíniphes, * in ómnibus fínibus eórum.

31. Pósuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburentem in terrâ ipsórum:

32. Et percussit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum fínium eórum.

33. Dixit, & venit locusta & bruchus, * cujus non erat númerus:

34. Et comédit omne fœnum in terrâ eórum; * & comédit omnem fructum terræ eórum.

35. Et percussit omne primogénitum in terrâ eórum; * primítias omnis labóris eórum.

36. Et eduxit eos cum argento & auro; * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

37. Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum; * quia incúbuit timor eórum super eos.

38. Expandit nubem in protectiónem eórum, * & ignem, ut lucéret eis per noctem.

39. Petiérunt, & venit coturnix; * & pane cœli saturávit eos.

40. Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ: * abiérunt in sicco flúmina.

41. Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham puerum suum.

42. Et eduxit pópulum

suum in exsultatióne, * & eléctos suos in lætítiâ:

43. Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórum possedérunt;

44. Ut custódiant justificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

Ant. Eduxit pópulum suum in exsultatióne, & eléctos suos in lætítiâ.

℣. Exsultábit cor meum in salutári tuo: ℟. Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12.

ABSOLUTIO. *II. Mach.* 1.

Adapériat Deus cor vestrum in lege suâ, & in præceptis suis, & fáciat pacem. ℟. Amen.

Benedictiones suprà ad caput Psalterii.

Tres Lectiones cum ℟℟. *in Proprio.*

IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 105.

Beneficia Judæis iterùm collata; ingratus eorum animus; oratio ut dispersos Deus congreget.

1. CONfitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

2. Quis loquétur poténtias DÓMINI, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

3. Beáti qui custódiunt judícium, * & fáciunt justítiam in omni témpore!

4. Meménto nostrî, DÓMINE, in beneplácito pópuli tui; * vísita nos in salutári tuo;

5. Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítiâ gentis tuæ; * ut laudéris cum hereditáte tuâ.

6. Peccávimus cum pátribus nostris; * injuste égimus, iniquitátem fécimus.

7. Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ;

8. Et irritavérunt ascendentes in mare, * mare rubrum.

9. Et salvávit eos propter nomen suum; * ut notam fáceret poténtiam suam.

10. Et increpuit mare rubrum, & exsiccátum est; * & deduxit eos in abyssis sicut in desérto.

11. Et salvávit eos de manu odiéntium; * & redémit eos de manu inimíci.

12. Et opéruit aqua tribulantes eos; * unus ex eis non remansit.

13. Et credidérunt verbis ejus; * & laudavérunt laudem ejus.

II. *Divisio Psalmi* 105.

14. CItò fecérunt, obliti sunt óperum ejus; * & non sustinuérunt consílium ejus.

15. Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto; * & tentavérunt Deum in inaquóso.

16. Et dedit eis petitió-

nem ipsórum; * & misit saturitátem in ánimas eórum.
17. Et irritavérunt Móysen in castris, * Aaron sanctum DÓMINI.
18. Aperta est terra, & deglutívit Dathan; * & opéruit super congregatiónem Abíron:
19. Et exarsit ignis in synagóga eórum; * flamma combussit peccatóres.
20. Et fecérunt vítulum in Horeb; * & adoravérunt scúlptile.
21. Et mutavérunt glóriam suam, * in similitúdinem vítuli comedentis fenum.
22. Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos; * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terrâ Cham, terribília in mari rubro.
23. Et dixit ut dispérderet eos, * si non Móyses electus ejus stetisset in confractióne in conspectu ejus;
24. Ut avérteret iram ejus, * ne dispérderet eos.
25. Et pro níhilo habuérunt terram desiderábilē: * non credidérunt verbo ejus.
26. Et murmuravérunt in tabernáculis suis: * non exaudiérunt vocē DÓMINI.
27. Et elevávit manum suam super eos; * ut prostérneret eos in deserto:
28. Et ut dejiceret semen eórum in natiónibus; * & dispérgeret eos in regiónibus.
29. Et initiáti sunt Beélphegor, * & comedérunt sacrificia mortuórum.
30. Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis; * & multiplicáta est in eis ruína.
31. Et stetit Phínees, & placávit; * & cessávit quassátio.
32. Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem & generatiónem, usque in sempiternum.
33. Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * & vexátus est Móyses propter eos.
34. Quia exacerbavérunt spíritum ejus; * & distinxit in lábiis suis.

III. *Divisio Psalmi* 105.

35. NOn disperdidérunt gentes, * quas dixit DÓMINUS illis.
36. Et commixti sunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum; & serviérunt sculptílibus eórum; * & factum est illis in scándalum.
37. Et immolavérunt fílios suos & filias suas dæmóniis; * & effudérunt sánguinem innocentem:
38. Sánguinem filiórum suórum & filiárum suárum, * quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.
39. Et infecta est terra in sanguínibus; & contamináta est in opéribus eórum; * & fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

40. Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum; * & abominátus est hereditátem suam.

41. Et trádidit eos in manus géntium, * & domináti sunt eórum qui odérũt eos.

42. Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * & humiliáti sunt sub mánibus eórum.

43. Sæpè liberávit eos: * ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, & humiliáti sunt in iniquitátibus suis;

44. Et vidit cùm tribularentur; * & audívit oratiónem eórum.

45. Et memor fuit testamenti sui; * & pœnítuit eum secundùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

46. Et dedit eos in misericórdias, * in conspectu ómnium qui céperant eos.

47. Salvos nos fac, Dómine Deus noster, * & cóngrega nos de natiónibus;

48. Ut confiteámur nómini sancto tuo, * & gloriémur in laude tuâ.

49. Benedictus Dóminus Deus Israel à século & usque in séculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

IV. Psalmus 106.

Canticum benedictionis pro Dei misericordiis, variisque ab illo acceptis beneficiis.

1. Confitémini Dómino, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

2. Dicant qui redempti sunt à Dómino, * quos redémit de manu inimíci;

3. Et de regiónibus congregávit eos, * à solis Ortu & Occásu, ab Aquilóne & Mari.

4. Erravérunt in solitúdine, in inaquóso; * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

5. Esurientes & sitientes; * ánima eórum in ipsis defécit.

6. Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum erípuit eos.

7. Et deduxit eos in viam rectam; * ut irent in civitátem habitatiónis.

8. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum;

9. Quia satiávit ánimam inánem, * & ánimam esurientem satiávit bonis.

10. Sedentes in ténebris & umbrâ mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro;

11. Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíssimi irritavérunt.

12. Et humiliátum est in labóribus cor eórum; * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

13. Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

14. Et eduxit eos de ténebris & umbrâ mortis; * & víncula eórum disrúpit.

15. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum;

16. Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

V. *Divisio Psalmi* 106.

17. SUscépit eos de viâ iniquitátis eórum; * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

18. Omnem escam abominâta est ánima eórum; * & appropinquavérunt usque ad portas mortis.

19. Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

20. Misit verbum suum, & sanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

21. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

22. Et sacrificent sacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exsultatióne.

23. Qui descendunt mare in návibus, * facientes operatiónem in aquis multis.

24. Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profundo.

25. Dixit, & stetit spíritus procellæ; * & exaltáti sunt fluctus ejus.

26. Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos; * ánima eórum in malis tabescébat.

27. Turbáti sunt & moti sunt sicut ébrius, * & omnis sapiéntia eórum devoráta est.

28. Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum eduxit eos.

29. Et státuit procellam ejus in auram; * & siluérunt fluctus ejus.

30. Et lætáti sunt quia siluérunt; * & deduxit eos in portum voluntátis eórũ.

31. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

32. Et exaltent eum in ecclésiâ plebis; * & in cáthedrâ seniórum laudent eum.

VI. *Divisio Psalmi* 106.

33. POsuit flúmina in desertum, * & éxitus aquárum in sitim;

34. Terram fructíferam in salsúginem, * à malítiâ inhabitántium in eâ.

35. Pósuit desertum in stagna aquárum, * & terram sine aquâ in éxitus aquárum.

36. Et collocávit illic esurientes; * & constituérunt civitátem habitatiónis.

37. Et seminavérũt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

38. Et benedixit eis, & multiplicáti sunt nimìs; * & jumenta eórum non minorávit.

39. Et pauci facti sunt; * & vexáti sunt à tribulatióne malórum & dolóre.

40. Effúsa est contémptio super príncipes; * & erráre fecit eos in ínvio, & non in viâ.

41. Et adjúvit páuperem de inópiâ; * & pósuit sicut oves famílias.

42. Vidébunt recti, & lætabuntur; * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

43. Quis sápiens, & custódiet hæc; * & intélliget misericórdias DÓMINI?

Ant. Quis sápiens, & custódiet hæc; & intélliget misericórdias Dómini?

LECTIO. *II. Tim.* I.

DEus nos liberávit & vocávit vocatióne suâ sanctâ, non secundùm ópera nostra, sed secundùm propósitum suum & grátiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora seculária; manifestáta est autem nunc per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi.

℟. Deo grátias.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; sed nómini tuo da glóriam, ℟. Super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ. *Ps.* 113.

Kyrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie, eleéson. Pater noster, *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *Collecta infrà ad Laudes.* ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

In Festis trium Lectionum Invitatorium, Hymnus, Lectio, Versus & Collecta habentur in Proprio, vel in Communi Sanctorum. Sic dicitur & terminatur Officium nocturnum in feriis & privatis diebus.

AD LAUDES.

Deus, † in adjutórium.

Psalmus 66. Deus misereátur nostrî. *pag.* 14. *& sic in aliis Feriis.*

I. PSALMUS 135.

Dei Creatoris beneficia; misericordiam ejus commendant.

1. COnfitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in æternum misericórdia ejus.

2. Confitémini Deo deórum; * quóniam in ætemum misericórdia ejus.

3. Confitémini Dómino dominórum; * quóniam in æternum misericórdia ejus:

4. Qui facit mirabília magna solus; * quóniam in æternum misericórdia ejus:

5. Qui fecit cœlos in intellectu; * quóniam in æternum misericórdia ejus:

6. Qui firmávit terram super aquas; * quóniam in æternum misericórdia ejus:

7. Qui fecit luminária magna; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

8. Solem in potestátem diéi; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

9. Lunam & stellas in potestátem noctis; * quóniam in ætern͂u misericórdia ejus.

Ant. Bonus Dóminus; in ætérnum misericórdia ejus.

II. *Divisio Psalmi* 135.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:)

10. Qui percussit Ægyptum cum primogénitis eórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

11. Qui eduxit Israel de médio eórum; * quóniam in ætern͂u misericórdia ejus:

12. In manu potenti & bráchio excelso; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

13. Qui divísit mare rubrum in divisiónes; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

14. Et eduxit Israel per médium ejus; * quóniam in ætern͂u misericórdia ejus:

15. Et excussit Pharaónem & virtútem ejus in mari rubro; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

16. Qui traduxit pópulum suum per desertum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

17. Qui percussit Reges magnos; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

18. Et occídit Reges fortes; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

19. Sehon Regem Amorrhæórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

20. Et Og Regem Basan; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

21. Et dedit terram eórum hereditátem; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

22. Hereditátem Israel servo suo; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

23. Quia in humilitáte nostrâ memor fuit nostrî; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

24. Et redémit nos ab inimícis nostris; * quóniam in ætern͂u misericórdia ejus:

25. Qui dat escam omni carni; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

26. Confitémini Deo cœli; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. Dóminus in humilitáte nostrâ memor fuit nostrî; & redémit nos ab inimícis nostris.

III. CANTICUM MOYSIS I. *Exod.* 15.

Israel ab Ægypto liberatus grates Deo rependit: Christianus baptismo ablutus, Christi victoris laudes celebrat.

1. CAntémus DÓMINO; gloriósè enim magnificátus est; * equum &

ascensórem dejécit in mare.

2. Fortitúdo mea & laus mea DÓMINUS; * & factus est mihi in salútem.

3. Iste Deus meus, & glorificábo eum; * Deus patris mei, & exaltábo eum.

4. DÓMINUS quasi vir pugnátor: * OMNÍPOTENS, nomen ejus.

5. Currus Pharaónis, & exércitum ejus projécit in mare: * electi príncipes ejus submersi sunt in mari rubro.

6. Abyssi operuérũt eos; * descendérunt in profundum quasi lapis.

7. Déxtera tua, DÓMINE, magnificáta est in fortitúdine; * déxtera tua, DÓMINE, percussit inimícum:

8. Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuisti adversários tuos: * misisti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam.

9. Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ; stetit unda fluens; * congregátæ sunt abyssi in médio mari.

10. Dixit inimícus: Pérsequar & comprehendam; * dívidam spólia; implébitur ánima mea:

11. Evaginábo gládium meum; * interfíciet eos manus mea.

12. Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare; * submersi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Ant. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem.

IV. *Divisio Cantici.*

13. QUis símilis tuî in fórtibus, DÓMINE? quis símilis tuî? * magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília.

14. Extendisti manum tuam, * & devorávit eos terra.

15. Dux fuisti in misericórdiâ tuâ pópulo, quem redemisti, * & portasti eum in fortitúdine tuâ ad habitáculum sanctum tuum.

16. Ascendérunt pópuli, & iráti sunt; * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

17. Tunc conturbáti sunt príncipes Edom; robustos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

18. Irruat super eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui:

19. Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, DÓMINE, * donec pertránseat pópulus tuus iste quem possedisti.

20. Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmissimo habitáculo tuo, quod operátus es, DÓMINE:

21. Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

22. DÓMINUS regnábit * in æternum & ultrà.

23. Ingressus est enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare,* & reduxit super eos Dóminus aquas maris :

24. Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ant. Magníficus in sanctitáte Dóminus, & fáciens mirabília.

V. Psalmus 134.

Israel beneficiis cumulatus : idolorum vanitas.

1. Laudáte nomen Dómini : * laudáte, servi, Dóminum ;

2. Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri.

3. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus ; * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

4. Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israel in possessiónem sibi.

5. Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * & Deus noster præ ómnibus diis.

6. Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit, * in cœlo & in terrâ, in mari & in ómnibus abyssis :

7. Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit :

8. Qui prodúcit ventos de thesauris suis ; * qui percussit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus :

9. Et misit signa & prodígia in médio tuî, Ægypte : * in Pharaónem, & in omnes servos ejus :

10. Qui percussit gentes multas, * & occídit Reges fortes ;

11. Sehon Regem Amorrhæórum, & Og Regem Basan, * & ómnia regna Chánaan :

12. Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israel pópulo suo.

13. Dómine, nomen tuum in æternum ; * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

14. Quia judicábit Dóminus pópulum suum ; * & in servis suis deprecábitur.

15. Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

16. Os habent, & non loquentur ; * óculos habent, & non vidébunt.

17. Aures habent, & non áudient ; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

18. Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confidunt in eis.

19. Dómus Israel, benedícite Dómino ; * domus Aaron, benedícite Dómino.

20. Domus Levi, benedícite Dómino ; * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

21. Benedictus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit in cœlo & in terrâ.

LECTIO. *Ephes.* 3.

EI qui potens est ómnia fácere superabundanter quàm pétimus, aut intellígimus, secundùm virtútem quæ operátur in nobis: ipsi glória in Ecclésiâ, & in Christo Jesu, in omnes generatiónes séculi sæculórum. Amé. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Deus, in sancto via tua; * Quis Deus magnus sicut Deus noster? ℟. Deus. ℣. Tu es Deus, qui facis mirabília. * Quis. ℣. Glória. ℟. Deus. *Ps.* 76.

HYMNUS. *6.*

NIl láudibus nostris eges;
Sed filios amas, Pater;
Multâque cœlestem prece
Vis provocári grátiam.

Tui profunda cónsilî
Noctis canat siléntium:
Tuæ jubar cleméntiæ
Splendor diéi prædicat.

Tantis minor miráculis
Mens óbstupet, vox déficit:
Tacére sed totis nequit
Amor medullis æstuans.

Erumpat ergo: te memor
Clamat parentem, qui mala
Præsentis ævi mitigas,
Spondes futúri præmia.

Huc vota tendunt córdiũ;
Infirma, sed tardat caro:
Quæ ducit ad te, da sequi,
Dux ipse Jesu, sémitam.

Tibi, Pater, cum Fílio,
Almo simul cum Spíritu,
Deo perenni, próvido,
Honor, decus, laus, glória.
Amen.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Ad Benedictus. *Ant.* Nobis unus Deus, Pater, ex quo ómnia, & nos in illum: & unus Dóminus Jesus Christus, per quem ómnia, & nos per ipsum. *I. Cor.* 8.

Litania ut in Dominicâ.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

OMnípotens, sempiterne Deus, qui in Unigénito tuo novam creatúram nos tibi esse fecisti: † custódi ópera misericórdiæ tuæ, & ab ómnibus nos máculis vetustátis emunda, * ut per auxílium grátiæ tuæ, in illius inveniámur formâ, in quo tecum est nostra substántia: Per eumdem.

Hæc Collecta ad omnes Horas dicitur in Officio feriali, nisi habeatur propria.

AD PRIMAM.

Deus, † in adjutórium.

Hymnus, Jam lucis orto sídere, *pag.* 19. *Et sic in aliis Feriis.*

Ex Psalmo 118.

81. DEfécit in salutáre tuũ ánima mea; * & in verbum tuum supersperávi.

82. Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, dicentes: * Quando consoláberis me?

83. Quia factus ſum ſicut uter in pruínâ: * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

84. Quot ſunt dies ſervi tui? * quando fácies de perſequéntibus me judícium.

85. Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; * ſed non ut lex tua.

86. Omnia mandáta tua véritas: * iníquè perſecúti ſunt me; ádjuva me.

87. Paulò minùs conſummavérunt me in terrâ; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

88. Secundùm miſericórdiam tuam vivífica me; * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

89. IN æternum, DÓMINE, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

90. In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundaſti terrã, & pérmanet.

91. Ordinatióne tuâ perſevérat dies; * quóniam ómnia sérviunt tibi.

92. Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt; * tunc fortè periiſsẽ in humilitáte meâ.

93. In æternum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas; * quia in ipſis vivificaſti me.

94. Tuus ſum ego; ſalvum me fac: * quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi.

95. Me exſpectavérunt peccatóres ut pérderẽt me; * teſtimónia tua intellexi.

96. Omnis conſummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimìs.

97. QUómodò dilexi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea eſt.

98. Super inimícos meos prudentem me feciſti mandáto tuo; * quia in æternum mihi eſt.

99. Super omnes docentes me intellexi; * quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

100. Super ſenes intellexi; * quia mandáta tua quæsívi.

101. Ab omni viâ malâ prohíbui pedes meos; * ut cuſtódiam verba tua.

102. A judíciis tuis non declinávi; * quia tu legem poſuiſti mihi.

103. Quàm dúlcia faucibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

104. A mandátis tuis intellexi; * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Ant. Secundùm miſericórdiam tuam vivífica me; & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

Lectio, Verſus, Litania & Officium Capituli ut in Dominicâ, pag. 22.

AD TERTIAM.

Deus, † in adjutórium.

Hymnus, O fons amóris, Spíritus, *pag.* 24.

Ex Pſalmo 118.

105. LUcerna pédibus meis verbum tuum, * & lumen ſémitis meis.

106. Jurávi, & ſtátui, * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

107. Humiliátus ſum uſquequáque, Dómine: * vivífica me ſecundùm verbum tuum.

108. Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine; * & judícia tua doce me.

109. Anima mea in mánibus meis ſemper; * & legem tuam non ſum oblítus.

110. Poſuérunt peccatóres láqueum mihi; * & de mandátis tuis non errávi.

111. Hereditáte acquisívi teſtimónia tua in ætern͞u; * quia exſultátio cordis mei ſunt.

112. Inclinávi cor meum ad faciendas juſtificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

113. INíquos ódio hábui; * & legem tuã dilexi.

114. Adjútor & ſuſceptor meus es tu; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

115. Declináte à me, malígni; * & ſcrutábor mandáta Deĩ mei.

116. Súſcipe me ſecundùm elóquium tuum, & vivam; * & non confundas me ab exſpectatióne meâ.

117. Adjuva me, & ſalvus ero; * & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſẽper.

118. Spreviſti omnes diſcedentes à judíciis tuis; * quia injuſta cogitátio eorũ.

119. Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ; * ideò dilexi teſtimónia tua.

120. Confige timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

121. FEci judícium & juſtítiam: * non tradas me calumniántibus me.

122. Súſcipe ſervum tuum in bonum: * non calumniéntur me ſuperbi.

123. Oculi mei defecérunt in ſalutáre tuum, * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

124. Fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericórdiam tuam; * & juſtificatiónes tuas doce me.

125. Servus tuus ſum ego: * da mihi intellectum, ut ſciam teſtimónia tua.

126. Tempus faciendi, Dómine: * diſſipavérunt legem tuam.

127. Ideò dilexi mandáta tua, * ſuper aurum & topázion.

128. Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníquam ódio hábui.

Ant. Súſcipe me, Dómine, ſecundùm elóquium tuum, & vivam.

Lectio. *I. Joan.* 4.

NOs cognóvimus & credídimus caritáti quam habet Deus in nobis. † Deus cáritas eſt; * & qui manet in caritáte, in Deo manet, & Deus in eo.

℣. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: ℟. Dóminus firmamentum meum,

& refúgium meum, & liberátor meus. *Ps.* 17.

AD SEXTAM.

Deus, † in adjutórium.

Hymnus, Nunc solis excelsum jubar. *pag.* 26.

Ex Psalmo 118.

129. MIrabília testimónia tua; * ídeò scrutáta est ea ánima mea.

130. Declarátio sermónum tuórum illúminat; * & intelléctum dat párvulis.

131. Os meum apérui, & adtraxi spíritum; * quia mandáta tua desiderábam.

132. Adspice in me, & miserére meî, * secundùm judícium diligéntium nomen tuum.

133. Gressus meos dírige secundùm elóquium tuū;* & non dominétur meî omnis injustítia.

134. Rédime me à calúmniis hóminum; * ut custódiam mandáta tua.

135. Fáciem tuam illúmina super servum tuum; * & doce me justificatiónes tuas.

136. Éxitus aquárum dedúxérunt óculi mei; * quia non custodiérunt legem tuā.

137. JUstus es, Dómine;* & rectum judícium tuum.

138. Mandasti justítiam testimónia tua, * & veritátem tuam nimìs.

139. Tabéscere me fecit zelus meus; * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

140. Ignítum elóquium tuum veheménter, * & servus tuus diléxit illud.

141. Adolescéntulus sum ego & contemptus: * justificatiónes tuas non sum oblítus.

142. Justítia tua, justítia in ætérnum; * & lex tua véritas.

143. Tribulátio & angústia invenérunt me: * mandáta tua meditátio mea est.

144. Æquitas testimónia tua in ætérnum: * intelléctum da mihi, & vivam.

145. CLamávi in toto corde meo, exaudi me, Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

146. Clamávi ad te, salvum me fac; * ut custódiam mandáta tua.

147. Prævéni in immaturitáte, & clamávi, * quia in verba tua supersperávi;

148. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; * ut meditárer elóquia tua.

149. Vocem meam audi secundùm misericórdiam tuam, Dómine, * & secundùm judícium tuum vivífica me.

150. Appropinquavérunt persequentes me iniquitáti; * à lege autem tuâ longè facti sunt.

151. Propè es tu, Dómine; * & omnes viæ tuæ véritas.

152. Inítio cognóvi de testimóniis tuis, * quia in ætérnum fundasti ea.

Ant. Greſſus meos dirige, Dómine, ſecundùm elóquium tuum.

LECTIO. *Epheſ.* 2.

GRátiâ eſtis ſalváti per fidem; & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt; † non ex opéribus, ut ne quis gloriétur: * ipsíus enim ſumus factúra, creáti in Chriſto Jeſu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus.

℣. Tuus ſum ego, Dómine; ſalvum me fac: ℟. Quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi. *Pſ.* 118.

AD NONAM.

Deus, † in adjutórium.

Hymnus, Prono volútus ímpetu. *pag.* 27.

Ex Pſalmo 118.

153. VIde humilitátem meam, & éripe me; * quia legem tuam non ſum oblítus.

154. Júdica judícium meũ, & rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

155. Longè à peccatóribus ſalus; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

156. Miſericórdiæ tuæ multæ, DÓMINE: * ſecundùm judícium tuum vivífica me.

157. Multi qui perſequuntur me, & tríbulant me: * à teſtimóniis tuis non declinávi.

158. Vidi prævaricantes, & tabeſcébam; * quia elóquia tua non cuſtodiérunt.

159. Vide quóniam mandáta tua diléxi, DÓMINE: * in miſericórdiâ tuâ vivífica me.

160. Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum ómnia judícia juſtítiæ tuæ.

161. PRíncipes perſecúti ſunt me gratìs; * & à verbis tuis formidávit cor meum.

162. Lætábor ego ſuper elóquia tua, * ſicut qui invénit ſpólia multa.

163. Iniquitátem ódio hábui, & abominátus ſum; * legem autem tuam diléxi.

164. Sépties in die laudem dixi tibi, * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

165. Pax multa diligéntibus legem tuam; * & non eſt illis ſcándalum.

166. Exſpectábam ſalutáre tuum, DÓMINE; * & mandáta tua diléxi.

167. Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua; * & diléxit ea veheménter.

168. Servávi mandáta tua & teſtimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

169. APpropinquet deprecátio mea in conſpectu tuo, DÓMINE: * juxta elóquium tuum, da mihi intelléctum.

170. Intret poſtulátio mea in conſpectu tuo: * ſecundùm elóquiũ tuũ éripe me.

171. Eructábunt lábia mea hymnum; * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

172. Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum; * quia ómnia mandáta tua æquitas.

173. Fiat manus tua ut salvet me; * quóniam mandáta tùa elégi.

174. Concupívi salutáre tuum, Dómine; * & lex tua meditátio mea est.

175. Vivet ánima mea, & laudábit te; * & judícia tua adjuvábunt me.

176. Errávi, sicut ovis quæ périit: * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Ant. Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine: secundùm judícium tuum vivífica me.

Lectio. *Hebr.* 4.

Adeámus cum fidúciâ ad thronum grátiæ; † ut misericórdiam consequámur, * & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℣. Expandi manus meas ad te, Dómine: ℟. Anima mea sicut terra sine aquâ tibi. *Ps.* 142.

AD VESPERAS.

Deus, † in adjutórium.

I. Psalmus 113.

Ecclesiæ per Christum liberatio: Idolorum vanitas: Israelis spes.

1. In éxitu Israel de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro.

2. Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potestas ejus.

3. Mare vidit, & fugit: * Jordánis conversus est retrorsùm.

4. Montes exsultavérunt ut aríetes; * & colles, sicut agni óvium.

5. Quid est tibi, mare, quòd fugisti? * & tu, Jordánis, quia conversus es retrorsùm?

6. Montes, exsultastis sicut aríetes; * & colles, sicut agni óvium?

7. A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob,

8. Qui convertit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

9. Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam, * super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ;

10. Ne quando dicant gentes: * Ubi est Deus eórum?

11. Deus autem noster in cœlo; * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

12. Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

13. Os habent, & non loquentur: * óculos habent, & non vidébunt.

14. Aures habent, & non áudient; * nares habent, & non odorábunt.

15. Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; *

non clamábunt in gútture ſuo.

16. Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

17. Domus Iſrael ſperávit in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum eſt.

18. Domus Aaron ſperávit in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum eſt.

19. Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum eſt.

20. Dóminus memor fuit noſtrî; * & benedixit nobis:

21. Benedixit dómui Iſrael; * benedixit dómui Aaron.

22. Benedixit ómnibus qui timent Dóminum, * puſíllis cum majóribus.

23. Adjíciat Dóminus ſuper vos, * ſuper vos, & ſuper fílios veſtros.

24. Benedicti vos à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

25. Cœlum cœli Dómino; * terram autem dedit fíliis hóminum.

26. Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui deſcendunt in inférnum.

27. Sed nos, qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc & uſque in ſéculum.

Ant. Deus noſter in cœlo; ómnia quæcumque vóluit, fecit.

II. Psalmus 114.

Vox Eccleſiæ militantis: tribulationes præſentis vitæ, æternæ deſiderium.

1. Diléxi; quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

2. Quia inclinávit aurem ſuam mihi; * & in diébus meis invocábo.

3. Circumdedérunt me dolóres mortis; & perícula inferni invenérunt me; * tribulatiónem & dolórem invéni:

4. Et nomen Dómini invocávi: * O Dómine, líbera ánimam meam.

5. Miſéricors Dóminus, & juſtus; * & Deus noſter miſerétur.

6. Cuſtódiens párvulos Dóminus: * humiliátus ſum, & liberávit me.

7. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; * quia Dóminus beneféciit tibi;

8. Quia erípuit ánimam meam de morte, óculos meos à lácrymis, * pedes meos à lapſu.

9. Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; quia Dóminus beneféciit tibi.

III. Psalmus 125.

E captivitate redux Iſrael in Deo exſultat.

1. In convertendo Dóminus captivitátẽ Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti:

2. Tunc replétum eſt

gáudio os nostrum, * & lingua nostra exsultatióne:

3. Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit DÓMINUS fácere cum eis.

4. Magnificávit DÓMINUS fácere nobiscum: * facti sumus lætantes.

5. Converte, DÓMINE, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

6. Qui séminant in lácrymis, * in exsultatióne metent.

7. Euntes ibant & flebant, * mittentes sémina sua;

8. Venientes autem vénient cum exsultatióne, * portantes manípulos suos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobiscum: facti sumus lætantes.

IV. PSALMUS 137.

Misericordia & veritas Dei celebranda: ipse à Regibus adorandus.

1. CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audisti verba oris mei.

2. In conspectu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum:

3. Et confitébor nómini tuo super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ: * quóniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

4. In quâcumque die invocávero te, exaudi me: * multiplicábis in ánimâ meâ virtútem.

5. Confiteantur tibi, DÓMINE, omnes Reges terræ;* quia audiérunt ómnia verba oris tui.

6. Et cantent in viis DÓMINI, * quóniam magna est glória DÓMINI:

7. Quóniam excelsus DÓMINUS, & humília réspicit; * & alta à longè cognoscit.

8. Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

9. DÓMINUS retríbuet pro me; * DÓMINE, misericórdia tua in sǽculum; ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Excelsus Dóminus, & humília réspicit, & alta à longè cognoscit.

LECTIO. *Ephes.* 4.

IN Christo edocti estis, sicut est véritas in Jesu: depónere vos secundùm pristinam conversatiónem véterem hóminem qui corrúmpitur secundùm desidéria erróris. † Renovámini autem spíritu mentis vestræ, * & indúite novum hóminem, qui secundùm Deum creátus est in justítiâ & sanctitáte veritátis.

℟. *br.* Doce me fácere voluntátem tuam, * Quia Deus meus es tu. ℟. Doce me. ℣. Spíritus tuus bonus

dedúcet me. * Quia. Glória. Doce me. *Ps.* 142.

HYMNUS. C.

JActámur, heu! quot flúctibus!
Spes una de cœlis nitet:
Illuc & ora tóllimus,
Et míttimus suspíria.

Tu vota præcurris, Pater,
Magnamque protendis manum:
Jam fulta tanto róbore
Surgit potens infirmitas.

Quæ sæva nos premunt mala
Vinces, malis poténtior:
Te nostra duræ séntiet
Mens servitútis víndicem.

Quin vile corpus índues
Formâ resurgentis Dei:
At illa venális patet
Multo labóre glória.

Felix labor quem récreas
Tam spléndidâ rerum vice!
Fletu quis æternum brevi
Neget pacísci gáudium?

Quæ nos prior sic díligis
Tibi, beáta Trínitas,
Sit summa laus, summum decus,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Quómodò miserétur pater filiórum; ℟. Misertus est Dóminus timéntibus se. *Ps.* 102.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Ad Magníficat. *Ant.* Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. *Joan.* 1.

Litania, & Collecta. Et sic in aliis Feriis.

AD COMPLETORIUM.

Incipit ut in Dominicâ, pag. 31.

Deus, † in adjutórium.

PSALMUS 6.

Fidelium inter mundi hujus calamitates gemitus & fiducia.

1. DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in irâ tuâ corrípias me.

2. Miserére meî, DÓMINE, quóniam infirmus sum: * sana me, DÓMINE, quóniam conturbáta sunt ossa mea;

3. Et ánima mea turbáta est valdè; * sed tu, DÓMINE, úsquequò?

4. Convértere, DÓMINE, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

5. Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

6. Laborávi in gémitu meo; lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis stratum meũ rigábo.

7. Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

8. Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit DÓMINUS vocem fletûs mei.

9. Exaudivit DOMINUS deprecatiónem meam: * DÓMINUS oratiónem meā suscépit.

10. Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur, & erubescant valdè velóciter.

PSALMUS 7.

Injuriæ non rependendæ: salus Justos manet, malos interitus.

1. DOMINE Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

2. Nequando rápiat ut leo ánimam meam; * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

3. DÓMINE Deus meus, si feci istud; * si est iníquitas in mánibus meis:

4. Si réddidi retribuéntibus mihi mala; * décidam méritò ab inimícis meis inánis:

5. Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehendat, & conculcet in terrâ vitam meam, * & glóriam meam in pulverem dedúcat.

6. Exsurge, DÓMINE, in irâ tuâ; * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

7. Et exsurge, Dómine Deus meus, * in præcepto quod mandasti.

8. Et synagóga populórum circúmdabit te; * & propter hanc in altum regrédere.

9. DÓMINUS júdicat pópulos; júdica me, DÓMINE, secundùm justítiam meam, * & secundùm innocéntiam meam super me.

10. Consummétur nequítia peccatórum; & díriges justum; * scrutans corda & renes, Deus.

11. Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Divisio Psalmi 7.

12. DEus judex justus, fortis & pátiens: * numquid iráscitur per síngulos dies?

13. Nisi conversi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum tetendit, & parávit illum.

14. Et in eo parávit vasa mortis; * sagittas suas ardéntibus effécit.

15. Ecce partúriit injustítiam, * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

16. Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

17. Convertétur dolor ejus in caput ejus; * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descendet.

18. Confitébor DÓMINO secundùm justítiam ejus; * & psallam nómini DÓMINI altíssimi.

Cant. Nunc dimittis. *p.* 33.

Reliqua ut in Dominicâ, & sic in aliis Feriis.

FERIA TERTIA.

Christus docens : dilectio proximi.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Deũ pacis & dilectiónis, * Veníte, adorémus. *II. Cor.* 13.

HYMNUS. *C.*

JUbes; &, in præceps aquis
Repentè confluéntibus,
Prodit sub auras húmidis
Exíma velis árida.

Hanc tu colendã qui tuis,
Pater, dedisti filiis;
Quos orbis unus cóntinet,
Fac una jungat cáritas.

Nunc exulámus; sed tuã
Mox congregábis in domũ,
Te patre dignos, qui pio
Amóre fratres vixerint.

At, qui malignis ártibus,
Linguisque lædũt próximũ,
A te repelles : hoc genus
Cœlestis aula non capit.

En ipsa tellus ímprobos
Dudùm labórans sústinet,
Ardetque non suæ jugo
Corruptiónis éximi.

Adoptiónem nos quoque
Efflagitámus íntegram,
Cui nos sacráto Spíritus
Prædestinávit pígnore.

Æterna laus & glória
Uni sit & Trino Deo,
Diffúsa per quem córdibus
Fraterna regnat cáritas.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 35.

Impiorum malitia; justitia Dei; Justorum gloria.

1. DIxit injustus ut delinquat in semetipso: * non est timor Dei ante óculos ejus.

2. Quóniam dolósè egit in conspectu ejus; * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

3. Verba oris ejus iníquitas & dolus : * nóluit intellígere, ut benè ágeret.

4. Iniquitátem meditátus est in cubíli suo; ádstitit omni viæ non bonæ; * malítiam autem non odívit.

5. DÓMINE, in cœlo misericórdia tua; * & véritas tua usque ad nubes.

6. Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua abyssus multa.

7. Hómines & jumenta salvábis, DÓMINE : * quemádmodùm multiplicasti misericórdiam tuam, Deus!

8. Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

9. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ; * & torrente voluptátis tuæ potábis eos.

10. Quóniam apud te est fons vitæ; * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

11. Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, *

& justítiam tuam his qui recto sunt corde.

12. Non véniat mihi pes supérbiæ; * & manus peccatóris non móveat me.

13. Ibi cecidérunt qui operantur iniquitátem: * expulsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. Dómine, in cœlo misericórdia tua, & véritas tua usque ad nubes.

II. PSALMUS 36.

Divino tutus auxilio, huic non invidenda impii prosperitas. Utriusque quàm dispar exitus!

1. NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátem;

2. Quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent; * & quemádmodum ólera herbárum citò décident.

3. Spera in DÓMINO, & fac bonitátem; * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

4. Delectáre in DÓMINO; * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

5. Revéla DÓMINO viam tuam, & spera in eo; * & ipse fáciet.

6. Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, * & judícium tuum tamquam merídiem.

7. Súbditus esto DÓMINO, * & ora eum.

8. Noli æmulári in eo qui prosperátur in viâ suâ; * in hómine faciente injustítias.

9. Désine ab irâ, & derelínque furórem: * noli æmulári ut malignéris:

10. Quóniam qui malignantur, exterminabuntur; * sustinentes autem DÓMINUM, ipsi hereditábunt terram.

11. Et adhuc pusíllum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

12. Mansuéti autem hereditábunt terram; * & delectabuntur in multitúdine pacis.

13. Observábit peccátor justum; * & stridébit super eum déntibus suis.

14. Dóminus autem irridébit eum; * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

15. Gládium evaginavérunt peccatóres; intendérunt arcum suum: * ut dejíciant páuperem & ínopem; ut trucídent rectos corde.

16. Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

Ant. Mansuéti hereditábunt terram; & delectabuntur in multitúdine pacis.

III. *Divisio Psalmi 36.*

17. MElius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas.

18. Quóniam bráchia peccatórum conteréntur; * confírmat autem justos DÓMINUS.

19. Novit DÓMINUS dies immaculatórum; * & he-

rédítas eórum in æternum erit.

20. Non confundentur in témpore malo; * & in diébus famis saturabuntur.

21. Quia peccatóres períbunt; * inimíci verò Dómini [deficient].

22. Mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficientes quemádmodùm fumus deficient.

23. Mutuábitur peccátor, & non solvet; * justus autem miserétur, & tríbuet.

24. Quia benedicentes ei hereditábunt terram; * maledicentes autem ei dispeŕibunt.

25. Apud Dóminum gressus hóminis dirigentur; * & viam ejus volet.

26. Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus suppónit manum suam.

27. Júnior fui, étenim sénui; * & non vidi justũ derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

28. Totâ die miserétur, & cómmodat; * & semen illíus in benedictióne erit.

Ant. Novit Dóminus dies immaculatórum; & herédítas eórum in æternum erit.

IV. *Divisio Psalmi 36.*

29. DEclína à malo, & fac bonum; * & inhábita in séculum séculi.

30. Quia Dóminus amat judícium, & non derelinquet sanctos suos: * in æternum conservabuntur.

31. Injusti punientur; * & semen impiórum períbit.

32. Justi autem hereditábunt terram; * & inhabitábunt in séculum séculi super eam.

33. Os justi meditábitur sapiéntiam; * & lingua ejus loquétur judícium.

34. Lex Dei ejus in corde ipsíus; * & non supplantabuntur gressus ejus.

35. Considerat peccátor justum; * & quærit mortificáre eum:

36. Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum, cùm judicábitur illí.

37. Exspecta Dóminum; * & custódi viam ejus.

38. Et exaltábit te, ut hereditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

39. Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

40. Et transívi, & ecce non erat; * & quæsívi eum, & non est inventus locus ejus.

41. Custódi innocéntiam, & vide æquitátem; * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

42. Injusti autem dispeŕibunt simul: * relíquiæ impiórum interíbunt.

43. Salus autem justórum à Dómino; * & protector eórum in témpore tribulatiónis.

44. Et adjuvábit eos Dó-

MINUS, & liberábit eos; & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos; * quia speravérunt in eo.

Ant. Salus justórum à Dómino; & protector eórum in témpore tribulatiónis.

V. PSALMUS 48.

Homo per peccatum lapsus, divitiis non redimitur; redimet Christus.

1. AUdite hæc, omnes gentes; * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem:

2. Quique terrígenæ & filii hóminum, * simul in unum dives & pauper.

3. Os meum loquétur sapiéntiam; * & meditátio cordis mei prudéntiam.

4. Inclinábo in parábolam aurem meam: * apériam in psaltério propositiónem meam.

5. Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

6. Qui confídunt in virtúte suâ, * & in multitúdine divitiárum suárum gloriantur.

7. Frater non rédimit, rédimet homo? * non dabit Deo placatiónem suam, & prétium redemptiónis ánimæ suæ.

8. Et laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem; * non vidébit intéritum?

9. Cùm víderit sapientes morientes: * simul insípiens & stultus períbunt; & relinquent aliénis divitias suas.

10. Et sepulcra eórum domus illórum in ætérnum; tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina sua in terris suis.

11. Et homo, cùm in honóre esset, non intellexit: * comparátus est juméntis insipiéntibus; & símilis factus est illis.

12. Hæc via illórum scándalum ipsis; * & pósteà in ore suo complacébunt.

13. Sicut oves in inferno pósiti sunt; * mors depascet eos.

14. Et dominabúntur eórum justi in matutíno; * & auxílium eórum veterascet in inferno à glóriâ eórum.

15. Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Ant. Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, cùm accéperit me.

VI. *Divisio Psalmi* 48.

16. NE timúeris cùm dives factus fúerit homo; * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

17. Quóniam, cùm interíerit, non sumet ómnia; * neque descendet cum eo glória ejus:

18. Quia ánima ejus in vitâ ipsius benedicétur: *

confitébitur tibi, cùm benefécceris ei.

19. Introíbit uſque in progénies patrum ſuórum; * & uſque in æternum non vidébit lumen.

20. Homo, cùm in honóre eſſet, non intellexit:* comparátus eſt jumentis inſipiéntibus; & ſímilis factus eſt illis.

Ant. Homo, cùm interíerit, non ſumet ómnia; neque deſcendet cum eo glória ejus.

℣. Odiſti omnes qui operantur iniquitátem: ℟. Perdes omnes qui loquuntur mendácium. *Pſ.* 5.

Abſolutio. Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Epheſ.* 4.

℟. Amen.

Benedictiones ſuprà ad caput Pſalterii.

IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 51.

Impios manet interitus; Juſtos gloria.

1. QUid gloriáris in malítiâ, *qui potens es in iniquitáte?

2. Totâ die injuſtítiam cogitávit lingua tua: * ſicut novácula acúta feciſti dolum.

3. Dilexiſti malítiam ſuper benignitátem, * iniquitátem magìs quàm loqui æquitátem.

4. Dilexiſti ómnia verba præcipitatiónis, * linguam dolóſam;

5. Proptéreà Deus déſtruet te in finem; * evellet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radicem tuam de terrâ vivéntium.

6. Vidébunt juſti, & timébunt; & ſuper eum ridébunt, & dicent: * Ecce homo qui non póſuit Deum adjutórem ſuum:

7. Sed ſperávit in multitúdine divitiárum ſuárum; * & præváluit in vanitáte ſuâ.

8. Ego autem, ſicut olíva fructífera in domo Dei, * ſperávi in miſericórdiâ Dei in æternum, & in ſéculum ſéculi.

9. Confitébor tibi in ſéculum, quia feciſti; * & exſpectábo nomen tuum, quóniam bonum eſt in conſpectu Sanctórum tuórum.

II. PSALMUS 78.

Fideles ab infidelibus vexati, opem Dei poſcunt.

1. DEus, venérunt gentes in hereditátem tuã; polluérunt templum ſanctum tuum; * poſuérunt Jerúſalem in pomórum cuſtódiam.

2. Poſuérunt morticína ſervórum tuórum eſcas volatílibus cœli, * carnes ſanctórum tuórum béſtiis terræ.

3. Effudérunt ſánguinem eórum tamquàm aquam in-

circúitu Jerúsalem; * & non erat qui sepelíret.

4. Facti sumus oppróbrium vicínis nostris, * subsannátio & illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

5. Usquequò, Dómine, irascéris in finem; * accendétur velut ignis zelus tuus?

6. Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt:

7. Quia comedérunt Jacob; * & locum ejus desolavérunt.

8. Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: * citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

9. Adjuva nos, Deus salutáris noster; & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, * & propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum:

10. Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi est Deus eórum?

11. Et innotescat in natiónibus coram óculis nostris, * últio sánguinis servórum tuórum qui effúsus est.

12. Intróeat in conspectu tuo, * gémitus compeditórum.

13. Secundùm magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum;

14. Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum, * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

15. Nos autem pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in séculum:

16. In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

III. Psalmus 81.

Diis terræ excelsior Deus: injustè jura administrantibus exitium minatur.

1. Deus stetit in synagógâ deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

2. Usquequò judicátis iniquitátem; * & fácies peccatórum súmitis?

3. Judicáte egéno & pupillo: * húmilem & páuperem justificáte.

4. Erípite páuperem; * & egénum de manu peccatóris liberáte.

5. Nesciérunt, neque intellexérunt; in ténebris ámbulant; * movebuntur ómnia fundamenta terræ.

6. Ego dixi: Dii estis; * & filii Excelsi omnes.

7. Vos autem sicut hómines moriémini; * & sicut unus de princípibus cadétis.

8. Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hereditábis in ómnibus géntibus.

IV. PSALMUS 82.

Infidelium adversùs Ecclesiam motus, ipsorumque confusio & interitus.

1. DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris, Deus:

2. Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt, * & qui odérũt te, extulérunt caput.

3. Super pópulum tuum malignavérunt consílium;* & cogitavérunt advérsùs Sanctos tuos:

4. Dixérunt: Veníte, & disperdámus eos de gente;* & non memorétur nomen Israel ultrà.

5. Quóniam cogitavérunt unanímiter, * simul advérsùm te testamentum disposuérunt:

6. Tabernácula Idumæórum & Ismaelítæ; * Moab & Agaréni:

7. Gebal & Ammon & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

8. Etenim Assur venit cum illis: * facti sunt in adjutórium filiis Lot.

9. Fac illis sicut Mádian & Sísaræ, * sicut Iabin in torrente Cisson.

10. Disperiérunt in Endor: * facti sunt ut stercus terræ.

11. Pone príncipes eórum sicut Oreb & Zeb, * & Zébee & Sálmana;

12. Omnes príncipes eórum qui dixérunt: * Hereditáte possideámus sanctuárium Dei.

13. Deus meus, pone illos ut rotam, * & sicut stípulam ante fáciem venti;

14. Sicut ignis qui combúrit silvam, * & sicut flamma combúrens montes;

15. Ita persequéris illos in tempestáte tuâ; * & in irâ tuâ turbábis eos.

16. Imple fácies eórum ignomíniâ; * & quærent nomen tuum, DÓMINE.

17. Erubescant & conturbentur in séculum séculi;* & confundantur, & péreant.

18. Et cognoscant quia nomen tibi DÓMINUS: * tu solus Altíssimus in omni terrâ.

V. PSALMUS 93.

Contra violentos oppressores præsertìm judices, Justi à Deo auxilium petunt.

1. DEus ultiónum DÓMINUS; * Deus ultiónum líberè egit.

2. Exaltáre qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

3. Usquequò peccatóres, DÓMINE, * úsquequò peccatóres gloriabuntur?

4. Effabuntur & loquentur iniquitátem: * loquentur omnes qui operantur injustítiam?

5. Pópulum tuum, DÓMINE, humiliavérunt; * & hereditátem tuam vexavérunt.

6. Víduam & ádvenam interfecérunt; * & pupillos occidérunt:

7. Et dixérunt: Non vidébit Dóminus: * nec intélliget Deus Jacob.

8. Intellígite, insipientes in pópulo; * & stulti, aliquandò sapite.

9. Qui plantávit aurem, non áudiet: * aut qui finxit óculum, non consíderat?

10. Qui córripit gentes, non árguet, * qui docet hóminem sciéntiam?

11. Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

VI. *Divisio Psalmi* 93.

12. Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tuâ docúeris eum:

13. Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

14. Quia non repellet Dóminus plebem suam; * & hereditátem suam non derelínquet;

15. Quoadusque justítia convertátur in judícium; * & qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.

16. Quis consurget mihi adversùs malignantes? * aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitátem?

17. Nisi quia Dóminus adjúvit me, * paulò minùs habitasset in inferno ánima mea.

18. Si dicébam, Motus est pes meus; * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

19. Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

20. Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcepto?

21. Captábunt in ánimam justi; * & sánguinem innocentem condemnábunt.

22. Et factus est mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutórium spei meæ.

23. Et reddet illis iniquitátem ipsórum, & in malítiâ eórum disperdet eos; * disperdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Exspectábo nomen tuum, Dómine, quóniam bonum est in conspectu Sanctórum tuórum.

Lectio. *I. Joan.* 4.

Deus ipse prior dilexit nos, & misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. Caríssimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit unquàm: si diligámus invicem, Deus in nobis manet; & cáritas ejus in nobis perfecta est.

℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum, ℟. Habitáre fratres in unum! *Ps.* 132.

Collecta infrà ad Laudes.

AD LAUDES.

I. PSALMUS 76.

Consolatio spiritualis ex fiduciâ in Deum.

1. VOce meâ ad Dóminum clamávi;* voce meâ ad Deum, & intendit mihi.

2. In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi; mánibus meis nocte contra eum; * & non sum deceptus.

3. Rénuit consolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus sum; & exercitátus sum, & defécit spíritus meus.

4. Anticipavérunt vigílias óculi mei: * turbátus sum, & non sum locútus.

5. Cogitávi dies antíquos; * & annos ætérnos in mente hábui;

6. Et meditátus sum nocte cum corde meo; * & exercitábar, & scopébam spíritum meum.

7. Numquid in æternum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

8. Aut in finem misericórdiam suam abscindet, * à generatióne in generatiónem?

9. Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in irâ suâ misericórdias suas?

10. Et dixi: Nunc cœpi;* hæc mutátio déxteræ Excelsi.

11. Memor fui óperum DÓMINI; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum:

12. Et meditábor in ómnibus opéribus tuis; * & in adinventiónibus tuis exercébor.

13. Deus, in sancto via tua; quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus, qui facis mirabília.

14. Notam fecisti in pópulis virtútem tuam; * redemisti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob & Joseph.

15. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt; * & turbátæ sunt abyssi.

16. Multitúdo sónitûs aquárum; vocem dedérunt nubes: * étenim sagittæ tuæ tránseunt.

17. Vox tonítrui tui in rotâ: illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: * commóta est, & contrémuit terra.

18. In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis, * & vestígia tua non cognoscentur.

19. Deduxisti sicut oves pópulum tuum, * in manu Móysi & Aaron.

Ant. In die tribulatiónis meæ, Deum exquisívi; & non sum deceptus.

II. PSALMUS 84.

In Incarnationis mysterio, justitiæ & pacis, misericordiæ & veritatis concordia. Primi & ultimi Incarnationis effectûs.

1. BEnedixisti, DÓMINE, terram tuam: * avertisti captivitátem Jacob.

2. Remisisti iniquitátem plebis tuæ:* operuisti ómnia peccáta eórum.

3. Mitigasti omnem iram tuam: * avertisti ab irâ indignatiónis tuæ.

4. Converte nos, Deus salutáris noster; * & averte iram tuam à nobis.

5. Numquid in æternum irascéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

6. Deus, tu conversus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

7. Ostende nobis, DÓMINE, misericórdiam tuam;* & salutáre tuum da nobis.

8. Audiam quid loquátur in me DÓMINUS Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam,

9. Et super sanctos suos,* & in eos qui convertuntur ad cor.

10. Verúmtamen prope timentes eum salutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terrâ nostrâ.

11. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: * justítia & pax osculátæ sunt.

12. Véritas de terrâ orta est; * & justítia de cœlo prospexit.

13. Etenim DÓMINUS dabit benignitátem; * & terra nostra dabit fructum suum.

14. Justítia ante eum ambulábit; * & ponet in viâ gressus suos.

Ant. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; quóniam loquétur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos.

III. PSALMUS 100.

Benè vivendi norma: Christi regnum, ultimumque ejus judicium.

1. MIsericórdiam & judícium, * cantábo tibi, DÓMINE.

2. Psallam, & intélligam in viâ immaculátâ; * quando vénies ad me?

3. Perambulábam in innocéntiâ cordis mei, * in médio domûs meæ.

4. Non proponébam ante óculos meos rem injustam: * facientes prævaricatiónes odívi.

5. Non adhæsit mihi cor pravum: * declinantem à me malignum non cognoscébam.

6. Detrahentem secrétò próximo suo, * hunc persequébar.

7. Superbo óculo & insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

8. Oculi mei ad fidéles terræ ut sédeant mecum: * ámbulans in viâ immacu-

lata, hic mihi ministrá-
bat.

9. Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspectu oculórum meórum.

10. In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ; * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Ant. Non proponébam ante óculos meos rem injustam: detrahentem secrétò próximo suo, hunc persequébar.

IV. Canticum Ezechiæ. *Isai.* 38.

Humanæ vitæ fragilitas: in manu Dei sunt dies nostri.

1. Ego dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæsívi resíduum annórum meórum.

2. Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terrâ vivéntium: * non adspíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

3. Generátio mea abláta est, & convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

4. Præcísa est velut à texente vita mea; dum adhuc ordírer, succídit me: * de mane usque ad vésperam finies me.

5. Sperábam usque ad mane; quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea: * de mane usque ad vésperam finies me.

6. Sicut pullus hirúndinis, sic clamábo: * meditábor ut columba.

7. Adtenuáti sunt óculi mei suspicientes in excelsum: * Dómine, vim pátior; responde pro me.

8. Quid dicam, aut quid respondébit mihi, * cùm ipse fécerit?

9. Recogitábo tibi omnes annos meos, * in amaritúdine ánimæ meæ.

10. Dómine, si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei; * corrípies me, & vivificábis me.

11. Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima; * tu autem eruísti ánimam meã ut non períret:

12. Projecisti post tergum tuum, * ómnia peccáta mea.

13. Quia non inférnus confitébitur tibi; neque mors laudábit te: * non exspectábunt, qui descendunt in lacum, veritátem tuam.

14. Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

15. Dómine, salvum me fac; * & psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, Dómine;

pater filiis notam faciet veritátem tuam.

V. PSALMUS 150.

Quidquid sonat, Deum sonet.

1. LAudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

2. Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

3. Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério & cítharâ.

4. Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

5. Laudáte eum in cymbalis benesonántibus: laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet DÓMINUM.

Ant. Laudáte Dóminum in sanctis ejus: laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

LECTIO. *I. Joan. 2.*

MAndátum novũ scribo vobis; quod verũ est & in Christo & in vobis: quia ténebræ transiérunt, & verum lumen jam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in ténebris est usque adhuc. Qui díligit fratrem suum, in lúmine manet, & scándalum in eo non est.

℟. *br.* Innocens mánibus & mundo corde, * Hic accípiet benedictiónem à Dómino. ℟. Innocens. ℣. Qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo. * Hic. ℣. Glória. ℟. Innocens. *Ps.* 23.

HYMNUS. *C.*

TE príncipem summo, Deus,
Jubes amóre díligi:
Tibi secundum prótinus
Jubes amári próximum.

Amóre fundátam tuo
Communiónem réspice,
Quâ corpus unum plúrimi,
Unum cor, una mens sumus.

Illam fides & véritas
Amábili stipant choro:
Oblíquus hinc livor procul,
Et litis ardor éxsulant.

Tu, pacis autor, mútuos
Adstringe nexus: da, Pater,
Gaudére fratrum gáudiis,
Da condolére flétibus.

Æterna laus & glória
Uni sit & Trino Deo,
Qui moris unius sacrâ
Nos pacis in domo locat.
Amen.

℣. Párticeps ego sum ómnium timéntiũ te, ℟. Et custodiéntium mandáta tua. *Ps.* 118.

Ab Epiph. ad Septuag.

Ad Benedictus. *Ant.* Unus Deus, unus & mediátor Dei & hóminum homo Christus Jesus, qui dedit redemptiónem semetipsum pro ómnibus. *I. Tim.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, cujus Unigénitus in substántiâ nostræ carnis appáruit: † præsta, quæsumus, ut per eum quem símilem nobis foris

agnóvimus, * intùs reformári mereámur: Qui tecū.

AD PRIMAM.

PSALMUS 14.

Via in cœlum: innocens vita; in proximum caritas.

1. DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

2. Qui ingréditur sine máculâ, * & operátur justítiam:

3. Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in linguâ suâ;

4. Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit adversùs próximos suos:

5. Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus; * timentes autem DÓMINUM, glorificat.

6. Qui jurat próximo suo, & non décipit; qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * & múnera super innocentem non accépit.

7. Qui facit hæc, * non movébitur in æternum.

PSALMUS 65.

Ecclesia à persecutoribus liberata, ad laudes Dei omnes gentes invitat.

1. JUbiláte Deo, omnis terra; psalmum dícite nómini ejus; * date glóriam laudi ejus:

2. Dícite Deo: Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentientur tibi inimíci tui.

3. Omnis terra adóret te, & psallat tibi: * psalmum dicat nómini tuo.

4. Veníte, & vidéte ópera Dei, * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

5. Qui convertit mare in áridam; in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso.

6. Qui dominátur in virtúte suâ in æternum; óculi ejus super gentes respíciunt: * qui exásperant, non exaltentur in semetipsis.

Divisio Psalmi 65.

7. BEnedícite, gentes, Deum nostrum; * & audítam fácite vocem laudis ejus:

8. Qui pósuit ánimam meam ad vitam; * & non dedit in commotiónem pedes meos.

9. Quóniam probasti nos, Deus, * igne nos examinasti, sicut examinátur argentum.

10. Induxisti nos in láqueum, posuisti tribulatiónes in dorso nostro; * imposuisti hómines super cápita nostra.

11. Transívimus per ignem & aquam; * & eduxisti nos in refrigérium.

12. Introíbo in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi vota mea:

13. Quæ distinxérunt lábia mea, * & locútum est

os meum in tribulatióne meâ.

14. Holocausta medullata ófferam tibi cum incenso aríetum : * ófferam tibi boves cum hircis.

15. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

16. Ad ipsum ore meo clamávi; * & exaltávi sub linguâ meâ.

17. Iniquitátem si adspexi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

18. Proptéreà exaudívit Deus; * & adtendit voci deprecatiónis meæ.

19. Benedictus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam & misericórdiam suam à me.

Ant. Benedícite, gentes, Deum nostrum, & audítam fácite vocem laudis ejus.

AD TERTIAM.

PSALMUS 49.

Uterque Christi adventus: abrogatio legis; animæ puritas acceptum Deo sacrificium.

1. DEus deórum DÓMINUS locútus est; * & vocávit terram à solis ortu usque ad occásum.

2. Ex Sion spécies decóris ejus : * Deus manifestè véniet, Deus noster, & non silébit.

3. Ignis in conspectu ejus exardescet; * & in circúitu ejus tempestas válida.

4. Advocábit cœlum desursùm, & terram, * discérnere pópulum suum.

5. Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia :

6. Et annuntiábunt cœli justítiam ejus; * quóniam Deus judex est.

7. Audi, pópulus meus, & loquar; Israel, & testificábor tibi : * Deus, Deus tuus ego sum.

8. Non in sacrificiis tuis árguam te; * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

9. Non accípiam de domo tuâ vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

10. Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus & boves.

11. Cognóvi ómnia volatília cœli; * & pulchritúdo agri mecum est.

12. Si esuríero, non dicam tibi; * meus est enim orbis terræ & plenitúdo ejus.

13. Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

14. Immola Deo sacrifícium laudis; * & redde Altíssimo vota tua.

15. Et ínvoca me in die tribulatiónis : * éruam te, & honorificábis me.

Divisio Psalmi 49.

16. PEccatóri autem dixit Deus : * Quare tu

enarras justitias meas; & assúmis testamentum meũ super os tuum?

17. Tu verò odisti disciplinam; * & projecisti sermónes meos retrorsùm.

18. Si vidébas furem, currébas cum eo; * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

19. Os tuum abundávit malitiâ; * & lingua tua concinnábat dolos.

20. Sedens adversùs fratrem tuum loquebáris; * & adversùs filium matris tuæ ponébas scándalum.

21. Hæc fecisti, & tácui; existimasti iníquè quòd ero tuî símilis: * árguam te, & státuam contra fáciem tuã.

22. Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum; * nequando rápiat, & non sit qui erípiat.

23. Sacrificium laudis honorificábit me; * & illìc iter, quo ostendam illi salutáre Dei.

PSALMUS 53.

Deus suorum custos & vindex.

1. DEus, in nómine tuo salvum me fac; * & in virtúte tuâ júdica me.

2. Deus, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei;

3. Quóniam alièni insurrexérunt adversùm me, & fortes quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt Deum ante conspectum suum.

4. Ecce enim Deus ádjuvat me; * & Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

5. Averte mala inimícis meis; * & in veritáte tuâ dispérde illos.

6. Voluntáriè sacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, DÓMINE, quóniam bonum est;

7. Quóniam ex omni tribulatióne eripuisti me; * & super inimícos meos despexit óculus meus.

Ant. Congregáte Dómino Sanctos ejus, qui órdinant testamentum ejus super sacrificia.

LECTIO. *Jac.* 4.

NOlíte detráhere altérutrum, fratres. † Qui détrahit fratri, aut qui júdicat fratrem suum, détrahit legi, * & júdicat legem.

℣. Dixi: Custódiam vias meas; ℟. Ut non delinquam in linguâ meâ. *Ps.* 38.

AD SEXTAM.

PSALMUS 40.

Christus pro fratribus egens & moriens, resurrectionem suam deposcit & impetrat.

1. BEátus qui intélligit super egénum & páuperem: * in die malâ liberábit eum DÓMINUS.

2. DÓMINUS consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terrâ; * & non tradat eum in

ánimam inimicórum ejus.

3. DÓMINUS opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitáte ejus.

4. Ego dixi: DÓMINE, miserére meî; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

5. Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quandò moriétur, & peribit nomen ejus?

6. Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

7. Egrediebátur foràs, * & loquebátur.

8. In idipsum adversùm me susurrábant omnes inimíci mei: * adversùm me cogitábant mala mihi.

9. Verbum iníquum constituérunt adversùm me: * Numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat?

10. Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

11. Tu autem, DÓMINE, miserére meî, & resuscita me; * & retribuam eis.

12. In hoc cognóvi quóniam voluisti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus super me:

13. Me autem propter innocéntiam suscepisti; * & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

14. Benedictus DÓMINUS Deus Israel à século, & usque in séculum: * fiat, fiat.

PSALMUS 142.

Oratio pœnitentis, opem Dei deprecantis.

1. DÓMINE, exaudi oratiónem meam; áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tuâ; * exaudi me in tuâ justítiâ.

2. Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

3. Quia persecútus est inimícus ánimam meam; humiliávit in terrâ vitam meam: * collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi.

4. Et anxiátus est super me spíritus meus: * in me turbátum est cor meum.

5. Memor fui diérum antiquórum; meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

6. Expandi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aquâ tibi.

Divisio Psalmi 142.

7. VElóciter exaudi me, DÓMINE: * defécit spíritus meus:

8. Non avertas fáciem tuam à me; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

9. Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam; * quia in te sperávi.

10. Notam fac mihi viam in quâ ámbulem;* quia ad te levávi ánimam meam.

11. Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam; quia Deus meus es tu.

12. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tuâ.

13. Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in misericórdiâ tuâ dispérdes inimícos meos.

14. Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam;* quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi.

Lectio. *Prov. 6.*

SEx sunt quæ odit Dóminus, & séptimum detestátur ánima ejus: † óculos sublímes, linguam mendácem, manus effundentes innóxium sánguinem, cor máchinans cogitatiónes péssimas, pedes velóces ad currendum in malum, proferentem mendácia testem fallácem; * & eum qui séminat inter fratres discórdias.

℣. Odísti omnes qui operantur iniquitátem: ℟. Perdes omnes qui loquuntur mendácium. *Ps. 5.*

AD NONAM.

PSALMUS 108.

Christus Judæ proditori aliisque impiis dignas pœnas prædicit.

1. DEus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris & os dolósi super me apertum est.

2. Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ; & sermónibus ódii circumdedérunt me; * & expugnavérunt me gratìs.

3. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

4. Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne meâ.

Divisio Psalmi 108.

5. COnstítue super eum peccatórem; * & diábolus stet à dextris ejus.

6. Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum.

7. Fiant dies ejus pauci;* & episcopátum ejus accípiat alter.

8. Fiant fílii ejus órphani,* & uxor ejus vídua.

9. Nutantes transferantur fílii ejus & mendícent; * & ejiciantur de habitatiónibus suis.

10. Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus;* & dirípiant aliéni labóres ejus.

11. Non sit illi adjútor;* nec sit qui misereátur pupillis ejus.

12. Fiant nati ejus in intéritum: * in generatióne unâ deleátur nomen ejus.

13. In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspectu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

14. Fiant contra Dóminum semper; * & dispéreat de terrâ memória eórum;

15. Pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam; * & persecútus est hóminem ínopem & mendícum, & compunctum corde mortificáre.

16. Et dilexit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

17. Et índuit maledictiónem sicut vestimentum; * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut óleum in óssibus ejus.

18. Fiat ei sicut vestimentum, quo operítur; * & sicut zona, quâ semper præcíngitur.

19. Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

20. Et tu, Dómine Dómine, fac mecum propter nomen tuum;* quia suávis est misericórdia tua:

Divisio Psalmi 108.

21. Libera me, quia egénus & pauper ego sum; * & cor meum conturbátum est intra me.

22. Sicut umbra, cùm declínat, ablátus sum; * & excussus sum sicut locustæ.

23. Génua mea infirmáta sunt à jejúnio; * & caro mea immutáta est propter óleum.

24. Et ego factus sum oppróbrium illis: * vidérunt me, & movérunt cápita sua.

25. Adjuva me, Dómine Deus meus: * salvum me fac secundùm misericórdiam tuam.

26. Et sciant quia manus tua hæc; * & tu, Dómine, fecisti eam.

27. Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insurgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætábitur.

28. Induantur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiantur sicut diplóide, confusióne suâ.

29. Confitébor Dómino nimìs in ore meo; * & in médio multórum laudábo eum.

30. Quia ádstitit à dextris páuperis; * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meam.

Ant. Pro eo ut me dilígerent detrahébant mihi: ego autem orábam.

LECTIO. *Rom.* 12.

NOlíte esse prudentes apud vosmetipsos, † *nulli* malum pro malo reddentes, providentes bona non tantùm coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus; *si fieri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habentes.

℣. Si réddidi retribuéntibus mihi mala; ℟. Décidam méritò ab inimícis meis inánis. *Ps.* 7.

AD VESPERAS

I. PSALMUS 121.

Spes æternæ vitæ: Pax Ecclesiæ desideranda.

1. LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum DÓMINI íbimus.

2. Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis, Jerúsalem.

3. Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

4. Illùc enim ascendérunt tribus, tribus DÓMINI, * testimónium Israel, ad confitendum nómini DÓMINI.

5. Quia illìc sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

6. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem; * & abundántia diligéntibus te.

7. Fiat pax in virtúte tuâ; * & abundántia in túrribus tuis.

8. Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

9. Propter domum DÓMINI Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Propter fratres meos & próximos meos, loquébar pacem de te, Jerúsalem.

II. PSALMUS 126.

Frustrà laborat, qui sine Deo laborat.

1. NIsi DÓMINUS ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt, qui ædíficant eam.

2. Nisi DÓMINUS custodíerit civitátem; * frustrà vígilat, qui custódit eam.

3. Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

4. Cùm déderit diléctis suis somnum, ecce heréditas DÓMINI, filii; * merces, fructus ventris.

5. Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussórum.

6. Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in portâ.

Ant. Ecce heréditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

III. PSALMUS 132.

Fraternæ concordiæ beatitudo.

1. ECce quàm bonum & quàm jucundum, * habitáre fratres in unum!

2. Sicut unguentum in cápite, quod descendit in barbam, barbam Aaron,* quod descendit in oram vestimenti ejus;

3. Sicut ros Hermon, * qui descendit in montem Sion.

4. Quóniam illìc mandávit Dóminus benedictiónem, * & vitam usque in séculum.

Ant. Quàm bonum & quàm jucundum, habitáre fratres in unum!

IV. Psalmus 140.

Justus orat, ut sit in tribulatione patiens, & tutus ab inimicis. Vox Christi in cruce.

1. Dómine, clamávi ad te; exaudi me: * intende voci meæ, cùm clamávero ad te.

2. Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspectu tuo: * elevátio mánuum meárum sacrificium vespertinum.

3. Pone, Dómine, custódiam ori meo, * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

4. Non declínes cor meũ in verba malítiæ, ad excusandas excusatiónes in peccátis, cum homínibus operántibus iniquitátem: * & non communicábo cum eléctis eórum.

5. Corrípiet me justus in misericórdiâ, & increpábit me; óleum autem peccatóris non impinguet caput meum; * quóniam adhùc & orátio mea in beneplácitis eórum.

6. Absorpti sunt juncti petræ júdices eórum: * áudient verba mea, quóniam potuérunt.

7. Sicut crassitúdo terræ erupta est super terram; * dissipáta sunt ossa nostra secus infernum.

8. Quia ad te, Dómine Dómine, óculi mei: * in te sperávi; non áuferas ánimam meam.

9. Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, * & à scándalis operántium iniquitátem.

10. Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * singuláriter sum ego donec tránseam.

Ant. In misericórdiâ justus increpábit me: óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Lectio. *Coloss.* 3.

Indúite vos sicut elécti Dei sancti & dilecti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam: † supportantes ínvicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversùs áliquem habet querélam, sicut & Dóminus donávit vobis, ita & vos: * super ómnia autem hæc caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis.

℞. *br.* Mansuéti * Hereditábunt terram. ℞. Man-

suéti. ℣. Et delectabuntur in multitúdine pacis. * Hereditábunt. ℣. Glória. ℟. *Mansuéti. Ps.* 36.

HYMNUS. C.

O Quàm juvat fratres, Deus,
Unum quibus Christus caput
Vitále robur súfficit,
Uno movéri spíritu!
Quàm dulce laudes dícere
Unâ tibi cunctos domo,
Precumque ceu factâ manu
Inferre vim gratam tibi!
Hanc quisque díligat domum;
Hanc pace concors récreet:
Væ dira qui spargit malus
Dissensiónum sémina.
Sed damna cedunt in lucrum
Te, Christe, diligéntibus:
Augent corónas prælia;
Prosuntque, dùm nocent, mali.
Præsta, beáta Trínitas,
Ut caritáte mútuâ
Prosímus alter álteri,
Regnémus & polo simul. Amen.

℣. Díriget Dóminus mãsuétos in judício: ℟. Docébit mites vias suas. *Ps.* 24.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Ad Magníficat. *Ant.* Ipse est propitiátio pro peccátis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed étiam pro totíus mundi. *I. Joan.* 2.

In aliis Temporibus, ut in Proprio.

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 34.

Christus adversùs testes iniquos auxilium Patris implorat.

1. JUdica, DÓMINE, nocentes me: * expugna impugnantes me.

2. Apprehende arma & scutum; * & exsurge in adjutórium mihi.

3. Effunde frámeam, & conclúde adversùs eos qui persequuntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.

4. Confundantur & revereantur, * quærentes ánimam meam:

5. Avertantur retrorsùm, & confundantur, * cogitantes mihi mala.

6. Fiant tamquàm pulvis ante fáciem venti; * & Angelus DÓMINI coarctans eos.

7. Fiat via illórum ténebræ & lúbricum; * & Angelus DÓMINI pérsequens eos.

8. Quóniam gratìs abscondérunt mihi intéritum láquei sui: * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

9. Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abscondit, apprehendat eum; * & in láqueum cadat in ipsum.

10. Anima autem mea exsultábit in DÓMINO; *

& delectábitur super salutári suo.

11. Omnia ossa mea dicent: * DÓMINE, quis símilis tibi,

12. Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & páuperem à diripiéntibus eum?

Divisio Psalmi 34.

13. SUrgentes testes íníqui, * quæ ignorábam, interrogábant me.

14. Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

15. Ego autem, cùm mihi molesti essent, * induébar cilício.

16. Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in sinu meo convertétur.

17. Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens & contristátus, sic humiliábar.

18. Et adversùm me lætáti sunt, & convenérunt:* congregáta sunt super me flagella, & ignorávi.

19. Dissipáti sunt, nec compuncti; tentavérunt me subsannavérunt me subsannatióne; * frenduérunt super me déntibus suis.

20. Dómine, quandò respícies? * restitue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

21. Confitébor tibi in ecclésiâ magnâ; * in pópulo gravi laudábo te.

22. Non supergáudeant mihi qui adversantur mihi iníquè; * qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

23. Quóniam mihi quidem pacificè loquebantur; * & in iracúndiâ terræ loquentes, dolos cogitábant.

24. Et dilatavérunt super me os suum; * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

25. Vidisti, DÓMINE, ne síleas: * Dómine, ne discédas à me.

Divisio Psalmi 34.

26. EXsurge, & intende judício meo:* Deus meus, & Dóminus meus, in causam meam.

27. Júdica me secundùm justítiam tuam, DÓMINE Deus meus; * & non supergáudeant mihi.

28. Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ; * nec dicant: Devorávimus eum.

29. Erubescant & revereantur simul, qui gratulantur malis meis: * induantur confusióne & reveréntiâ, qui magna loquuntur super me.

30. Exsultent & lætentur qui volunt justítiam meã;* & dicant semper, Magnificétur DÓMINUS, qui volunt pacem servi ejus.

31. Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Cant. Nunc dimittis.

FERIA QUARTA.

Spes in Deum & fiducia : Christus misericordiæ largitor.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dóminum ſpem pópuli ſui, *Veníte, adorémus. *Joel*, 3.

HYMNUS. *C.*

Mirámur, ô Deus, tuæ
Recés opus poténtiæ,
Quæ ſcripta ſcintillántibus
Refulget aſtrórum globis.

Ut ſol diéi, cándida
Sic luna nocti præſidet :
Exércitu totum novo
Diſcríminant ſtellæ polum.

At ipſe, cœlórum decus,
Sol novit occáſus ſuos :
Sunt certa lunæ témpora,
Statique lapſus síderum.

Jugi rotáta túrbine
Furantur & reddunt diem :
Tu ſemper idem, néſcius
Mortálium ſpem fállere.

Turbáta quid mens flúctuet ?
Curâ paternâ nos regis :
Ætema ſi cordi ſalus ;
Æterna nos ſalus manet.

Supréma laus & glória
Uni ſit & trino Deo,
Suo repóni qui jubet
Curas & angóres ſinu.

Amen.

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 9.

Eccleſia de victoriis jam reportatis gratias agit, pro reportandis opem poſcit.

1. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : * narrábo ómnia mirabília tua.

2. Lætábor & exſultábo in te : * pſallam nómini tuo, Altiſſime :

3. In convertendo inimícum meum retrorsùm ; * infirmabuntur & períbunt à fácie tuâ.

4. Quóniam feciſti judícium meum & cauſam meam : * ſediſti ſuper thronum, qui júdicas juſtítiam.

5. Increpaſti gentes, & périit ímpius : * nomen eórum deleſti in æternum & in ſéculum ſéculi.

6. Inimíci defecérunt frámeæ in finem ; & civitátes eórum deſtruxiſti : * périit memória eórum cum sónitu.

7. Et Dóminus in æternum pérmanet : * parávit in judício thronum ſuum.

8. Et ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte ; * judicábit pópulos in juſtítiâ.

9. Et factus eſt Dóminus refúgium páuperi, * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne :

10. Et ſperent in te qui novérunt nomen tuum, *

quóniam non dereliquísti quærentes te, Dómine.

11. Psállite Dómino, qui hábitat in Sion: * annuntiáte inter gentes stúdia ejus.

12. Quóniam requírens sánguinum, eórum recordátus est: * non est oblítus clamórem páuperum.

Ant. Sperent in te qui novérunt nomen tuum; quóniam non dereliquísti quærentes te, Dómine.

II. *Divisio Psalmi 9.*

13. Miserére meî, Dómine, * vide humilitátem meam de inimícis meis, qui exaltas me de portis mortis:

14. Ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis filiæ Sion; * exsultábo in salutári tuo.

15. Infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt: * in láqueo isto quem abscondérunt, comprehénsus est pes eórum.

16. Cognoscétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

17. Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviscúntur Deum.

18. Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

19. Exsúrge, Dómine, non confortétur homo: * judicentur gentes in conspéctu tuo.

20. Constítue, Dómine, legislatórem super eos; * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

Ant. Non in finem oblívio erit páuperis: patiéntia páuperum non períbit in finem.

III. *Divisio Psalmi 9.*

21. Ut quid, Dómine, recessísti longè; * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

22. Dùm supérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

23. Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ; * & iníquus benedícitur.

24. Exacerbávit Dóminum peccátor: * secundùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

25. Non est Deus in conspéctu ejus: * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

26. Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

27. Dixit enim in corde suo: Non movébor; * à generatióne in generatiónem ero sine malo.

28. Cujus maledictióne os plenum est, & amaritúdine & dolo: * sub linguâ ejus labor & dolor.

29. Sedet in insídiis cum

divítibus in occultis; * ut interficiat innocentem.

30. Oculi ejus in páuperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito, quasi leo in speluncâ suâ.

31. Insidiátur ut rápiat páuperem; * rápere páuperem, dùm ádtrahit eum.

32. In láqueo suo humiliábit eum: * inclinábit se, & cadet, cùm dominátus fuerit páuperum.

33. Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus; * avertit fáciem suam, ne vídeat in finem.

34. Exsurge, Dómine Deus; exaltétur manus tua: * ne obliviscáris páuperum.

35. Propter quid irritávit ímpius Deum?* dixit enim in corde suo: Non requíret.

36. Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas; * ut tradas eos in manus tuas.

37. Tibi derelíctus est pauper: * órphano tu factus es adjútor.

38. Cóntere bráchium peccatóris & malígni: * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

39. Dóminus regnábit in æternum, & in séculum séculi: * períbitis, gentes, de terrâ illíus.

40. Desidérium páuperum exaudívit Dóminus:* præparatiónem cordis eórum audívit auris tua:

41. Judicáre pupillo & húmili; * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

Ant. Exsurge, Dómine Deus: exaltétur manus tua, ne obliviscáris páuperum.

IV. Psalmus 60.

Deus justi spes & præsidium: Christi regnum in æternum permanet.

1. Exaudi, Deus, deprecatiónem meam; * intende oratióni meæ.

2. A fínibus terræ ad te clamávi, dùm anxiarétur cor meum: * in petrâ exaltasti me.

3. Deduxisti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

4. Inhabitábo in tabernáculo tuo in sécula: * prótegar in velamento alárum tuárum.

5. Quóniam tu, Deus meus, exaudisti oratiónem meam; * dedisti hereditátem timéntibus nomen tuum.

6. Dies super dies Regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

7. Pérmanet in æternum in conspectu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

8. Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Deduxisti me; quia

factus es spes mea, turris fortitúdinis à fácie inimíci.

V. PSALMUS 61.

Frustrà oppugnatur, qui Deo subjectus, in ejus tutelâ manet.

1. NOnne Deo subjecta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meũ.

2. Nam & ipse Deus meus & salutáris meus; * suscéptor meus, non movébor ámpliùs.

3. Quousque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérsi vos, tamquàm paríeti inclináto, & macériæ depúlsæ?

4. Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; placuérunt sibi in mendácio: * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

5. Verúmtamen Deo subjecta esto; ánima mea; * quóniam ab ipso patiéntia mea.

6. Quia ipse Deus meus & salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

7. In Deo salutáre meum & glória mea: * Deus auxílii mei; & spes mea in Deo est.

8. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda vestra: * Deus adjútor noster in ætérnum.

9. Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in statéris; * ut decípiant ipsi de vanitáte in idipsum.

10. Nolíte speráre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere; * divítiæ si affluant, nolíte cor appónere.

11. Semel locútus est Deus; * duo hæc audívi:

12. Quia potestas Dei est; & tibi, Dómine, misericórdia: * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Ant. In Deo salutáre meum & glória mea: Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est.

VI. PSALMUS 63.

Vox Christi & animæ fidelis Dei justitiam deprecantis.

1. EXaudi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

2. Protexísti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

3. Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum, rem amáram:

4. Ut sagíttent in occúltis immaculátum: * súbitò sagittábunt eum, & non timébunt.

5. Firmavérunt sibi sermónem nequam; narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

6. Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

7. Accédet homo ad cor altum ; * & exaltábitur Deus.

8. Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum ;* & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

9. Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos ; * & tímuit omnis homo.

10. Et annuntiavérunt ópera Dei ; * & facta ejus intellexérunt.

11. Lætábitur justus in DÓMINO, & sperábit in eo ; * & laudabuntur omnes recti corde.

Ant. Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

℣. Beneplácitum est Dómino super timentes eum ; ℟. Et in eis qui sperant super misericórdiâ ejus. *Ps.* 146.

Absolutio. Deus spei réplear vos omni gáudio & pace in credendo, ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs Sancti. *Rom.* 15.

℟. Amen.

Benedictiones ad caput Psalterii.

IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 77.

Beneficia Judæis olim præstita immensam Dei misericordiam prædicant.

1. ADténdite, pópule meus, legem meã :* inclináte aurem vestram in verba oris mei.

2. Apériam in parábolis os meum : * loquar propositiónes ab initio.

3. Quanta audívimus & cognóvimus ea, * & patres nostri narravérunt nobis.

4. Non sunt occultáta à filiis eórum, * in generatióne álterâ :

5. Narrantes laudes DÓMINI, & virtútes ejus ; * & mirabília ejus, quæ fecit.

6. Et suscitávit testimónium in Jacob, * & legem pósuit in Israel :

7. Quanta mandávit pátribus nostris, nota fácere ea filiis suis ; * ut cognoscat generátio áltera :

8. Fílii qui nascentur, & exsurgent, * & narrábunt filiis suis :

9. Ut ponant in Deo spem suam ; & non obliviscantur óperum Dei ; * & mandáta ejus exquírant :

10. Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava & exásperans :

11. Generátio quæ non direxit cor suum ; * & non est créditus cum Deo spíritus ejus.

II. *Divisio Psalmi* 77.

12. FIlii Ephraim intendentes & mittentes arcum, * conversi sunt in die belli.

13. Non custodiérunt testamentum Dei ; * & in lege ejus noluérunt ambuláre ;

14. Et oblíti sunt bene-

factórum ejus, * & mirabílium ejus quæ ostendit eis.

15. Coram pátribus eórum fecit mirabília in terrâ Ægypti, * in campo Táneos.

16. Interrúpit mare, & perduxit eos; * & státuit aquas quasi in utre:

17. Et deduxit eos in nube per diem, * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

18. Interrúpit petram in erémo; * & adaquávit eos velut in abysso multâ:

19. Et eduxit aquam de petrâ; * & deduxit tamquàm flúmina aquas.

20. Et apposuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excelsum in inaquóso.

21. Et tentavérunt Deum in córdibus suis; * ut péterent escas animábus suis.

22. Et malè locúti sunt de Deo: * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre mensam in deserto?

23. Quóniam percussit petram, & fluxérunt aquæ * & torrentes inundavérunt.

24. Numquid & panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

25. Ideò audívit Dóminus, & dístulit; & ignis accensus est in Jacob; * & ira ascendit in Israel.

26. Quia non credidérunt in Deo; * nec speravérunt in salutári ejus.

27. Et mandávit núbibus désuper; * & jánuas cœli apéruit.

28. Et pluit illis manna ad manducandum; * & panem cœli dedit eis.

29. Panem Angelórum manducávit homo; * cibária misit eis in abundántiâ.

III. *Divisio Psalmi 77.*

30. TRánstulit Austrum de cœlo; * & induxit in virtúte suâ Africum.

31. Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * & sicut arénam maris volatília pennáta.

32. Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

33. Et manducavérunt, & saturáti sunt nimìs; & desidérium eórum ádtulit eis: * non sunt fraudáti à desidério suo.

34. Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum; * & ira Dei ascendit super eos.

35. Et occídit pingues eórum; * & electos Israel impedívit.

36. In ómnibus his peccavérunt adhuc; * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

37. Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum festinatióne.

38. Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebantur, & dilúculo veniébant ad eum.

39. Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum; * & Deus excelsus redemptor eórum est.

40. Et dilexérunt eum in ore suo; * & linguâ suâ mentíti sunt ei.

41. Cor autem eórum non erat rectum cum eo;* nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus.

42. Ipse autem est misé-ricors, & propítius fiet peccátis eórum; * & non disperdet eos.

IV. *Divisio Psalmi* 77. Et

43. ABundávit ut avérteret iram suam; * & non accendit omnem iram suam:

44. Et recordátus est quia caro sunt, * spíritus vadens, & non rédiens.

45. Quóties exacerbavérunt eum in deserto? * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

46. Et conversi sunt, & tentavérunt Deum; * & Sanctum Israel exacerbavérunt.

47. Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis:

48. Sicut pósuit in Ægypto signa sua,* & prodígia sua in campo Táneos.

49. Et convertit in sánguinem flúmina eórum,*& imbres eórum ne bíberent.

50. Misit in eos cœnomyiam, & comédit eos; * & ranam, & dispérdidit eos.

51. Et dedit ærúgini fructus eórum; * & labóres eórum locustæ.

52. Et occídit in grándine víneas eórum,* & moros eórum in pruínâ.

53. Et trádidit grándini jumenta eórum, * & possessiónem eórum igni.

54. Misit in eos iram indignatiónis suæ, indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, * immissiónes per ángelos malos.

55. Viam fecit sémitæ iræ suæ, & non pepercit à morte animábus eórum; * & jumenta eórum in morte conclúsit.

56. Et percussit omne primogénitum in terrá Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

V. *Divisio Psalmi* 77. Et

57. ABstulit sicut oves pópulum suum; * & perduxit eos tamquàm gregem in deserto.

58. Et deduxit eos in spe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

59. Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

60. Et ejécit à fácie eórum gentes; * & sorte divísit eis terram in funículo distributiónis;

61. Et habitáre fecit in tabernáculis eórum, * tribus Israel.

62. Et tentavérunt & exa-

cerbavérunt Deum excelſum; * & teſtimónia ejus non cuſtodiérunt.

63. Et avertérunt ſe, & non ſervavérunt pactum, quemádmodùm patres eórum; * converſi ſunt in arcum pravum.

64. In iram concitavérunt eum in cóllibus ſuis;* & in ſculptílibus ſuis ad æmulatiónem eum provocavérũt.

65. Audívit Deus, & ſprevit; * & ad níhilum redégit valdè Iſrael.

66. Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum ſuum, ubi habitávit in homínibus.

67. Et trádidit in captivitátem virtûtem eórum;* & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

68. Et conclúſit in gládio pópulum ſuum; * & hereditátem ſuam ſprevit.

69. Júvenes eórum comédit ignis; * & vírgines eórum non ſunt lamentátæ.

70. Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt; * & víduæ eórũ non plorabantur.

VI. *Diviſio Pſalmi* 77. Et

71. EXcitátus eſt tamquàm dórmiens Dóminus, * tamquàm potens crapulátus à vino.

72. Et percuſſit inimícos ſuos in poſterióra: * oppróbrium ſempitemum dedit illis.

73. Et répulit tabernáculum Joſeph; * & tribum Ephraim non elégit;

74. Sed elégit tribum Juda, * montem Sion, quem diléxit.

75. Et ædificávit ſicut unicórnium ſanctifícium ſuum in terrâ, * quam fundávit in ſǽcula.

76. Et elégit David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de grégibus óvium, * de poſt fœtantes accépit eum:

77. Páſcere Jacob ſervum ſuum, * & Iſrael hereditátem ſuam:

78. Et pavit eos in innocéntiâ cordis ſui; * & in intelléctibus mánuum ſuárum deduxit eos.

Ant. Fílii qui naſcentur, narrábunt fíliis ſuis; ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcantur óperum Dei.

LECTIO. *Rom.* 15.

QUæcumque ſcripta ſũt, ad noſtram doctrínam ſcripta ſunt; ut per patiéntiam & conſolatiónem Scripturárum ſpem habeámus.

℣. Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt; ℟. Tunc fortè periiſſem in humilitáte meâ. *Pſ.* 118.

Collecta infra ad Laudes.

AD LAUDES.

I. PSALMUS 5.

Eccleſia à Deo ſummè juſto adversùs iniquos opem deprecatur.

1. VErba mea áuribus pércipe, DÓMINE:* intéllige clamórem meum.

2. Intende voci oratiónis meæ, Rex meus & Deus meus; * quóniam ad te orábo.

3. DÓMINE, manè exáudies vocem meam: * manè adſtábo tibi, & vidébo.

4. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es; neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injuſti ante óculos tuos,

5. Odiſti omnes qui operantur iniquitátem: perdes omnes qui loquuntur mendácium: * virum ſanguinum & dolóſum abominábitur DÓMINUS.

6. Ego autem, in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo.

7. DÓMINE, deduc me in juſtítiâ tuâ: * propter inimícos meos dírige in conſpectu tuo viam meam.

8. Quóniam non eſt in ore eórum véritas: * cor eórum vanum eſt.

9. Sepulcrum patens eſt guttur eórum; linguis ſuis dolóſè agébant: * júdica illos, Deus.

10. Décidant à cogitatiónibus ſuis: ſecundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

11. Et lætentur omnes qui ſperant in te: * in æternum exſultábunt, & habitábis in eis.

12. Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces juſto.

13. DÓMINE, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ, * coronaſti nos.

Ant. Omnes qui ſperant in te, Dómine, in æternum exſultábunt, & habitábis in eis.

II. PSALMUS 64.

Summa Dei beneficentia, qui fidelibus ſuis cibum parat: Eccleſiæ fœcunditas.

1. TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúſalem.

2. Exaudi oratiónem meam; * ad te omnis caro véniet.

3. Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos; * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

4. Beátus quem elegiſti, & aſſumpſiſti: * inhabitábit in átriis tuis.

5. Replébimur in bonis domûs tuæ: * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

6. Exaudi nos, Deus ſalutáris noſter, * ſpes ómnium finium terræ, & in mari longè:

7. Præparans montes in virtúte tuâ, accinctus poténtiâ; * qui conturbas

profundum maris, sonum flúctuum ejus.

8. Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni & véspera delectábis.

9. Visitasti terram, & inebriasti eam: * multiplicasti locupletáre eam.

10. Flumen Dei replétum est aquis; parasti cibum illórum; * quóniam ita est præparátio ejus.

11. Rivos ejus inébria; multíplica genímina ejus:* in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

12. Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ;* &campi tui replebuntur ubertáte.

13. Pinguescent speciósa deserti; * & exsultatióne colles accingentur.

14. Indúti sunt aríetes óvium; & valles abundábunt frumento: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exaudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium finium terræ.

III. Psalmus 91.

Laudandus Deus, in operibus suis magnificus, justus in judiciis.

1. BOnum est confitéri Dómino, * & psállere nómini tuo, Altíssime:

2. Ad annuntiandum manè misericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem;

3. In decachordo & psaltério, * cum cántico, in citharâ.

4. Quia delectasti me, Dómine, in factúrâ tuâ;* & in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

5. Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine!* nimìs profundæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

6. Vir insípiens non cognoscet; * & stultus non intélliget hæc:

7. Cùm exorti fúerint peccatóres sicut fenum, & apparúerint omnes qui operantur iniquitátem; * ut intéreant in séculum séculi.

8. Tu autem Altíssimus* in æternum, Dómine.

9. Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt;* & dispergentur omnes qui operantur iniquitátem.

10. Et exaltábitur sicut unicornis cornu meum; * & senectus mea in misericórdiâ úberi.

11. Et despexit óculus meus inimícos meos;* & in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

12. Justus ut palma florébit: * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

13. Plantáti in domo Dómini, in átriis domûs Dei nostri florébunt: * adhuc multiplicabuntur in senectâ úberi.

14. Et benè patientes erunt, ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus

noster; * & non est iníquitas in eo.

Ant. Bonum est psállere nómini tuo, Altíssime, ad annuntiandum manè misericórdiam tuam.

IV. CANTICUM. *Is.* 12.

Gratiarum actio pro beneficiis Christi Salvatoris.

1. CONfitébor tibi, DÓMINE, quóniam irátus es mihi; * convérsus est furor tuus, & consolátus es me.

2. Ecce Deus Salvátor meus: * fiduciáliter agam, & non timébo.

3. Quia fortitúdo mea & laus mea, DÓMINUS; * & factus est mihi in salútem.

4. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; & dicétis in die illâ: * Confitémini DÓMINO, & invocáte nomen ejus.

5. Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * meméntóte quóniam excelsum est nomen ejus.

6. Cantáte DÓMINO, quóniam magnífice fecit: * annuntiáte hoc in universâ terrâ.

7. Exsulta & lauda, habitátio Sion; * quia magnus in médio tuî Sanctus Israel.

Ant. Ecce Deus Salvátor meus: fiduciáliter agam, & non timébo.

V. PSALMUS 145.

Non in homine, sed in solo Deo confidendum.

1. LAuda, ánima mea, DÓMINUM: laudábo DÓMINUM in vitâ meâ; * psallam Deo meo quámdiù fúero.

2. Nolíte confídere in princípibus, * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

3. Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suã: * in illâ die peribunt omnes cogitatiónes eórum.

4. Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in DÓMINO Deo ipsíus; * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

5. Qui custódit veritátem in sǽculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

6. DÓMINUS solvit compedítos; * DÓMINUS illúminat cæcos:

7. DÓMINUS érigit elísos; * DÓMINUS díligit justos.

8. DÓMINUS custódit ádvenas, pupillum & víduam suscípiet; * & vias peccatórum dispérdet.

9. Regnábit DÓMINUS in sǽcula, * Deus tuus, Sion, in generatiónem & generatiónem.

Ant. Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus.

LECTIO. *Hebr.* 10.

TEneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem; fidélis enim est qui repromísit.

℟. *br.* Memor esto verbi

tui servo tuo, * In quo mihi spem dedisti. ℟. Memor. ℣. Hæc me consoláta est in humilitáte meâ, quia elóquium tuum vivificávit me. * In quo. ℣. Glória. ℟. Memor. *Ps.* 118.

HYMNUS. *C.*

PRomittis; & servas datam
Immóbilis fidem, Deus:
Hanc mane primo sédulâ
Repóscimus fidem prece.

Promittit; atque décipit
Incertus & fallax homo:
Sic quassa, si incumbas super,
Arundo transfiget manum.

Beátus ergo qui tuo
Se totus abdit in sinu:
Hâc arce tutum túrbinis
Vis nulla de statu quatit.

Ne cor vacillet óbligas
Temet sacramento, Deus:
Spes nixa tanto pígnore
Ætern a jam prensat bona.

Jam mente præsúmens polum,
Secúra sublími throno
Adsistit, & cœléstium
Prælíbat undas flúminum.

Fons ô perennis grátiæ,
Colenda semper Trínitas,
Te spem salútis únicam
Da mente totâ quærere.
Amen.

℣. Respondébo exprobrántibus mihi verbum; ℟. Quia sperávi in sermónibus tuis. *Ps.* 118.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Ad Benedíctus. *Ant.* Justificábit ipse justus servus meus multos; & iniquitátes eórum ipse portábit. *Is.* 53.

COLLECTA. *Sacr. Alcuini.*

DEus, qui superbis resistis, & grátiam præstas humílibus: † auge in nobis virtútem, cujus in se formam fidélibus unigénitus Fílius tuus exhíbuit; * ut nunquàm indignatiónem tuam provocémus eláti, sed pótiùs semper pietátis tuæ capiámus dona subjecti: Per eumdem.

AD PRIMAM.

PSALMUS 30.

Vox Christi morientis, & spiritum suum Patri commendantis.

1. IN te, DÓMINE, sperávi; non confundar in æternum: * in justítiâ tuâ líbera me.

2. Inclína ad me aurem tuam: * accélera ut éruas me.

3. Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii; * ut salvum me fácias.

4. Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

5. Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi; * quóniam tu es protector meus.

6. In manus tuas commendo spíritum meum: *

redemiſti me, DÓMINE Deus veritátis.

7. Odiſti obſervantes vanitátes ſupervácuè; * ego autem in DÓMINO ſperávi.

8. Exſultábo & lætábor in misericórdiâ tuâ : * quóniam reſpexiſti humilitátem meam; ſalvaſti de neceſſitátibus ánimam meam:

9. Nec concluſiſti me in mánibus inimíci; * ſtatuiſti in loco ſpatióſo pedes meos.

Diviſio Pſalmi 30.

10. MIſerére meî, DÓMINE; quóniam tríbulor: * conturbátus eſt in irâ óculus meus, ánima mea & venter meus.

11. Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

12. Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea,* & oſſa mea conturbáta ſunt.

13. Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbrium, & vicínis meis valdè, * & timor notis meis.

14. Qui vidébant me foràs, * fugérunt à me.

15. Oblivióni datus ſum tamquàm mórtuus à corde: * factus ſum tamquàm vas pérditum :

16. Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu : * in eo dùm convenírent ſimul adverſùm me, accípere ánimam meam conſiliáti ſunt.

17. Ego autem in te ſperávi, DÓMINE : * dixi : Deus meus es tu; in mánibus tuis ſortes meæ.

18. Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à perſequéntibus me.

19. Illuſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum; * ſalvum me fac in miſericórdiâ tuâ.

20. DÓMINE, non confundar, quóniam invocávi te : * erubeſcant ímpii, & deducantur in infernum.

21. Muta fiant lábia dolóſa; * quæ loquuntur adverſùs juſtum iniquitátem, in ſupérbiâ & in abuſióne.

Diviſio Pſalmi 30.

22. QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abſcondiſti timéntibus te : * perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiórum hóminum!

23. Abſcondes eos in abſcóndito faciéi tuæ, à conturbatióne hóminum : * próteges eos in tabernáculo tuo, à contradictióne linguárum.

24. Benedictus DÓMINUS; * quóniam mirificávit miſericórdiam ſuam mihi in civitáte munita.

25. Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ : * Projectus ſum à fácie oculórum tuórum.

26. Ideò exaudiſti vocem oratiónis meæ, * dùm clamárem ad te.

27. Dilígite DÓMINUM,

omnes ſancti ejus; * quóniam veritátem requíret DÓMINUS, & retribuet abundanter faciéntibus ſupérbiam.

28. Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum, * omnes qui ſperátis in DÓMINO.

Ant. Ego in Dómino ſperávi: exſultábo & lætábor in miſericórdiâ tuâ.

AD TERTIAM.

PSALMUS 10.

Animæ in Deo confidentis ſecuritas.

1. IN DÓMINO confido: * quómòdò dícitis ánimæ meæ: Tránſmigra in montem ſicut paſſer?

2. Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum; paravérunt ſagittas ſuas in pháretrâ: * ut ſagittent in obſcúro rectos corde.

3. Quóniam quæ perfeciſti, deſtruxérunt; * juſtus autem quid fecit?

4. DÓMINUS in templo ſancto ſuo; * DÓMINUS in cœlo ſedes ejus:

5. Oculi ejus in páuperem reſpíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

6. DÓMINUS intérrogat juſtum & ímpium; * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

7. Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpíritus procellárum, pars cálicis eórum.

8. Quóniam juſtus DÓMINUS, & juſtítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 119.

Juſtus patiens vitæ præſentis miſerias, luget, & ad patriam ſuſpirat.

1. AD DÓMINUM, cùm tribulárer, clamávi; * & exaudívit me.

2. DÓMINE, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à linguâ dolósâ.

3. Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguam dolóſam?

4. Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

5. Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus eſt: habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

6. Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

PSALMUS 122.

Mens in Deum erigenda tempore tribulationis.

1. AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

2. Ecce ſicut óculi ſervórum in mánibus dominórum ſuórum; * ſicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ ſuæ:

3. Ita óculi noſtri ad DÓMINUM Deum noſtrum, * donec miſereátur noſtri.

4. Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî; * quia multùm repléti sumus despectióne;

5. Quia multùm repléta est ánima nostra; * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

Ant. Dóminus in cœlo sedes ejus; óculi ejus in páuperem respíciunt.

Lectio. *Rom.* 8.

Nos ipsi primítias Spíritûs habentes, & ipsi intra nos gémimus, † adoptiónem filiórum Dei expectantes, redemptiónem córporis nostri;* spe enim salvi facti sumus.

℣. Concupíscit, & déficit ánima mea in átria Dómini, ℟. Cor meum & caro mea exsultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

AD SEXTAM.

Psalmus 41.

Christianus in hoc mundo exsul ad cœlestem anhelans patriam: spe salvus est.

1. Quemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

2. Sitívit ánima mea ad Deum, Fortem vivum: * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

3. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dùm dícitur mihi quotídiè: Ubi est Deus tuus?

4. Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam; * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei:

5. In voce exsultatiónis & confessiónis? * sonûs epulantis.

6. Quare tristis es, ánima mea? * & quare conturbas me?

7. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Divisio Psalmi 41.

8. Ad meipsum ánima mea cõturbáta est:* proptéreà memor ero tuî de terrâ Jordánis & Hermóniim, à monte módico.

9. Abyssus abyssum ínvocat in voce cataractárum tuárum: * ómnia excelsa tua & fluctus tui super me transiérunt.

10. In die mandávit Dóminus misericórdiam suã; & nocte cánticum ejus: * apud me orátio Deo vitæ meæ.

11. Dicam Deo: Suscéptor meus es; quare oblítus es meî? * & quare contristátus incédo, dùm afflígit me inimícus?

12. Dùm confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me, inimíci mei;

13. Dùm dicunt mihi per síngulos dies: * Ubi est Deus tuus?

14. Quare tristis es, ánima mea? * & quare conturbas me?

15. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSALMUS 42.

In Deo sperandum: Deo duce ad Altare ejus introeundum.

1. JUdica me, Deus, & discerne causam meã de gente non sanctâ; * ab hómine iníquo & dolóso érue me;

2. Quia tu es, Deus, fortitúdo mea; quare me repulisti? * & quare tristis incédo, dùm afflígit me inimícus?

3. Emitte lucem tuam & veritátem tuam; * ipsa me deduxérunt & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

4. Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

5. Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus; * quare tristis es, ánima mea, & quare conturbas me?

6. Spera in Deo; quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Spera in Deo, ánima mea: salutáre vultûs mei, & Deus meus.

LECTIO. *Hebr.* 10.

NOlíte amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remunerationem; † patiéntia enim vobis necessária est, * ut voluntátem Dei facientes reportétis promissiónem.

℣. In te, Dómine, confídit ánima mea; ℟. Et in umbrâ alárum tuárum sperábo donec tránseat iníquitas. *Ps.* 56.

AD NONAM.

PSALMUS 12.

Ab hominibus ipsoque Deo quodammodo destitutus, animam tamen justus non despondet.

1. USquequò, DÓMINE, oblivíscéris me in finem? * úsquequò avertes fáciem tuam à me?

2. Quámdiù ponam consília in ánimâ meâ, dolórem in corde meo per diẽ? * úsquequò exaltábitur inimícus meus super me?

3. Réspice & exaudi me, DÓMINE Deus meus: * illúmina óculos meos, ne unquàm obdórmiam in morte.

4. Nequandò dicat inimícus meus: Præválui advérsùs eum: * qui tríbulant me, exsultábunt si motus fúero.

5. Ego autem in misericórdiâ tuâ sperávi: * exsultábit cor meum in salutári tuo.

6. Cantábo DÓMINO, qui bona tríbuit mihi; * & psallam nómini Dómini altíssimi.

PSALMUS 31.

Misericordia Dei peccatorem per gratiam suam justificantis.

1. BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes, * & quorum tecta sunt peccáta!

2. Beátus vir cui non imputávit DÓMINUS peccátum; * nec est in spíritu ejus dolus!

3. Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dùm clamárem totâ die.

4. Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua; * conversus sum in ærumnâ meâ, dùm configitur spina.

5. Delictum meum cógnitum tibi feci; * & injustítiam meam non abscondi.

6. Dixi: Confitébor adversùm me injustítiam meã DÓMINO; * & tu remisisti impietátem peccáti mei:

7. Pro hâc orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

8. Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

9. Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exsultátio mea, érue me à circumdántibus me.

10. Intellectum tibi dabo, & ínstruam te in viâ hâc quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

11. Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intellectus.

12. In cámo & freno maxillas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

13. Multa flagella peccatóris; * sperantem autem in DÓMINO misericórdia circúmdabit.

14. Lætámini in DÓMINO, & exsultáte, justi; * & gloriámini, omnes recti corde.

PSALMUS 56.

Deus omni ope destituto certus auxiliator. Christi patientis oratio.

1. MIserére meî, Deus, miserére meî; * quóniam in te confidit ánima mea:

2. Et in umbrâ alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

3. Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum, qui benefécit mihi.

4. Misit de cœlo, & liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcantes me.

5. Misit Deus misericórdiam suam & veritátem suam; & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: * dormívi conturbátus.

6. Fílii hóminum, dentes eórum arma & sagittæ, * & lingua eórum gládius acútus.

7. Exaltáre super cœlos, Deus; * & in omnem terram glória tua.

8. Láqueum paravérunt pédibus meis; * & incurvavérunt ánimam meam.

9. Fodérunt ante fáciem

meam fóveam; * & incidérunt in eam.

10. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meũ: * cantábo & psalmum dicam.

11. Exsurge, glória mea, exsurge, psaltérium & cíthara: * exsurgam dilúculo.

12. Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & psalmum dicam tibi in géntibus;

13. Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

14. Exaltáre super cœlos, Deus; * & super omnem terram glória tua.

Ant. Ego, Dómine, in misericórdiâ tuâ sperávi: exsultábit cor meum in salutári tuo.

LECTIO. *Jerem.* 17.

HÆc dicit Dóminus: † Maledictus homo, qui confidit in hómine, & ponit carnem bráchium suum, * & à Dómino recédit cor ejus.

℣. Da nobis, Dómine, auxílium de tribulatióne: ℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

AD VESPERAS.

I. PSALMUS 129.

Oratio pœnitentis veniam à Deo per Christum postulantis.

1. DE profundis clamávi ad te, DÓMINE: * Dómine, exaudi vocem meam.

2. Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecatiónis meæ.

3. Si iniquitátes observáveris, DÓMINE; * Dómine, quis sustinébit?

4. Quia apud te propitiátio est; * & propter legem tuam sustínui te, DÓMINE.

5. Sustínuit ánima mea in verbo ejus; * sperávit ánima mea in Dómino.

6. A custódiâ matutínâ usque ad noctem, * speret Israel in DÓMINO;

7. Quia apud DÓMINUM misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio:

8. Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Sustínuit ánima mea in verbo ejus; sperávit ánima mea in Dómino.

II. PSALMUS 130.

Non in se, sed in Domino gloriandum.

1. DOMINE, non est exaltátum cor meum; * neque eláti sunt óculi mei:

2. Neque ambulávi in magnis; * neque in mirabílibus super me.

3. Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam:

4. Sicut ablactátus est super matre suâ, * ita retribútio in ánima mea.

5. Speret Israel in DÓMINO, * ex hoc nunc & usque in séculum.

Ant. Speret Israel in Dómino,

mino, ex hoc nunc & usque in sǽculum.

III. Psalmus 136.

Israel in captivitate gemens; lugens in seculo Christianus; suam uterque Jerusalem desiderat.

1. SUper flúmina Babylónis, illìc sédimus & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

2. In salícibus, in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra:

3. Quia illìc interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum;

4. Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

5. Quómodò cantábimus cánticum Dómini, * in terrâ aliénâ.

6. Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

7. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tuî,

8. Si non proposúero Jerúsalem, * in princípio lætítiæ meæ.

9. Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem;

10. Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte, * usque ad fundamentum in eâ.

11. Fília Babylónis mísera, * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuisti nobis!

12. Beátus qui tenébit & allídet, * párvulos tuos ad petram!

Ant. Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, oblivióni detur déxtera mea.

IV. Psalmus 141.

Justus humanâ ope destitutus, divinum implorat patrocinium; vox Christi patientis.

1. VOce meâ ad Dóminum clamávi: * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum.

2. Effúndo in conspectu ejus oratiónem meam; * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

3. In deficiendo ex me spíritum meum; * & tu cognovisti sémitas meas.

4. In viâ hâc quâ ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

5. Considerábam ad déxteram, & vidébam; * & non erat qui cognósceret me.

6. Périit fuga à me; * & non est qui requírat ánimam meam.

7. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es spes mea, * pórtio mea in terrâ vivéntium.

8. Intende ad deprecatiónem meam; * quia humiliátus sum nimìs.

9. Líbera me à persequéntibus me; * quia confortáti sunt super me.

10. Educ de custódiâ ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: * me

exspectant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Tu es spes mea, Dómine : pórtio mea in terrâ vivéntium.

LECTIO. *I. Joan.* 3.

CAríssimi, nunc filii Dei sumus, & nondùm appáruit quid érimus. † Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sicuti est. * Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut & ille sanctus est.

℟. *br.* Beátus vir * Cujus est nomen Dómini spes ejus. ℟. Beátus. ℣. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas, * Cujus. ℣. Glória. ℟. Beátus. *Ps.* 39.

HYMNUS. *C.*

HOrres superbos, nec tuam
Das álteri laudem, Deus:
Humána nil isthinc sibi
Decerpat arrogántia.

Ingráta quippe mens tuæ
Fluenta sistit grátiæ;
Tristíque marcescit statìm
Ceu gramen exustum siti.

Ut servus in manus heri
Intenta figit lúmina;
Sic ora sacris móntibus
Non dimovémus ánxii.

Desiderátam si dare
Opem moráris; spes tamen,
Tenácis instar ánchoræ
Immóta fundat péctora.

Sit summa Patri glória;
Sit summa Nato, qui dedit
Nobis futúræ Spíritum
Hereditátis óbsidem.
Amen.

℣. Mihi adhærére Deo bonum est, ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Ad Magníficat. *Ant.* Ille appáruit, ut peccáta nostra tólleret, & peccátum in eo non est. *I. Joan.* 3.

In aliis Temporibus ut in Proprio.

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 45.

Ecclesia in se habens Deum inhabitantem, non commovebitur.

1. DEus noster refúgium & virtus, * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

2. Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

3. Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

4. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

5. Deus in médio ejus; non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

6. Conturbátæ sunt gen-

tes, & inclináta sunt regna; * dedit vocem suam, mota est terra.

7. DÓMINUS virtútum nobíscum; * suscéptor noster Deus Jacob.

8. Veníte, & vidéte ópera DÓMINI, * quæ pósuit prodígia super terram:

9. Auferens bella usque ad finem terræ; arcum cónteret, & confringet arma; * & scuta combúret igni.

10. Vacáte & vidéte, quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terrâ.

11. DÓMINUS virtútum nobíscum; * suscéptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 72.

Summa Dei in impios patientia, spes bonorum; argumentum de divinâ providentiâ.

1. QUàm bonus Israel Deus, * his qui recto sunt corde!

2. Mei autem penè moti sunt pedes; * penè effúsi sunt gressus mei.

3. Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

4. Quia non est respectus morti eórum; * & firmamentum in plagâ eórum.

5. In labóre hóminum non sunt; * & cum homínibus non flagellabuntur.

6. Ideò ténuit eos supérbia: * óperti sunt iniquitáte, & impietáte suá.

7. Pródiit quasi ex ádipe iniquitas eórum: * transiérunt in affectum cordis.

8. Cogitavérunt & locúti sunt nequítiam: * iniquitátem in excelso locúti sunt.

9. Posuérunt in cœlum os suum; * & lingua eórum transívit in terrâ.

10. Ideò convertétur pópulus meus hìc; * & dies pleni invenientur in eis.

11. Et dixérunt: Quómodò scit Deus? * & est sciéntia in Excelso?

Divisio Psalmi 72.

12. ECce ipsi peccatóres & abundantes in sǽculo, * obtinuérunt divítias.

13. Et dixi: Ergo sine causâ justificávi cor meũ; * & lavi inter innocentes manus meas.

14. Et fui flagellátus totâ die; * & castigátio mea in matutínis.

15. Si dicébam: Narrábo sic; * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

16. Existimábam ut cognóscerem hoc; * labor est ante me:

17. Donec intrem in sanctuárium Dei, * & intélligam in novíssimis eórum.

18. Verúmtamen propter dolos posuisti eis; * dejecisti eos dum allevarentur.

19. Quómodò facti sunt in desolatiónem! * súbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem suam.

20. Velut sómnium surgéntium, Dómine,* in civitáte tuâ imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

21. Quia inflammátum est cor meum; * & renes mei commutáti sunt.

22. Et ego ad níhilum redáctus sum, & nescívi; * ut jumentum factus sum apud te.

23. Et ego semper tecum:* tenuísti manum déxteram meam.

24. Et in voluntáte tuâ deduxísti me; * & cum glóriâ suscepísti me.

25. Quid enim mihi est in cœlo? * & à te quid vólui super terram?

26. Defécit caro mea & cor meum; * Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

27. Quia ecce qui elongant se à te, períbunt: * perdidísti omnes qui fornicantur abs te.

28. Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam;

29. Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis fíliæ Sion.

Cant. Nunc dimittis.

FERIA QUINTA.

Christus pascens nos fide & gratiâ.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Autórem fídei & consummatórem Jesum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 12.

HYMNUS. C.

IIsdem creáti flúctibus,
Pisces natant, volant aves:
Utrumque mortáli genus
Parátur esca córpori.

Menti sed æternæ cibus
Debétur alter; hæc Dei
Sermóne vivit; hanc fovet
Cœlestis & nutrit fides.

Quæsíta Christi sánguine
Manávit in terras fides,
Et impiárum péctora
Victrix subégit géntium.

Fax illa, puris córdibus
Monstráre cœlos éfficax,
Ætern̄a dignis íncitat
Factis meréri præmia.

Hâc luce signátum, Deus,
Calcáre dona trámitem,
Et caritátis úberes
Fructus eundo cárpere.

Sit laus Patri, laus Fílio
Sit par tibi laus, Spíritus;
De corde nostro, fac tuæ
Virtus triumphet grátiæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 8.

Mundus Verbo Dei creatus & redemptus: Christi excellentia, dignitas & gloria.

1. DOMINE Dóminus noster,* quàm admirábile est nomen tuum in universâ terrâ!

2. Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

3. Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem

propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

4. Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum, * lunam & stellas, quæ tu fundasti.

5. Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

6. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: * glóriâ & honóre coronasti eum;

7. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum: * ómnia subjecisti sub pédibus ejus.

8. Oves & boves universas, * ínsuper & pécora campi,

9. Vólucres cœli & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

10. DÓMINE Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universâ terrâ!

Ant. Eleváta est magnificéntia tua, Dómine, super cœlos.

II. PSALMUS 23.

Christi ascensio in cœlum; quibus virtutibus cum illo ascendamus?

1. DOMINI est terra & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & universi qui hábitant in eo;

2. Quia ipse super mária fundávit eum; * & super flúmina præparávit eum.

3. Quis ascendet in montem DÓMINI? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

4. Innocens mánibus, & mundo corde: * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

5. Hic accípiet benedictiónem à DÓMINO, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

6. Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

7. Attóllite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

8. Quis est iste Rex glóriæ? * DÓMINUS fortis & potens; DÓMINUS potens in prælio.

9. Attóllite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

10. Quis est iste Rex glóriæ? * DÓMINUS virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Quis ascendet in montem Dómini? ínnocens mánibus & mundo corde.

III. PSALMUS 28.

Suprema Dei majestas: vox prædicationis evangelicæ.

1. AFferte DÓMINO, filii Dei: * afferte DÓMINO glóriam & honórem.

2. Afferte DÓMINO glóriam nómini ejus: * adoráte DÓMINUM in átrio sancto ejus.

3. Vox Dómini super aquas: * Deus majestátis intónuit; Dóminus super aquas multas.

4. Vox Dómini in virtúte! * vox Dómini in magnificéntiâ.

5. Vox Dómini confringentis cedros; * & confringet Dóminus cedros Líbani.

6. Et comminuet eas tamquàm vítulum Líbani, * & diléctus quemádmodùm fílius unicórnium.

7. Vox Dómini intercidentis flammam ignis; * vox Dómini concutientis desertum; & commovébit Dóminus desertum Cades.

8. Vox Dómini præparantis cervos, & revelábit condensa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

9. Dóminus dilúvium inhabitáre facit; * & sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

10. Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Ant. Sedébit Dóminus Rex in ætérnum: Dóminus virtútem pópulo suo dabit.

IV. Psalmus 67.

Carmen triumphale de Christi & Ecclesiæ victoriis ab Ascensione Christi usque ad ultimum ejus adventum.

1. EXsurgat Deus, & dissipétur inimíci ejus, * & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus.

2. Sicut déficit fumus, deficiant: * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

3. Et justi epulentur, & exsultēt in conspectu Dei; * & delectentur in lætítiâ.

4. Cantáte Deo; psalmū dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascendit super occásum.

5. Dóminus nomen illi: * exsultáte in conspectu ejus.

6. Turbabuntur à fácie ejus, * patris orphanórum & júdicis viduárum.

7. Deus in loco sancto suo; * Deus, qui inhabitáre facit unius moris in domo;

8. Qui edúcit vinctos in fortitúdine; * símiliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepulcris.

9. Deus, cùm egrederéris in conspectu pópuli tui, * cùm pertransíres in deserto;

10. Terra mota est; * étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sinai, à fácie Dei Israel.

11. Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hereditáti tuæ: * & infirmáta est; tu verò perfecisti eam.

12. Animália tua habitábunt in eâ: * parasti in dulcédine tuâ páuperi, Deus.

Ant. Justi epulentur & exsultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitiâ.

V. *Divisio Psalmi 67.*

13. DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

14. Rex virtútum dilecti dilecti; * & speciéi domûs divídere spólia.

15. Si dormiátis inter médios [focos, evolando exíbitis inde; * & pennæ vestræ] pennæ columbæ deargentátæ & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

16. Dùm discernit cœlestis reges super eam;* nive dealbabuntur in Selmon.

17. Mons Dei, mons pinguis; * mons coagulátus, mons pinguis.

18. Ut quid suspicámini montes coagulátos? * mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo; étenim DÓMINUS habitábit in finem.

19. Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sinâ, in sancto.

20, Ascendisti in altum; cepisti captivitátem; * accepisti dona in homínibus.

21. Etenim non credentes, * inhabitáre DÓMINUM Deum.

22. Benedictus Dóminus die, quotídie;* prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

23. Deus noster, Deus salvos faciendi; * & DÓMINI Dómini éxitus mortis.

24. Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capilli perambulántium in delictis suis.

25. Dixit Dóminus: Ex Basan convertam; * convertam in profundum maris:

26. Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Ant. Benedictus Dóminus die, quotídie: prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

VI. *Divisio Psalmi 67.*

27. VIdérunt ingressus tuos, Deus; * ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.

28. Prævenérunt príncipes conjuncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

29. In Ecclésiis benedícite Deo; * Dómino, de fóntibus Israel.

30. Ibi Bénjamin adolescéntulus in mentis excessu: * príncipes Juda, duces eórum, príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

31. Manda, Deus, virtúti tuæ; confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis à templo tuo in Jerúsalem: * tibi ófferent reges múnera.

32. Increpa feras arúndinis, congregátionem taurórum in vaccis populórum, ut exclúdant eos qui probáti

sunt argento : * díssipa gentes quæ bella volunt.

33. Vénient legáti ex Ægypto : * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

34. Regna terræ, cantáte Deo ; psállite Dómino : * psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli ad Oriéntem.

35. Ecce dabit voci suæ vocem virtútis : * date glóriam Deo.

36. Super Israel magnificéntia ejus ; * & virtus ejus in núbibus.

37. Mirábilis Deus in sanctis suis ; Deus Israel ipse dabit virtútem, & fortitúdinem plebi suæ ; * benedíctus Deus.

Ant. Deus Israel ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ : benedíctus Deus.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine! ℟. Quam abscondísti timéntibus te ! *Ps.* 30.

Absolutio. Adapériat Deus, cor vestrum in lege suâ, & in præceptis suis, & faciat pacem. *II. Mach.* 1. ℟. Amen.

Benedictiones ad caput Psalterii.

IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 44.

Carmen nuptiale de Christi & Ecclesiæ dotibus.

1. ERuctávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi : * lingua mea cálamus scribæ velóciter scribentis.

2. Speciósus formâ præ fíliis hóminum ; diffúsa est grátia in lábiis tuis ; * proptéreà benedixit te Deus in æternum.

3. Accíngere gládio tuo super femur tuum, potentíssime, spécie tuâ & pulchritúdine tuâ ; * intende, prósperè procéde.

4. Et regna propter veritátem, & mansuetúdinem & justítiam ; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

5. Sagittæ tuæ acútæ ; pópuli sub te cadent ; * in corda inimicórum Regis.

6. Sedes tua, Deus, in séculum séculi : * virga directiónis, virga regni tui.

7. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem ; * proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

8. Myrrha, & gutta, & cásia à vestimentis tuis ; * à dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te.

9. Fíliæ regum in honóre tuo : * ádstitit Regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

10. Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam ; * & oblivíscere pópulum tuũ, & domum patris tui.

11. Et concupiscet Rex decórem tuum ; * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

12. Et fíliæ Tyri in mu-

néribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

13. Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intùs; * in fimbriis áureis, circumamícta varietátibus.

14. Adducentur Regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferentur tibi.

15. Afferentur in lætítiâ & exsultatióne: * adducentur in templum Regis.

16. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

17. Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatióne.

18. Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum * & in séculum séculi.

II. PSALMUS 46.

Christus in cœlum ascendens, gentes vocat, suumque regnum ubiquè propagat.

1. OMnes gentes, pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

2. Quóniam DÓMINUS excelsus, terríbilis: * Rex magnus super omnem terrã.

3. Subjécit pópulos nobis; * & gentes sub pédibus nostris.

4. Elégit nobis hereditátem suam, * spéciem Jacob, quam diléxit.

5. Ascendit Deus in júbilo; * & DÓMINUS in voce tubæ.

6. Psállite Deo nostro, psállite: * psállite Regi nostro, psállite.

7. Quóniam Rex omnis terræ Deus: * psállite sapienter.

8. Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

9. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham; * quóniam Dei sunt fortes terræ; vehementer elevátus est.

III. PSALMUS 47.

Ecclesia Dei frustrà impugnata; Deus fundavit eam in æternum.

1. MAgnus DÓMINUS & laudábilis nimìs, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

2. Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion; * látera Aquilónis, civitas Regis magni.

3. Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

4. Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt; * convenérunt in unum.

5. Ipsi videntes sic, admiráti sunt; * conturbáti sunt, commóti sunt.

6. Tremor apprehendit eos: * ibi dolóres ut parturientis.

7. In spíritu vehementi * cónteres naves Tharsis.

8. Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte DÓMINI virtútum, in civitáte Dei

tum servi tui: * profanasti in terrâ sanctuárium ejus.

40. Destruxisti omnes sepes ejus: * posuisti firmamentum ejus formídinem.

41. Diripuérunt eum omnes transeuntes viam: * factus est oppróbrium vicínis suis.

42. Exaltasti déxteram depriméntium eum: * lætificasti omnes inimícos ejus.

43. Avertisti adjutórium gládii ejus; * & non es auxiliátus ei in bello.

44. Destruxisti eum ab emundatióne; * & sedem ejus in terram collisisti.

45. Minorasti dies témporis ejus: * perfudisti eum confusióne.

46. Usquequò, DÓMINE, avertis in finem? * exardescet sicut ignis ira tua?

47. Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vanè constituisti omnes filios hóminum?

48. Quis est homo qui vivet, & non vidébit mortem? * éruet ánimam suam de manu ínferi?

49. Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurasti David in veritáte tuâ?

50. Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum, (quod contínui in sinu meo,) * multárum géntium,

51. Quod exprobravérunt inimíci tui, DÓMINE, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

52. Benedictus DÓMINUS in æternum: * fiat, fiat.

Ant. Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt; & in nómine tuo exsultábunt totâ die; & in justítiâ tuâ exaltabuntur.

LECTIO. *Rom.* 3.

NUnc sine lege justítia Dei manifestáta est, testificáta à Lege & Prophétis: justítia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum; non enim est distínctio: omnes enim peccavérunt, & egent glóriâ Dei, justificáti gratis per grátiam ipsíus per redemptiónem, quæ est in Christo Jesu, quem propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus.

℣. Ab ipso salutáre meum:
℟. Nam & ipse Deus meus & salutáris meus. *Ps.* 61.

Collecta infrà ad Laudes.

AD LAUDES.

I. PSALMUS 80.

Festa Dei piè celebranda: Judæos infideles Deus dimisit in desideria cordis eorum.

1. EXsultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

2. Súmite psalmum, & date tympanum, * psalté-

rium jucundum cum cíthară.

3. Buccináte in neoméniâ tubâ,* in insigni die solemnitátis vestræ.

4. Quia præceptum in Israel est, * & judícium Deo Jacob.

5. Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terrâ Ægypti, * linguam, quam non nóverat, audívit.

6. Divertit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus à cóphino recessérunt.

7. In tribulatióne invocasti me, & liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis; probávi te apud aquam contradictiónis.

8. Audi, pópulus meus, & contestábor te;* Israel, si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum:

9. Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

10. Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Israel non intendit mihi.

11. Et dimísi eos secundùm desidéria cordis eórum; * ibunt in adinventiónibus suis.

12. Si pópulus meus audisset me, * Israel si in viis meis ambulasset:

13. Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliassem, * & super tribulantes eos misissem manum meã.

14. Inimíci Dómini mentíti sunt ei; * & erit tempus eórum in sécula.

15. Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petrâ, melle saturávit eos.

Ant. Audi, pópulus meus, & contestábor te; ego sum Dóminus Deus tuus.

II. Psalmus 107.

Christi regnum & victoria. Vocatio gentium ad fidem.

1. PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo & psallam in glóriâ meâ.

2. Exsurge, glória mea; exsurge, psaltérium & cíthara:* exsurgam dilúculo.

3. Confitébor tibi in pópulis, Dómine; * & psallam tibi in natiónibus.

4. Quia magna est super cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

5. Exaltáre super cœlos, Deus, * & super omnem terram glória tua.

Ant. Parátum cor meũ, Deus: exsurgam dilúculo: confitébor tibi, Dómine.

III. *Divisio Psalmi* 107.

6. UT liberentur dilecti tui; * salvum fac déxterâ tuâ, & exaudi me.

7. Deus locútus est in sancto suo: * exsultábo, & dividam Síchimam; & convallem tabernaculórum dimétiar.

8. Meus est Gálaad, & meus est Manasses; & Ephraim suscéptio cápitis mei; * Juda rex meus.

9. Moab lebes spei meæ; in Idumæam extendam calceamentum meum: * mihi Alienígenæ amíci facti sunt.

10. Quis dedúcet me in civitátem munítam?* quis dedúcet me usque in Idumæam?

11. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos? * & non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

12. Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

13. In Deo faciémus virtútem; * & ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Ant. Dómine, vana salus hóminis; in Deo faciémus virtútem.

IV. Canticum Annæ.

I. Reg. 2.

Suprema Dei potestas, sanctitas, scientia & magnificentia.

1. EXsultávit cor meum in Dómino; * & exaltátum est cornu meum in Deo meo.

2. Dilatátum est os meum super inimícos meos; * quia lætáta sum in salutári tuo.

3. Non est sanctus ut est Dóminus; neque enim est álius extra te: * & non est Fortis sicut Deus noster.

4. Nolíte multiplicáre loqui sublímia, gloriantes:* recédant vétera de ore vestro.

5. Quia Deus scientiárum Dóminus est; * & ipsi præparantur cogitatiónes.

6. Arcus fórtium superátus est;* & infirmi accincti sunt róbore.

7. Repléti priùs, pro pánibus se locavérunt; * & famélici saturáti sunt:

8. Donec stérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

9. Dóminus mortíficat, & vivíficat: * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

10. Dóminus páuperem facit, & ditat: * humíliat, & súblevat.

11. Súscitat de púlvere egénum; * & de stércore élevat páuperem:

12. Ut sédeat cum princípibus, * & sólium glóriæ téneat.

13. Dómini enim sunt cárdines terræ; * & pósuit super eos orbem.

14. Pedes sanctórum suórum servábit, & ímpii in ténebris conticescent; * quia non in fortitúdine suâ roborábitur vir.

15. Dóminum formidábunt adversárii ejus; * & super ipsos in cœlis tonábit.

16. Dóminus judicábit fines terræ; & dabit impérium Regi suo; * & sublimábit cornu Christi sui.

Ant. Deus scientiárum

Dóminus est; & ipsi præparantur cogitatiónes.

V. PSALMUS 146.

Dei jucunda de suis infinitis attributis laudatio; de Ecclesiæ formatione & collectione prophetia.

1. LAudáte DÓMINUM, quóniam bonus est psalmus; * Deo nostro sit jucunda decóraque laudátio.

2. Ædíficans Jérusalem DÓMINUS; * dispersiónes Israélis congregábit.

3. Qui sanat contrítos corde; * & álligat contritiónes eórum.

4. Qui números multitúdinem stellárum; * & ómnibus eis nómina vocat.

5. Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus; * & sapiéntiæ ejus non est númerus.

6. Suscípiens mansuétos DÓMINUS; * humílians autem peccatóres usquè ad terram.

7. Præcínite DÓMINO in confessióne: * psállite Deo nostro in citharâ;

8. Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam;

9. Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam servitúti hóminum;

10. Qui dat jumentis escam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

11. Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

12. Beneplácitum est DÓMINO super timentes eũ, * & in eis qui sperant super misericórdiâ ejus.

Ant. Ædíficans Jerúsalem Dóminus: dispersiónes Israélis congregábit.

LECTIO. *I. Petr. 2.*

VOs genus electum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis; ut virtútes annuntiétis ejus, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum; qui aliquandò non pópulus, nunc autem pópulus Dei; qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti.

℟. *br.* Beata gens * Cujus est Dóminus Deus ejus. ℟. Beáta. ℣. Pópulus quem elégit in hereditátem sibi. * Cujus. ℣. Glória. ℟. Beáta. *Ps.* 32.

HYMNUS. *C.*

DIgnas quis, ô Deus, tibi
Laudes rependat, qui tuo
Pellis tenebras lúmine,
Salútis & monstras viam?

Tu quam jubes, donas fidem:
Hæc cúltui præest tuo;
Hæc mentis errores fugat;
Hæc corda sursùm dírigit.

Te destitúta Spíritu
Nil pompa sacrórum juvat:
Secréta puri blándiùs
Tibi litábunt péctoris.

Vox inde cordi cónsona

Vectígal exsolvet suum,
Et ad salútem líbero
Prométur ore véritas.
O, qui superbos réspuis,
Et símplices amas, Deus;
Ut crescat in nobis fides,
Cordis tumórẽ cómprime.
Sit summa Patri glória;
Sit summa Nato, qui fidem
Cruóre fundávit suo:
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat; ℟. Et intelléctum dat párvulis. *Ps.* 118.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Ad Benedíctus. *Ant.* Sapiéntia candor est lucis ætérnæ, & spéculum sine máculâ Dei majestátis, & imágo bonitátis illíus. *Sap.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Ambr.*

PRopitiáre, miséricors Deus, supplicatiónibus nostris, & pópulum tuum piâ protectióne custódi; † ut qui Unigénitum tuum in carnem nostri córporis Deũ natum esse fatentur,* nullâ possint diáboli falsitáte corrumpi: Per eúmdem.

AD PRIMAM.

PSALMUS 19.

Christi preces & sacrificium pro suis acceptari plebs ejus poscit.

1. EXáudiat te DÓMINUS in die tribulatiónis;* prótegat te nomen Dei Jacob.

2. Mittat tibi auxílium de Sancto; * & de Sion tueátur te.

3. Memor sit omnis sacrificii tui; * & holocaustum tuum pingue fiat.

4. Tríbuat tibi secundùm cor tuum; * & omne consílium tuum confírmet.

5. Lætábimur in salutári tuo; & in nómine Dei nostri magnificábimur: * ímpleat DÓMINUS omnes petitiónes tuas.

6. Nunc cognóvi quóniam salvum fecit DÓMINUS Christum suum; * exáudiet illum de cœlo sancto suo; in potentátibus salus déxteræ ejus.

7. Hi in cúrribus, & hi in equis; * nos autem in nómine DÓMINI Dei nostri invocábimus.

8. Ipsi obligáti sunt, & cecidérunt; * nos autem surréximus, & erecti sumus.

9. DÓMINE, salvum fac Regem; * & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

PSALMUS 89.

Brevitas & miseria hujus vitæ: peccati pœna. Misericordia Dei semper exoranda.

1. DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

2. Priusquàm montes fíerent, aut formarétur terra & orbis, * à sǽculo & usque in sǽculum tu es Deus.

3. Ne avertas hóminem in humilitátem;* & dixisti: Convertímini, filii hóminum.

4. Quóniam mille anni ante óculos tuos tamquàm dies hesterna quæ prætériit, & custódia in nocte: * quæ pro níhilo habentur, eórum anni erunt.

5. Mane sicut herba tránseat: mane flóreat & tránseat: * véspere décidat, indúret & arescat.

6. Quia defécimus in irâ tuâ; * & in furóre tuo turbáti sumus.

7. Posuisti iniquitátes nostras in conspectu tuo: * séculum nostrum in illuminatióne vultûs tui.

8. Quóniam omnes dies nostri defecérunt; * & in irâ tuâ defécimus.

9. Anni nostri sicut aránea meditabuntur: * dies annórum nostrórum in ipsis septuaginta anni.

10. Si autem in potentátibus, octoginta anni; * & ámpliùs eórum labor & dolor.

11. Quóniam supervénit mansuetúdo, * & corripiémur.

Divisio Psalmi 89.

12. QUis novit potestátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

13. Déxteram tuam sic notam fac, * & erudítos corde in sapiéntiâ.

14. Convértere, Dómine, úsquequò? * & deprecábilis esto super servos tuos.

15. Repléti sumus mane misericórdiâ tuâ; * & exsultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

16. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, * annis quibus vídimus mala.

17. Réspice in servos tuos, in ópera tua: * & dírige filios eórum;

18. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, * & ópera mánuum nostrárum dírige.

Ant. Lætábimur in salutári tuo, Dómine; & in nómine Dei nostri magnificábimur.

AD TERTIAM.

Psalmus 25.

Sacerdotes accedentes ad altare purgari semper expetunt.

1. JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntiâ meâ ingressus sum;* & in Dómino sperans, non infirmábor.

2. Proba me, Dómine, & tenta me; * ure renes meos & cor meum.

3. Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est, * & complácui in veritáte tuâ.

4. Non sedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

5. Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non sedébo.

6. Lavábo inter innocentes manus meas; * & circúmdabo altáre tuum, Dómine:

7. Ut áudiam vocem laudis, * & enarrem universa mirabília tua.

8. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

9. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam:

10. In quorum mánibus iniquitátes sunt, * déxtera eórum repléta est munéribus.

11. Ego autem in innocéntiâ meâ ingressus sum; * rédime me, & miserére meî.

12. Pes meus stetit in directo; * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Psalmus 83.

Æterna Dei tabernacula, unicum fidelis desiderium.

1. Quàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíscit, & déficit ánima mea in átria Dómini.

2. Cor meum & caro mea, * exsultavérunt in Deum vivum.

3. Etenim passer invénit sibi domum; * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

4. Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus, & Deus meus.

5. Beáti qui hábitant in domo tuâ, Dómine! * in sécula seculórum laudábunt te.

6. Beátus vir cujus est auxílium abs te! * ascensiónes in corde suo dispósuit in valle lacrymárum, in loco quem pósuit!

7. Etenim benedictiónem dabit legislátor; ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

8. Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

9. Protector noster, áspice, Deus: * & réspice in fáciem Christi tui.

10. Quia mélior est dies una in átriis tuis super míllia: * elégi abjectus esse in domo Dei mei, magìs quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

11. Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

12. Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntiâ; * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te!

Psalmus 98.

Christi regnum super omnes populos; ipse est cui serviebant patres antiqui.

1. Dóminus regnávit; irascantur pópuli: *

qui sedet super Chérubim; moveátur terra.

2. Dóminus in Sion magnus; * & excelsus super omnes pópulos.

3. Confiteantur nómini tuo magno; quóniam terríbile & sanctum est; * & honor Regis judícium díligit.

4. Tu parasti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecisti.

5. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, * & adoráte scabellum pedum ejus, quóniam sanctum est.

6. Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

7. Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos; * in columnâ nubis loquebátur ad eos.

8. Custodiébant testimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

9. Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos; * Deus, tu propítius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

10. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus; * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Misericórdiam & veritátem díligit Deus: grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Lectio. *Hebr.* 11.

Sine fide impossíbile est placére Deo; † crédere enim oportet accedentem ad Deum quia est, * & inquiréntibus se remunerátor sit.

℣. Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me; ℟. Quia mandátis tuis crédidi. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Psalmus 22.

Quem Deus tuetur & pascit, nihil illi deest.

1. Dominus regit me; * & nihil mihi déerit.

2. In loco páscuæ, ibi me collocávit: * super aquam refectiónis educávit me.

3. Animam meam convertit; * deduxit me super sémitas justítiæ, propter nomen suum.

4. Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala; * quóniam tu mecum es.

5. Virga tua & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

6. Parasti in conspectu meo mensam, * adversùs eos qui tribulant me.

7. Impinguasti in óleo caput meum; * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

8. Et misericórdia tua subsequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ;

9. Et ut inhábitem in do-

mo Dómini, * in longitúdinem diérum.

PSALMUS 32.

Justorum exsultatio ob mundi per Verbum Dei creationem & redemptionem.

1. Exsultáte, justi, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

2. Confitémini Dómino in cítharâ: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

3. Cantáte ei cánticum novum: * benè psállite ei in vociferatióne.

4. Quia rectum est verbum Dómini: * & ómnia ópera ejus in fide.

5. Díligit misericórdiam & judícium: * misericórdiâ Dómini plena est terra.

6. Verbo Dómini cœli firmáti sunt, * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

7. Cóngregans sicut in utre aquas maris; * ponens in thesauris abyssos.

8. Tímeat Dóminum omnis terra; * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

9. Quóniam ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandávit, & creáta sunt.

10. Dóminus díssipat consília géntium: * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

11. Consílium autem Dómini in æternum manet: * cogitatiónes cordis ejus, in generatiónem & generatiónem.

Divisio Psalmi 32.

12. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus; * pópulus quem elégit in hereditátem sibi.

13. De cœlo respexit Dóminus: * vidit omnes filios hóminum.

14. De præparáto habitáculo suo, * respexit super omnes qui hábitant terram.

15. Qui finxit singulátim corda eórum; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

16. Non salvátur Rex per multam virtútem; * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

17. Fallax equus ad salútem: * in abundántiâ autem virtútis suæ non salvábitur.

18. Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdiâ ejus:

19. Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

20. Anima nostra sústinet Dóminum; * quóniam adjútor & protector noster est.

21. Quia in eo lætábitur cor nostrum; * & in nómine sancto ejus sperávimus.

22. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

Ant. Dóminus regit me, & nihil mihi déerit.

LECTIO. *Rom.* 10.

SI confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, & in corde tuo credíderis quòd Deus illum suscitávit à mórtuis, salvus eris. † Corde enim créditur ad justítiam; ore autem conféssio fit ad salútem. * Dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

AD NONAM.

PSALMUS 102.

Deus ob immensam bonitatem & innumera beneficia toto corde & ore benedicendus.

1. BEnedic, ánima mea, DÓMINO; * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

2. Bénedic, ánima mea, DÓMINO; * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus:

3. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas:

4. Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdiâ & miseratiónibus:

5. Qui replet in bonis desidérium tuum; * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

6. Fáciens misericórdias DÓMINUS, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

7. Notas fecit vias suas Móysi, * filiis Israel voluntátes suas.

Divisio Psalmi 102.

8. MIserátor & miséricors DÓMINUS, * longánimis & multùm miséricors:

9. Non in perpétuum irascétur; * neque in ætérnum comminábitur.

10. Non secundùm peccáta nostra fecit nobis; * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis.

11. Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terrâ, * corroborávit misericórdiâ suam super timentes se.

12. Quantùm distat Ortus ab Occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

13. Quómodò miserétur pater filiórum, * misertus est DÓMINUS timéntibus se.

14. Quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum: * recordátus est quóniam pulvis sumus.

15. Homo sicut fœnum dies ejus; * tamquàm flos agri, sic efflorébit.

16. Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsistet; * & non cognoscet ámpliùs locum suum.

Divisio Psalmi 102.

17. MIsericórdia autem DÓMINI ab ætérno & usquè in ætérnum * super timentes eum.

18. Et justítia illíus in fílios filiórum, his qui servant testaméntum ejus; * & mémores sunt mandatórum ipsíus ad faciéndum ea.

19. DÓMINUS in cœlo parávit sedem suam; * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

20. Benedícite DÓMINO, omnes Angeli ejus, poténtes virtúte faciéntes verbum illíus, * ad audiéndam vocem sermónum ejus.

21. Benedícite DÓMINO, omnes virtútes ejus, * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

22. Benedícite DÓMINO, ómnia ópera ejus, in omni loco dominatiónis ejus: * bénedic, ánima mea, DÓMINO.

Ant. Benedícite Dómino, minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

LECTIO. *Jac.* 2.

SIcut corpus sine spíritu mórtuum est, * ita & fides sine opéribus mórtua est.

℣. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? ℟. Qui ingréditur sine máculâ, & operátur justítiam. *Ps.* 14.

AD VESPERAS.

I. PASLMUS 115.

Calix salutaris accipiendus; vota Deo reddenda.

1. CRédidi; propter quod locútus sum: * ego autẽ humiliátus sum nimìs.

2. Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mẽdax.

3. Quid retríbuam DÓMINO * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

4. Cálicem salutáris accípiam; * & nomen DÓMINI invocábo.

5. Vota mea DÓMINO reddam, * coram omni pópulo ejus.

6. Pretiósa in conspéctu DÓMINI, * mors Sanctórum ejus.

7. O DÓMINE, quia ego servus tuus; ego servus tuus, & fílius ancíllæ tuæ: * dirupísti víncula mea.

8. Tibi sacrificábo hóstiam laudis; * & nomen DÓMINI invocábo.

9. Vota mea DÓMINO reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs DÓMINI, in médio tuî, Jerúsalem.

Ant. Crédidi; propter quod locútus sum: ego autem humiliátus sum nimìs.

II. PSALMUS 144.

Dei magnitudo, potentia, magnificentia, patientia, justitia, bonitas.

1. EXaltábo te, Deus meus Rex; * & be-

nedicam nómini tuo in séculum, & in séculum séculi.

2. Per síngulos dies benedícam tibi ; * & laudábo nomen tuum in séculum, & in séculum séculi.

3. Magnus DÓMINUS & laudábilis nimìs ; * & magnitúdinis ejus non est finis.

4. Generátio & generátio laudábit ópera tua ; * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

5. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur ;* & mirabília tua narrábunt.

6. Et virtútem terribílium tuórum dicent ; * & magnitúdinem tuam narrábunt.

7. Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt ;* & justítiâ tuâ exsultábunt.

8. Miserátor & miséricors DÓMINUS, * pátiens & multùm miséricors.

9. Suávis DÓMINUS univerſis ; * & miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Ant. Generátio & generátio laudábit ópera tua, & poténtiam tuam pronuntiábunt.

III. *Diviſio Pſalmi* 144.

10. CONfiteantur tibi, DÓMINE, ómnia ópera tua ; * & sancti tui benedícant tibi.

11. Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquentur :

12. Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

13. Regnum tuum, regnum ómnium seculórũ ;* & dominátio tua in omni generatióne & generatióne.

14. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis ; * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

15. Allevat DÓMINUS omnes qui córruunt ; * & érigit omnes elísos.

16. Oculi ómnium in te sperant, Dómine ; * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

17. Aperis tu manum tuam ; * & imples omne ánimal benedictióne.

18. Justus DÓMINUS in ómnibus viis suis ; * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

19. Propè est DÓMINUS ómnibus invocántibus eũ,* ómnibus invocántibus eum in veritáte.

20. Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet,* & salvos fáciet eos.

21. Custódit DÓMINUS omnes diligentes se ; * & omnes peccatóres disperdet.

22. Laudatiónem DÓMINI loquétur os meum ; * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, & in séculum séculi.

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis.

IV. PSALMUS 147.

Specialis Dei erga Ecclesiam magnificentia.

1. LAuda, Jerúsalem, Dóminum; * lauda Deum tuum, Sion.

2. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedixit fíliis tuis in te:

3. Qui pósuit fines tuos pacem; * & ádipe frumenti sátiat te:

4. Qui emittit elóquium suum terræ; * velóciter currit sermo ejus.

5. Qui dat nivem sicut lanam; * nébulam sicut cínerem spargit:

6. Mittit crystallum suam sicut buccellas; * ante fáciem frígoris ejus, quis sustinébit?

7. Emittet verbum suum, & liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

8. Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israel.

9. Non fecit táliter omni natióni; * & judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Annúntiat Dóminus verbum suum Jacob, & judícia sua Israel: non fecit táliter omni natióni.

LECTIO. *I. Petr. 1.*

CUm non vidéritis Christum, dilígitis; in quem nunc quoque non videntes créditis: † credentes autem exsultábitis lætitiâ inenarrábili & glorificátâ; * reportantes finem fidei vestræ salútem animárum.

℟. *br.* Illustra fáciem tuam super servum tuum: * Salvum me fac in misericórdiâ tuâ. ℟. Illustra. ℣. Dómine, non confundar; quóniam invocávi te. * Salvum. ℣. Glória. ℟. Illustra. *Ps.* 30.

HYMNUS C.

O Fortis, ô clemens Deus,
Salútis autor, tu fidem
Nostris potenter ínsere,
Germen salútis, córdibus.

Hinc omne robur dúcimus;
Hæc arma nobis; hoc manus
Protecta scuto, flámmea
Retundet hostis spícula.

Hinc fúndimus preces tibi
Sacri sub umbrâ nóminis,
Quo nítitur spes ómnium
Uno salútis pígnore.

Placátus illo nómine,
Labántibus feres opem;
Dabisque, sanctam dégener
Ne vita deturpet fidem.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Infúsa per quem córdibus
Relúcet imis véritas.
Amen.

℣. Non discédimus à te, Dómine, ℟. Vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus. *Ps.* 79.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Ad Magníficat. *Ant.* In Christo Jesu sunt omnes thesauri

thesáuri sapiéntiæ & sciéntiæ abscónditi. *Coloss.* 2.

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 11.

Justorum paucitas; eloquiorum Domini laus; fidelitas ejus in promissis.

1. SAlvum me fac, DÓMINE; quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútæ sunt veritátes à filiis hóminum.

2. Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum: * lábia dolósa in corde & corde locúti sunt.

3. Dispérdat DÓMINUS univérsa lábia dolósa, * & linguam magníloquam;

4. Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus; lábia nostra à nobis sunt: * quis noster Dóminus est?

5. Propter misériam inopum & gémitum páuperũ, * nunc exsúrgam, dicit DÓMINUS.

6. Ponam in salutári: * fiduciáliter agam in eo.

7. Elóquia DÓMINI, elóquia casta: * argentum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

8. Tu, DÓMINE, servábis nos, * & custódies nos à generatióne hâc in ætérnum.

9. In circúitu ímpii ámbulant: * secundùm altitúdinem tuam multiplicásti filios hóminum.

PSALMUS 38.

Continenda lingua; mundi contemptus; vitæ præsentis brevitas, æternæ desiderium.

1. DIxi: Custódiam vias meas; * ut non delinquam in linguâ meâ.

2. Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor advérsùm me.

3. Obmútui, & humiliátus sum, & sílui à bonis; * & dolor meus renovátus est.

4. Concáluit cor meum intra me; & in meditatióne meâ exardéscet ignis: * locútus sum in linguâ meâ.

5. Notum fac mihi, DÓMINE, finem meum, & númerum diérum meórum quis est; * ut sciam quid desit mihi.

6. Ecce mensurábiles posuísti dies meos; & substántia mea tamquàm níhilum ante te: * verúmtamen univérsa vánitas, omnis homo vivens.

7. Verúmtamen in imágine pertransit homo; * sed & frustrà conturbátur.

8. Thesaurízat; * & ignórat cui congregábit ea.

9. Et nunc quæ est exspectátio mea? nonne Dóminus? * & substántia mea apud te est.

Divisio Psalmi 38.

10. AB ómnibus iniquitátibus meis érue me; * oppróbrium insipienti dedísti me.

11. Obmútui, & non

apérui os meum; * quóniam tu fecisti.

12. Amove à me plagas tuàs; * à fortitúdine manûs tuæ, ego deféci in increpatiónibus.

13. Propter iniquitátem corripuisti hóminem, & tabéscere fecisti sicut aráneam ánimam ejus; * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

14. Exaudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

15. Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus; * sicut omnes patres mei.

16. Remitte mihi, ut refrígerer; * priusquàm ábeam, & ámplius non ero.

Cant. Nunc dimittis.

FERIA SEXTA.

Christus patiens & moriens, adjutor in tribulationibus.

AD OFFICIUM NOCT.

In Psal. Veníte. *Ant.* Dóminum adjutórem & Redemptórem nostrum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 18.

HYMNUS. *C.*

JAm sánctius moves opus,
Tecum, Deus, delíberans:
Mundo recenti príncipem,
Tibíque præcónem paras.

Homo creátur: hunc sacro
Cœlestis oris hálitu
Succendis, & vivam tuî
Spiráre das imáginem.

Ergo per omnes æquoris,
Tellúris omnes & sinus
Regnábit: at memor suî
Deo minórem se gerat.

Heu, cæca cordis právitas!
Jugum rebellis éxcutit;
Deo superbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.

Hinc quanta lúctuum cohors
Incumbit orbi pérdito!
O Christe, ni feras opem,
Spes tota sontes déserat.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Cujus movémur hálitu,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 68.

Agonia Christi & variæ passionis ejus circumstantiæ; reprobatio Judæorum, & Ecclesiæ ædificatio.

1. SAlvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

2. Infixus sum in limo profundi; * & non est substántia.

3. Veni in altitúdinem maris; * & tempestas demersit me.

4. Laborávi clamans; raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecérunt óculi

meì, dum spero in Deum meum.

5. Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

6. Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injustè; * quæ non rápui, tunc exsolvébam.

7. Deus, tu scis insipiéntiam meam; * & delicta mea à te non sunt abscóndita.

8. Non erubescant in me qui exspectant te, Dómine, Dómine virtútum: * non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel.

9. Quóniam propter te sustínui oppróbrium: * opéruit confúsio fáciem meam.

Ant. Propter te, Dómine, sustínui oppróbrium: opéruit confúsio ánimam meam.

II. *Divisio Psalmi* 68.

10. EXtráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

11. Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

12. Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum est in oppróbrium mihi.

13. Et pósui vestimentum meum cilícium; * & factus sum illis in parábolam.

14. Adversùm me loquebantur qui sedébant in portâ; * & in me psallébant qui bibébant vinum.

15. Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine: * tempus beneplácĭti, Deus.

16. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte salútis tuæ.

17. Eripe me de luto, ut non infígar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profundis aquárum.

18. Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum; * neque úrgeat super me púteus os suum.

Ant. Opérui in jejúnio ánimam meam, & factum est in oppróbrium mihi.

III. *Divisio Psalmi* 68.

19. EXaudi me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: * secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

20. Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

21. Intende ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

22. Tu scis impropérium meum, & confusiónem meam & reveréntiã meã: * in conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me.

23. Impropérium exspectávit cor meum & misériam: * & sustínui qui simul contristarétur, & non

fuit; * & qui conſolarétur, & non invéni.

24. Et dedérunt in eſcam meam fel; * & in ſiti meâ potavérunt me acéto.

25. Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalum.

26. Obſcurentur óculi eórum ne vídeant; * & dorſum eórum ſemper incurva.

27. Effunde ſuper eos iram tuam; * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

28. Fiat habitátio eórum deſerta; * & in tabernáculis eórum non ſit qui inhábitet.

29. Quóniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt; * & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

30. Appóne iniquitátem ſuper iniquitátem eórum; * & non intrent in juſtítiam tuam.

31. Deleantur de libro vivéntium; * & cum juſtis non ſcribantur.

Ant. In conſpectu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: impropérium exſpectávit cor meum & miſériam.

IV. *Diviſio Pſalmi* 68.

32. EGo ſum pauper & dolens: * ſalus tua, Deus, ſuſcépit me.

33. Laudábo nomen Dei cum cántico; * & magnificábo eum in laude.

34. Et placébit Deo ſuper vítulum novellum, * córnua producentem & úngulas.

35. Vídeant páuperes, & lætentur; * quærite Deum, & vivet ánima veſtra:

36. Quóniam exaudívit páuperes DÓMINUS; * & vinctos ſuos non deſpexit.

37. Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis.

38. Quóniám Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabuntur civitátes Juda.

39. Et inhabitábunt ibi; * & hereditáte acquírent eam.

40. Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in eâ.

Ant. Exaudívit páuperes Dóminus, & vinctos ſuos non deſpexit.

V. PSALMUS 73.

Refugium noſtrum in Deo ſolo; vox Eccleſiæ inter tribulationes.

1. UT quid, Deus, repuliſti in finem? * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

2. Memor eſto congregatiónis tuæ, quam poſſediſti ab inítio: * redemiſti virgam hereditátis tuæ; mons Sion, in quo habitaſti in eo.

3. Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in Sancto!

4. Et gloriáti ſunt qui

odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

5. Posuérunt signa sua, signa; * & non cognovérunt, sicut in éxitu super summum.

6. Quasi in silvâ lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idipsum : * in secúri & ásciâ dejecérunt eam.

7. Incendérunt igni Sanctuárium tuum : * in terrâ polluérunt tabernáculum nóminis tui.

8. Dixérunt in corde suo, cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terrâ.

9. Signa nostra non vídimus : jam non est Prophéta; * & nos non cognoscet ámpliùs.

Ant. Quanta malignátus est inimícus in Sancto! & gloriáti sunt qui odérunt te in médio solemnitátis tuæ.

VI. *Divisio Psalmi* 73.

10. USquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

11. Ut quid avertis manum tuam & déxteram tuam, * de médio sinu tuo, in finem?

12. Deus autem Rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

13. Tu confirmasti in virtúte tuâ mare; * contribulasti cápita dracónum in aquis.

14. Tu confregisti cápita dracónis : * dedisti eum escam pópulis Æthiopum.

15. Tu dirupisti fontes & torrentes : * tu siccasti flúvios Ethan.

16. Tuus est dies, & tua est nox : * tu fabricátus es auróram & solem.

17. Tu fecisti omnes términos terræ : * æstátem & ver, tu plasmasti ea.

18. Memor esto hujus : inimícus improperávit DÓMINO; * & pópulus insípiens incitávit nomen tuũ.

19. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; * & ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

20. Réspice in testamentum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

21. Ne avertátur húmilis factus confúsus; * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

22. Exsurge, Deus, júdica causam tuam : * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totâ die.

23. Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum : * supérbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

Ant. Exsurge, Deus; júdica causam tuam; memor esto improperiórum tuórum.

℣. Die ac nocte graváta est super me manus tua :

℟. Conversus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina. *Ps.* 31.

Absolutio. Occurrámus omnes in unitátem fidei & agnitiónis Filii Dei, ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Eph.*4. ℟. Amen.

Benedictiones ad caput Psalterii.

IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 54.

Proditionem Judæ conquerens Christus, persecutoribus ruinam minatur.

1. EXaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, & exaudi me.

2. Contristátus sum in exercitatióne meâ, * & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

3. Quóniam declinavérunt in me iniquitátem; * & in irâ molesti erant mihi.

4. Cor meum conturbátum est in me; * & formído mortis cécidit super me.

5. Timor & tremor venérunt super me; * & contexérunt me ténebræ.

6. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? * & volábo, & requiescam.

7. Ecce elongávi fugiés; * & mansi in solitúdine.

8. Exspectábam eum qui salvum me fecit, * à pusillanimitáte spíritûs & tempestáte.

II. *Divisio Psalmi* 54.

9. PRæcipita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

10. Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas; & labor in médio ejus, & injustítia: * & non defécit de platéis ejus usúra & dolus.

11. Quóniam si inimícus meus maledixisset mihi, * sustinuissem útique;

12. Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuisset, * abscondissem me fórsitan ab eo.

13. Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus;

14. Qui simul mecum dulces capiébas cibos, * in domo Dei ambulávimus cum consensu.

15. Véniat mors super illos, & descendant in infernum viventes; * quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, in médio eórum.

16. Ego autem ad Deum clamávi; * & DÓMINUS salvábit me.

III. *Divisio Psalmi* 54.

17. Véspere, & mane, & merídie narrábo & annuntiábo; * & exáudiet vocem meam.

18. Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi; * quóniam inter multos erant mecum.

19. Exáudiet Deus, & humiliábit illos; * qui est ante sécula.

20. Non enim est illis commutátio, * & non timuérunt Deum.

21. Extendit manum suam in retribuendo: * contaminavérunt testamentum ejus.

22. Divísi sunt ab irâ vultûs ejus; * & appropinquávit cor illíus.

23. Mollíti sunt sermónes ejus super óleum; * & ipsi sunt jácula.

24. Jacta super Dóminum curam tuam, & ipse te enútriet; * non dabit in ætemum fluctuatiónem justo.

25. Tu verò, Deus, dedúces eos in púteum intéritûs; viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos: * ego autem sperábo in te, Dómine.

IV. Psalmus 58.

Christus morti traditus, Judæorum dispersionem prædicit.

1. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; * & ab insurgéntibus in me líbera me.

2. Eripe me de operántibus iniquitátem; * & de viris sánguinum salva me.

3. Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

4. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: sine iniquitáte cucurri & direxi: * exsurge in occursum meum, & vide.

5. Et tu, Dómine Deus virtútum, Deus Israel, intende ad visitandas omnes gentes: * non misereáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

6. Convertentur ad véſperam, & famem patientur ut canes; * & circuíbunt civitátem.

7. Ecce loquentur in ore suo, & gládius in lábiis eórum; * quóniam quis audívit?

8. Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

9. Fortitúdinem meam ad te custódiam; * quia Deus susceptor meus es.

10. Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me: * Deus ostendet mihi super inimícos meos.

11. Ne occídas eos, nequando obliviscantur pópuli mei: * disperge illos in virtúte tuâ, & depóne eos, protector meus, Dómine.

12. Delictum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum, * & comprehendantur in supérbiâ suâ.

13. Et de exsecratióne & mendácio annuntiabuntur in consummatióne, * in irâ consummatiónis, & non erunt.

14. Et scient quia Deus

dominábitur Jacob, * & finium terræ.

15. Convertentur ad vésperam, & famem patientur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

16. Ipsi dispergentur ad manducandum; * si verò non fúerint saturáti, & murmurábunt.

17. Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * & exsultábo mane misericórdiam tuam.

18. Quia factus es suscéptor meus, * & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

19. Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es; * Deus meus, misericórdia mea.

V. Psalmus 69.

Christus pro nobis patiens sibi pro nobis opem precatur.

1. DEus, in adjutórium meum intende; * Dómine, ad adjuvandum me, festína.

2. Confundantur & revereantur, * qui quærunt ánimam meam.

3. Avertantur retrorsùm & erubescant, * qui volunt mihi mala.

4. Avertantur statìm erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

5. Exsultent & lætentur in te omnes qui quærunt te; * & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

6. Ego verò egénus & pauper sum: * Deus, ádjuva me.

7. Adjútor meus, & líberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

VI. Psalmus 75.

Terribilis Deus in judiciis contra inimicos Ecclesiæ.

1. NOtus in Judæâ Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

2. Et factus est in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

3. Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium & bellum.

4. Illúminans tu mirabíliter * à móntibus æternis.

5. Turbáti sunt omnes insipientes corde; dormiérunt somnum suum, * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

6. Ab increpatióne tuâ, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

7. Tu terríbilis es; * & quis resistet tibi, ex tunc ira tua?

8. De cœlo audítum fecisti judícium: * terra trémuit & quiévit.

9. Cùm exsúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

10. Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi: * & relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

11. Vovéte & réddite Dó-

MINO Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera;

12. Terríbili & ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud Reges terræ.

Ant. Ab insurgéntibus in me, líbera me, Dómine; quia irruérunt in me fortes. *Ps.* 58.

LECTIO. *Hebr.* 12.

RECogitáte eum, qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetipsum contradictiónem; ut ne fatigémini ánimis vestris deficientes; nondùm enim usquè ad sánguinem restitístis, adversùs peccátum repugnantes.

℣. Propter verba labiórum tuórum, Dómine,
℟. Ego custodívi vias duras. *Ps.* 16.

Collecta ut infrà ad Laudes.

AD LAUDES.

I. PSALMUS 70.

Oratio Christi & Ecclesiæ auxilium Dei adversùs impios deprecantium.

1. IN te, DÓMINE, sperávi: * non confundar in æternum.

2. In justítiâ tuâ líbera me, & éripe me: * inclína ad me aurem tuam, & salva me.

3. Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum, ut salvum me fácias; * quóniam firmamentum meum & refúgium meum es tu.

4. Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agentis, & iníqui;

5. Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine; * DÓMINE, spes mea à juventúte meâ.

6. In te confirmátus sum ex útero; de ventre matris meæ tu es protector meus: * in te cantátio mea semper.

7. Tamquàm prodígium factus sum multis; * & tu adjútor fortis.

8. Repleátur os meum laude; * ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

9. Ne projícias me in témpore senectútis: * cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me.

10. Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui custodiébant ánimam meã, consílium fecérunt in unum,

11. Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini, & comprehéndite eum; * quia non est qui erípiat.

12. Deus, ne elongéris à me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

13. Confundantur & defíciant detrahentes ánimæ meæ: * operiantur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

14. Ego autem semper sperábo; * & adjíciam super omnem laudem tuam.

Ant. Deus meus, éripe me de manu peccatóris; quóniam tu es patiéntia mea.

II. *Divisio Psalmi* 70.

15. OS meum annuntiábit justítiam tuã, totâ die salutáre tuum; * quóniam non cognóvi litteratúram.

16. Introíbo in poténtias Dómini: * DÓMINE, memorábor justítiæ tuæ solíus.

17. Deus, docuisti me à juventúte meâ; * & usquè nunc pronuntiábo mirabília tua.

18. Et usque in senectam & sénium, Deus, ne derelinquas me; * donec annúntiem bráchium tuum generatióni omni quæ ventúra est,

19. Poténtiam tuam, & justítiam tuam, Deus, usque in altíssima, quæ fecisti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

20. Quantas ostendisti mihi tribulatiónes multas & malas, & conversus vivificasti me; * & de abyssis terræ íterùm reduxisti me.

21. Multiplicasti magnificéntiam tuam; * & conversus consolátus es me.

22. Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam, Deus: * psallam tibi in cítharâ Sanctus Israel.

23. Exsultábunt lábia mea cùm cantávero tibi, * & ánima mea quam redemisti.

24. Sed & lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, * cùm confusi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, cùm confúsi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

III. CANT. HABACUC. 3.

Prophetia de Christi passione, Ecclesiæ tribulationibus & victoriis.

1. DOMINE, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

2. DÓMINE, opus tuum, in médio annórum vivífica illud; in médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

3. Deus ab Austro véniet, * & Sanctus de monte Pharan.

4. Opéruit cœlos glória ejus, & laudis ejus plena est terra: * splendor ejus ut lux erit.

5. Córnua in mánibus ejus: * ibi abscóndita est fortitúdo ejus.

6. Ante fáciem ejus ibit mors; * & egrediétur diábolus ante pedes ejus.

7. Stetit, & mensus est terram: * adspexit, & dissolvit gentes.

8. Et contríti sunt montes séculi: * incurvári sunt

colles mundi, ab itinéribus æternitátis ejus.

9. Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ : * turbabuntur pelles terræ Mádian.

10. Numquid in flumínibus irátus es, DÓMINE? aut in flúminibus furor tuus ?* vel in mari indignátio tua?

11. Qui ascendes super equos tuos, * & quadrígæ tuæ salvátio.

12. Súscitans suscitábis arcum tuum, * juramenta tríbubus quæ locútus es.

13. Flúvios scindes terræ; * vidérunt te, & doluérunt montes.

14. Gurges aquárum tránsiit; dedit abyssus vocem suam; * altitúdo manus suas levávit.

15. Sol & luna stetérunt in habitáculo suo : * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurantis hastæ tuæ.

16. In frémitu conculcábis terram, * & in furóre obstupefácies gentes.

Ant. Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

IV. *Divisio Cantici Habacuc.*

17. EGressus es [Dómine] in salútem pópuli tui, * in salútem cum Christo tuo.

18. Percussisti caput de domo ímpii ; * denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

19. Maledixisti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, veniéntibus ut turbo ad dispergendum me : * exsultátio eórum sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

20. Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

21. Audívi, & conturbátus est venter meus; * à voce contremuérunt lábia mea.

22. Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scáteat :

23. Ut requiéscam in die tribulatiónis; * ut ascendam ad pópulum accinctum nostrum.

24. Ficus enim non florébit; * & non erit germen in víneis.

25. Mentiétur opus olívæ; * & arva non ásferent cibum.

26. Abscindétur de ovili pecus; * & non erit armentum in præsépibus.

27. Ego autem in DÓMINO gaudébo; * & exsultábo in Deo JESU meo.

28. DEUS Dóminus fortitúdo mea; * & ponet pedes meos quasi cervórum ; & super excelsa mea dedúcet me.

Ant. Ego in Dómino gaudébo, & exsultábo in Deo Jesu meo. Deus Dóminus fortitúdo mea.

V. PSALMUS 149.
Christus celebrandus qui suis in gentes ultricem potestatem daturus est.

1. CAntáte DÓMINO cánticum novum; * laus ejus in ecclésiâ sanctórum.

2. Lætétur Israel in eo qui fecit eum; * & filii Sion exsultent in Rege suo.

3. Laudent nomen ejus in choro; * in tympano & psaltério psallant ei.

4. Quia beneplácitum est DÓMINO in pópulo suo; * & exaltábit mansuétos in salútem.

5. Exsultábunt sancti in glóriâ; * lætabuntur in cubílibus suis.

6. Exaltatiónes Dei in gútture eórum; * & gládii ancípites in mánibus eórum:

7. Ad faciendam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis;

8. Ad alligandos reges eórum in compédibus; * & nóbiles eórum in mánicis férreis;

9. Ut fáciant in eis judícium conscriptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Ant. Lætétur Israel in eo qui fecit eum; & filii Sion exsultent in Rege suo.

LECTIO. *Hebr.* 12.

VObis tamquàm filiis lóquitur Deus, dicens: Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini; neque fatigéris dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus, castígat; flagellat autem omnem filium quem récipit. In disciplínâ perseveráte.

℟. *br.* Tu flagellas, & salvas; * Dedúcis ad ínferos, & redúcis. ℟. Tu flagellas. ℣. Magnus es, Dómine, in ætérnum. * Dedúcis. ℣. Glória Patri. ℟. Tu flagellas. *Tob.* 13.

HYMNUS. C.

ULtrícibus nos úndique
Dum sáucias telis, Deus,
Quis ferre, te præter, queat
Mœréntibus solátium?

Mundus facessat: nil opis
Favóre præstat fútili:
Fallácibus quin ásperat
Alitque fomentis malum.

Flagella nos terrent tua;
Non illa spé demunt tamen:
Quæ ferre nos jubes, Pater,
Fiunt medéla vúlnerum.

At ímpetus libídinum
Ferocientes cómprime:
Hæc vera nos vexant mala,
Sanáre quæ solus potes.

Quid ergo cessas? ingruūt
Intus forísque prælia:
Hostíne præda mens erit
Christi redempta sánguine?

Audis precantes; ánxiæ
Spes blanda jam menti redit:
O Christe, tetros mors tua
Mortis pavóres díscutit.

Sit Trinitáti glória,
Quæ sic flagellis quos amat
Exercet, ut cleméntiæ
Rursùm recordétur suæ.
Amen.

℣. Ego in flagella parátus sum; ℟. Et dolor meus in conspectu meo semper. *Ps.* 37.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Ad Benedictus. *Ant.* Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitáte, & mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum. *Tit.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Alcuini.*

DEus, qui per coætérnam tibi sapiéntiam hóminẽ cùm non esset condidisti, pérditumque misericórditer reformasti; † præsta, quæsumus, ut eâdem péctora nostra inspirante, te totâ mente amémus, * & ad te toto corde currámus; Per eumdem.

AD PRIMAM.

PSALMUS 16.

Christi pro nobis patientis oratio cum spe resurgendi.

1. EXaudi, DÓMINE, justítiam meam: * inténde deprecatiónem meã.

2. Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

3. De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

4. Probasti cor meum, & visitasti nocte: * igne me examinasti, & non est invénta in me iníquitas.

5. Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum, ego custodívi vias duras.

6. Pérfice gressus meos in sémitis tuis; * ut non moveantur vestígia mea.

7. Ego clamávi, quóniã exaudisti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

8. Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

9. A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, ut pupillam óculi: * sub umbrâ alárum tuárum prótege me, à fácie impiórum qui me afflixérunt.

10. Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt; ádipem suum conclusérunt; * os eórum locútum est supérbiam.

11. Projicientes me, nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

12. Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

13. Exsurge, DÓMINE, præveni eum, & supplanta eum; * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

14. DÓMINE, à paucis de terrâ dívide eos in vitâ eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

15. Saturáti sunt filii, * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

16. Ego autem in justítiâ apparébo conspéctui tuo;* satiábor; cùm apparúerit glória tua.

PSALMUS 57.

Christus Judæorum injustitiam arguit, & Dei vindictam in ipsos pronuntiat.

1. SI verè útique justítiam loquímini? * recta judicáte, filii hóminum.

2. Etenim in corde iniquitátes operámini: * in terrâ injustítias manus vestræ concinnant.

3. Alienáti sunt peccatóres à vulvâ; erravérunt ab útero; * locúti sunt falsa.

4. Furor illis secundùm similitúdinem serpentis; * sicut áspidis surdæ & obturantis aures suas:

5. Quæ non exáudiet vocem incantántium, * & venéfici incantantis sapienter.

6. Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet DÓMINUS.

7. Ad níhilum devénient tamquàm aqua decurrens:* intendit arcum suum donec infirmentur.

8. Sicut cera quæ fluit, auferentur: * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

9. Priusquàm intellígerent spinæ vestræ rhamnum; * sicut viventes, sic in irâ absorbet vos.

10. Lætábitur justus cùm víderit vindíctam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

11. Et dicet homo: Si útique est fructus justo; * útique est Deus júdicans eos in terrâ.

PSALMUS 128.

Christi & Ecclesiæ prælia & victoriæ.

1. SÆpè expugnavérunt me à juventúte meâ;* dicat nunc Israel:

2. Sæpè expugnavérunt me à juventúte meâ; * étenim non potuérunt mihi.

3. Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres:* prolongavérunt iniquitátem suam.

4. DÓMINUS justus; * concídit cervíces peccatórum.

5. Confundantur & convertantur retrorsùm,* omnes qui odérunt Sion.

6. Fiant sicut fœnum tectórum, * quod priusquàm evellátur exáruit:

7. De quo non implévit manum suam qui metit, * & sinum suum qui manípulos cólligit:

8. Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio DÓMINI super vos; * benedíximus vobis in nómine DÓMINI.

Ant. Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ut non moveantur vestígia mea.

AD TERTIAM.

PSALMUS 39.

Veterum victimarum loco se substituit Christus; ipse obedientiæ typus.

1. EXspectans exspectávi Dóminum; * & inténdit mihi.

2. Et exaudívit preces meas; * & eduxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

3. Et státuit super petram pedes meos; * & direxit gressus meos.

4. Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

5. Vidébunt multi, & timébunt; * & sperábunt in Dómino.

6. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus; * & non respexit in vanitátes & insánias falsas.

Divisio Psalmi 39.

7. MUlta fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

8. Annuntiávi, & locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

9. Sacrifícium & oblatiónem noluísti; * aures autem perfecísti mihi.

10. Holocaustum & pro peccáto non postulásti; * tunc dixi: Ecce vénio.

11. In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui; & lex tua in médio cordis mei.

12. Annuntiávi justítiam tuam in ecclésiâ magnâ: * ecce lábia mea non prohibébo; Dómine, tu scisti.

13. Justítiam tuam non abscondi in corde meo: veritátem tuam & salutáre tuum dixi: * non abscondi misericórdiam tuam à concílio multo.

14. Tu autem, Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me; * misericórdia tua & véritas tua semper suscepérunt me.

15. Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ; & non pótui ut vidérem:

16. Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei; * & cor meum derelíquit me.

Divisio Psalmi 39.

17. COmpláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adjuvandum me réspice.

18. Confundántur & revereántur simul, * qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

19. Convertántur retrorsùm, & revereántur, * qui volunt mihi mala:

20. Ferant conféstìm confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

21. Exsúltent & læténtur super te omnes quærentes

te; * & dicant ſemper, Magnificétur DÓMINUS, qui díligunt ſalutáre tuum.

22. Ego autem mendícus ſum & pauper: * Dóminus ſollícitus eſt meî.

23. Adjútor meus & protector meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

Ant. Circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: compláceat tibi, Dómine, ut éruas me.

LECTIO. *I. Petr.* 2.

SI benè facientes patienter ſuſtinétis, hæc eſt grátia apud Deum: † in hoc enim vocáti eſtis; * quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequámini veſtígia ejus.

℣. Si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: ℟. Quóniam tu mecum es, Dómine. *Pſ.* 22.

AD SEXTAM.

PSALMUS 101.

Judaicæ captivitatis mala, Eccleſiæ ædificatio; promiſſa Sion immutabilis reſtauratio.

1. DOMINE, exaudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

2. Non avertas fáciem tuam à me: * in quâcumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

3. In quâcumque die invocávero te, * velóciter exaudi me.

4. Quia defecérunt ſicut fumus dies mei; * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

5. Percuſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus ſum comédere panem meum.

6. A voce gémitûs mei, * adhæſit os meum carni meæ.

7. Símilis factus ſum pelicáno ſolitúdinis: * factus ſum ſicut nyctícorax in domicílio.

8. Vigilávi, * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

9. Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adverſùm me jurábant.

10. Quia cínerem tamquam panem manducábam; * & potum meum cum fletu miſcébam:

11. A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans alliſiſti me.

12. Dies mei ſicut umbra declinavérunt; * & ego ſicut fœnum árui.

13. Tu autem, DÓMINE, in æternum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Diviſio Pſalmi 101.

14. TU exſurgens miſeréberis Sion; * quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.

15. Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miserebuntur.

16. Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes Reges terræ glóriam tuam.

17. Quia ædificávit Dóminus Sion; * & vidébitur in glóriâ suâ.

18. Respexit in oratiónem humílium; * & non sprevit precem eórum.

19. Scribantur hæc in generatiónem álteram: * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum.

20. Quia prospexit de excelso sancto suo; * Dóminus de cœlo in terram adspexit:

21. Ut audíret gémitus compeditórum; * ut sólveret filios interemptórum:

22. Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem:

23. In conveniendo pópulos in unum & Reges, * ut sérviant Dómino.

24. Respondit ei in viâ virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

25. Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónes generatiónum anni tui.

Divisio Psalmi 101.

26. INitio tu, Dómine, terram fundasti; * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

27. Ipsi períbunt; * tu autem pérmanes.

28. Et omnes sicut vestimentum veterascent; * & sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur.

29. Tu autem idem ipse es; * & anni tui non defícient.

30. Fílii servórum tuórum habitábunt; * & semen eórum in séculum dirigétur.

Ant. Potum meum cum fletu miscébam, à fácie iræ & indignatiónis tuæ, Dómine.

Lectio. *I. Petr.* 1.

NOn corruptibílibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatióne paternæ traditiónis, † sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi * & incontamináti.

℣. Apud Dóminum misericórdia, ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 129.

AD NONAM.

Psalmus 21.

Vox Christi in cruce: per passionem suam gentes liberabit.

1. DEus, Deus meus, [réspice in me:] quare me dereliquisti? * longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

2. Deus meus, clamábo per diem, & non exáu-

dies; * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

3. Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

4. In te speravérunt patres nostri; * speravérunt, & liberasti eos.

5. Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt; * in te speravérunt, & non sunt confusi.

6. Ego autem sum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

7. Omnes videntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

8. Sperávit in DÓMINO, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

9. Quóniam tu es qui extraxisti me de ventre; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

10. In te projectus sum ex útero: * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Divisio Psalmi 21.

11. NE discésseris à me: * quóniam tribulátio próxima est; quóniam non est qui ádjuvet.

12. Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obsedérunt me:

13. Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

14. Sicut aqua effúsus sum; * & dispersa sunt ómnia ossa mea.

15. Factum est cor meum tamquàm cera liquescens, * in médio ventris mei.

16. Aruit tamquàm testa virtus mea, & lingua mea adhæsit fáucibus meis; * & in púlverem mortis deduxisti me:

17. Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

18. Fodérunt manus meas & pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

19. Ipsi verò consideravérunt & inspexérunt me; * divisérunt sibi vestimenta mea; & super vestem meã misérunt sortem.

20. Tu autem, DÓMINE, ne elongáveris auxílium tuum à me; * ad defensiónem meam cónspice.

21. Erue à frámeâ, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

22. Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Divisio Psalmi 21.

23. NArrábo nomen tuũ frátribus meis: * in médio Ecclésiæ laudábo te.

24. Qui timétis DÓMINUM, laudáte eum; univérsum semen Jacob, glorificáte eum: * tímeat eum omne semen Israel.

25. Quóniam non sprevit, neque despexit deprecatiónem páuperis; nec avertit fáciem suam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

26. Apud te laus mea in ecclésiâ magnâ : * vota mea reddam in conspectu timéntium eum.

27. Edent páuperes, & saturabuntur; & laudábunt DÓMINUM qui requírunt eum:* vivent corda eórum in séculum séculi.

28. Reminiscentur, & convertentur ad DÓMINUM universi fines terræ; * & adorábunt in conspectu ejus, universæ famíliæ géntium.

29. Quóniam DÓMINI est regnum; * & ipse dominábitur géntium.

30. Manducavérunt, & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

31. Et ánima mea illi vivet; * & semen meum sérviet ipsi.

32. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra;* & annuntiábunt justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Deus meus, quare me dereliquisti? longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

LECTIO. *Hebr.* 5.

CHristus in diébus carnis suæ preces supplicatiónesque ad eum qui possit illum salvum fácere à morte, † cum clamóre válido & lácrymis ófferens, * exaudítus est pro suâ reveréntiâ.

℣. Clamávi ad te, Dómine, totâ die: ℟. Expandi ad te manus meas. *Ps.* 87.

AD VESPERAS.

I. PSALMUS 138.

Deus ubique præsens; sciens omnia. Vox Christi in incarnatione, passione & resurrectione.

1. DOMINE, probasti me, & cognovisti me: * tu cognovisti sessiónem meam & resurrectiónem meam.

2. Intellexisti cogitatiónes meas de longè: sémitam meam & funículum meum investigasti; * & omnes vias meas prævidisti.

3. Quia non est sermo in linguâ meâ; * ecce, DÓMINE, tu cognovisti ómnia novíssima & antíqua.

4. Tu formasti me, * & posuisti super me manum tuam.

5. Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

6. Quò ibo à spíritu tuo?* & quò à fácie tuâ fúgiam?

7. Si ascéndero in cœlum, tu illic es; * si descéndero in infernum, ades.

8. Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis máris.

9. Etenim illuc manus tua dedúcet me; * & tenébit me déxtera tua.

10. Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me; *

tâte, omnis qui nóminat nomen Dómini. *II. Tim.2.*

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 37.

Peccatoris pœnitentis dolor & gemitus.

1. DOMINE, ne in furóre tuo árguas me;* neque in irâ tuâ corrípias me.

2. Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi;* & confirmasti super me manum tuam.

3. Non est sánitas in carne meâ à fácie iræ tuæ; * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

4. Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum; * & sicut onus grave gravátæ sunt super me.

5. Putruérunt & corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

6. Miser factus sum, & curvátus sum usquè in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

7. Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus; * & non est sánitas in carne meâ.

8. Afflictus sum & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

9. Dómine, ante te omne desidérium meum; * & gémitus meus à te non est abscónditus.

10. Cor meum conturbátum est, dereliquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Divisio Psalmi 37.

11. AMíci mei & próximi mei adversùm me appropinquavérunt & stetérunt; * & qui juxta me erant, de longè stetérunt.

12. Et vim faciébant, qui quærébant ánimam meã;* & qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, & dolos totâ die meditabantur.

13. Ego autem tamquàm surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

14. Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

15. Quóniam in te, DÓMINE, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

16. Quia dixi: Nequando supergáudeant mihi inimíci mei; * & dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

17. Quóniam ego in flagella parátus sum; * & dolor meus in conspectu meo semper.

18. Quóniam iniquitátem meam annuntiábo; * & cogitábo pro peccáto meo:

19. Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt

super me ;* & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

20. Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi ;* quóniam sequébar bonitátem.

21. Ne derelinquas me, DÓMINE ; Deus meus, ne discésseris à me : * intende in adjutórium meum, Dómine Deus salútis meæ.

PSALMUS 55.

Justi à Deo auxilium postulantis oratio.

1. MIserére meî, Deus ; quóniam conculcávit me homo : * totâ die impugnans tribulávit me.

2. Conculcavérunt me inimíci mei totâ die ;* quóniam multi bellantes adversùm me.

3. Ab altitúdine diéi timébo ; * ego verò in te sperábo.

4. In Deo laudábo sermónes meos : * in Deo sperávi ; non timébo quid fáciat mihi caro.

5. Totâ die verba mea exsecrabantur : * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

6. Inhabitábunt & abscondent ; * ipsi calcáneum meum observábunt.

7. Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in irâ pópulos confringes.

8. Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuisti lácrymas meas in conspectu tuo, sicut & in promissióne tuâ.

9. Tunc convertentur inimíci mei retrorsùm : * in quâcumque die invocávero te, ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

10. In Deo laudábo verbum :* in DÓMINO laudábo sermónem.

11. In Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi homo.

12. In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam, laudatiónes tibi.

13. Quóniam eripuisti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu ; * ut pláceam coram Deo in lúmine viventium.

Cant. Nunc dimittis.

SABBATO.

Militantem Ecclesiam perpetuâ Christus donans pace ; merces Justis promissa.

AD OFFICIUM NOCT.

In Psalm. Veníte. *Ant.* Dóminum, qui reddit justis mercédem labórum suórum, * Veníte, adorémus. *Sap.* 10.

HYMNUS. *C.*

TAndẽ peractis, ô Deus,
Sexto diérum límite,
Ponis modum labóribus,
Orbíque plaudis cóndito.
At dùm perenni séptimã
Lucem quieti cónsecras,

En te repoſcit dénuò
Alter Creatórem labor.
Te cuncta nempè prædicant;
Te terra, pontus, sídera,
Cantu celébrant æmulo:
Peccátor unus díſſonat.
Tu pectus aufer sáxeum;
Tu cárneum pectus crea:
Et caritátis úberes
Fructus canent hymnũ tibi.
Hæc te juvant præcónia,
Si facta voci cónſonent:
Sic efficáci fléctitur
Divína Majeſtas prece.
Æterna laus & glória
Uni ſit & Trino Deo,
Qui cuncta nutu cóndidit,
Nutúque ſervat cóndita.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 13.

Gratia Redemptoris neceſſitas.

1. DIxit insípiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

2. Corrupti ſunt & abominábiles facti ſunt in ſtúdiis ſuis: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

3. DÓMINUS de cœlo proſpexit ſuper filios hóminum; * ut vídeat, ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

4. Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

[5. Sepulcrum patens eſt guttur eórum: linguis ſuis dolósè agébant: * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

6. Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum eſt; * velóces pedes eórum ad effundendum ſánguinem.

7. Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt; * non eſt timor Dei ante óculos eórum.]

8. Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ſicut eſcam panis?

9. DÓMINUM non invocavérunt;* illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

10. Quóniam Dóminus in generatióne juſtâ eſt: * consílium ínopis confudiſtis; quóniam DÓMINUS ſpes ejus eſt.

11. Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael?* cùm avérterit DÓMINUS captivitátem plebis ſuæ, exſultábit Jacob, & lætábitur Iſrael.

Ant. Cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis ſuæ, exſultábit Jacob, & lætábitur Iſrael.

II. PSALMUS 17.

Chriſti regnum, Eccleſiæ victoria, prædicatio Evangelii.

1. DIligam te, DÓMINE, fortitúdo mea; * DÓMINUS firmamentum meum,

meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

2. Deus meus adjútor meus;* & sperábo in eum.

3. Protector meus, & cornu salútis meæ; * & susceptor meus.

4. Laudans invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis salvus ero.

5. Circumdedérunt me dolóres mortis; * & torrentes iniquitátis conturbavérunt me.

6. Dolóres inferni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

7. In tribulatióne meâ invocávi Dóminum; * & ad Deum meum clamávi:

8. Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam;* & clamor meus in conspectu ejus, introívit in aures ejus.

9. Commóta est & contrémuit terra:* fundamenta móntium conturbáta sunt, & commóta sunt; quóniam irátus est eis.

10. Ascendit fumus in irâ ejus; & ignis à fácie ejus exarsit: * carbónes succensi sunt ab eo.

11. Inclinávit cœlos, & descendit; * & calígo sub pédibus ejus.

12. Et ascendit super Chérubim, & volávit: * volávit super pennas ventórum.

13. Et pósuit ténebras latíbulum suum;* in circúitu ejus tabernáculum ejus, tenebrósa aqua in núbibus aëris.

14. Præ fulgóre in conspectu ejus nubes transiérunt; * grando & carbónes ignis.

15. Et intónuit de cœlo Dóminus, * & Altíssimus dedit vocem suam.

16. Et misit sagittas suas, & dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

17. Et apparuérunt fontes aquárum; * & reveláta sunt fundamenta orbis terrárum:

18. Ab increpatióne tuâ, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Ant. Intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam.

III. *Divisio Psalmi* 17.

19. Misit de summo, & accépit me; * & assumpsit me de aquis multis.

20. Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, * & ab his qui odérunt me, quóniam confortáti sunt super me.

21. Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus est Dóminus protector meus.

22. Et eduxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

23. Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam; * & secundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi:

24. Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi à Deo meo.

25. Quóniam ómnia judícia ejus in conspectu meo; * & justítias ejus non répuli à me.

26. Et ero immaculátus cum eo; * & observábo me ab iniquitáte meâ.

27. Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * & secundùm puritátem mánuum meárum in conspectu oculórum ejus.

28. Cum sancto sanctus eris; * & cum viro innocente ínnocens eris.

29. Et cum electo electus eris; * & cum perverso pervertéris.

30. Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies; * & óculos superbórum humiliábis.

31. Quóniam tu illúmińas lucernam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

32. Quóniam in te erípiar à tentatióne; * & in Deo meo transgrédiar murum.

Ant. Eduxit me Dóminus in latitúdinem: salvum me fecit, quóniam vóluit me.

IV. *Divisio Psalmi* 17.

33. DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta; * protector est ómnium sperántium in se.

34. Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

35. Deus, qui præcinxit me virtúte, * & pósuit immaculátam viam meam;

36. Qui perfécit pedes meos tamquàm cervórū, * & super excelsa státuens me:

37. Qui docet manus meas ad prælium; * & posuisti ut arcum æreum bráchia mea:

38. Et dedisti mihi protectiónem salútis tuæ, & déxtera tua suscépit me; * & disciplína tua correxit me in finem.

39. Dilatasti gressus meos subtus me; * & non sunt infirmáta vestígia mea.

40. Pérsequar inimícos meos, & comprehendam illos; * & non convertar donec defíciant.

41. Confringam illos: nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

42. Et præcinxisti me virtúte ad bellum; * & supplantasti insurgentes in me subtus me.

43. Et inimícos meos dedisti mihi dorsum; * & odientes me disperdidisti.

44. Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret: * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

45. Et comminuam eos ut púlverem ante fáciem

venti : * ut lutum platcárum delébo eos.

Ant. Quis Deus præter Dóminum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

V. *Divisio Psalmi* 17.

46. ERípies me de contradictiónibus pópuli mei : * constítues me in caput géntium.

47. Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi : * in audítu auris obedívit mihi.

48. Filii aliéni mentíti sunt mihi : * filii aliéni inveteráti sunt, & claudicavérunt à sémitis suis.

49. Vivit DÓMINUS, & benedíctus Deus meus : * & exaltétur Deus salútis meæ :

50. Deus, qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me ; * liberátor meus de inimícis meis iracundis :

51. Et ab insurgéntibus in me exaltábis me : * à viro iníquo erípies me.

52. Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, DÓMINE ; * & nómini tuo psalmum dicam :

53. Magníficans salútes Regis ejus ;* & fáciens misericórdiam Christo suo David, & sémini ejus, usque in séculum.

Ant. Confitébor tibi in natiónibus, Dómine ; & nómini tuo psalmum dicam.

VI. PSALMUS 86.

Ecclesia Dei laus : ejusque dilatatio.

1. FUndamenta ejus in móntibus sanctis : * díligit DÓMINUS portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

2. Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

3. Memor ero Rahab & Babylónis, * sciéntium me.

4. Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illìc.

5. Numquid Sion dicet : Homo & homo natus est in eâ ; * & ipse fundávit eam Altíssimus ?

6. DÓMINUS narrábit in scriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in eâ.

7. Sicut lætántium, * ómnium habitátio est in te.

Ant. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

℣. Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam : ℟. Totâ die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

Absolutio. Deus spei répleat vos omni gáudio, & pace in credendo, ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs Sãcti. *Rom.* 15. ℟. Amen.

Benedictiones ad caput Psalterii.

IN II. NOCTURNO.

I. Psalmus 43.

Ecclesia priora in se Dei beneficia recolens, posterioraque exponens mala, opem sibi à Deo poscit.

1. DEus, áuribus nostris audívimus, patres nostri annuntiavérunt nobis, * opus quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antiquis.

2. Manus tua gentes dispérdidit, & plantasti eos: * afflixisti pópulos, & expulisti eos.

3. Nec enim in gládio suo possedérunt terram; * & bráchium eórum non salvávit eos.

4. Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuisti in eis.

5. Tu es ipse Rex meus & Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

6. In te inimícos nostros ventilábimus cornu; * & in nómine tuo spernémus insurgentes in nobis.

7. Non enim in arcu meo sperábo; * & gládius meus non salvábit me.

8. Salvasti enim nos de affligéntibus nos; * & odientes nos confudisti.

9. In Deo laudábimur totâ die, * & in nómine tuo confitébimur in séculum.

II. *Divisio Psalmi* 43.

10. NUnc autem repulisti & confudisti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

11. Avertisti nos retrorsùm post inimícos nostros; * & qui odérunt nos, diripiébant sibi.

12. Dedisti nos tamquàm oves escárum; * & in géntibus dispersisti nos.

13. Vendidisti pópulum tuum sine prétio; * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

14. Posuisti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derisum his qui sunt in circúitu nostro.

15. Posuisti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónē cápitis in pópulis.

16. Totâ die verecúndia mea contra me est; * & confúsio faciéi meæ coopéruit me:

17. A voce exprobrantis & obloquentis, * à fácie inimíci & persequentis.

18. Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te; * & iniquè non égimus in testamento tuo:

19. Et non recessit retrò cor nostrum; * & declinasti sémitas nostras à viâ tuâ.

20. Quóniam humiliasti nos in loco afflictiónis; * & coopéruit nos umbra mortis.

III. *Divisio Psalmi* 43.

21. SI oblíti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus manus nostras ad deum aliénum;

22. Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

23. Quóniam propter te mortificámur totâ die: * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

24. Exsurge; quare obdormis, Dómine? * exsurge; & ne repellas in finem.

25. Quare fáciem tuam avertis; * oblivísceris inópiæ nostræ & tribulatiónis nostræ?

26. Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra, * conglutinátus est in terrâ venter noster.

27. Exsurge, Dómine, ádjuva nos, * & rédime nos propter nomen tuum.

IV. PSALMUS 59.

Mala gentis deflet Psaltes: Christique regni dilatationem prænuntiat.

1. DEus, repulisti nos, & destruxisti nos: * irátus es; & misertus es nobis.

2. Commovisti terram, & conturbasti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

3. Ostendisti pópulo tuo dura; * potasti nos vino compunctiónis.

4. Dedisti metuéntibus te significatiónem; * ut fúgiant à fácie arcûs.

5. Ut liberentur dilecti tui; * salvum fac dexterâ tuâ, & exaudi me.

6. Deus locútus est in sancto suo: * Lætábor, & partíbor Síchimam; & convallem tabernaculórum metíbor.

7. Meus est Gálaad, & meus est Manasses; & Ephraim fortitúdo cápitis mei: * Juda rex meus.

8. Moab olla spei meæ: in Idumæam extendam calceamentum meum; * mihi alienígenæ súbditi sunt.

9. Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

10. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

11. Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

12. In Deo faciémus virtútem; * & ipse ad nihilum dedúcet tribulantes nos.

V. PSALMUS 71.

Christi regnum super omnes gentes. Fructus prædicationis Evangelicæ.

1. DEus, judícium tuum Regi da, * & justítiam tuam fílio Regis;

2. Judicáre pópulum tuũ in justítiâ, * & páuperes tuos in judício.

3. Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

4. Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum, * & humiliábit calumniatórem:

5. Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatiónes generatiónũ.

6. Descendet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

7. Orietur in diébus ejus justítia & abundántia pacis,* donec auferátur luna.

8. Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

9. Coram illo prócident Æthíopes, & inimíci ejus terram lingent.

VI. *Divisio Psalmi* 71.

10. REges Tharsis, & Insulæ múnera ófferent; * Reges Arabum & Saba dona addúcent;

11. Et adorábunt eum omnes Reges terræ; * omnes gentes sérvient ei;

12. Quia liberábit páuperem à potente, * & páuperem, cui non erat adjútor.

13. Parcet páuperi & ínopi; * & ánimas páuperum salvas fáciet.

14. Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum, * & honorábile nomen eórum coram illo.

15. Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper; * totâ die benedícent ei.

16. Et erit firmamentum in terrâ in summis móntium; superextollétur super Líbanum fructus ejus, * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

17. Sit nomen ejus benedíctum in sécula; * ante solem pérmanet nomen ejus.

18. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; * omnes gentes magnificábunt eum.

19. Benedictus DÓMINUS Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

20. Et benedictum nomen majestátis ejus in æternum, & replébitur majestáte ejus omnis terra: * fiat, fiat.

Ant. Replébitur majestáte Dómini omnis terra: fiat, fiat.

LECTIO. *II. Petr.* 1.

SAtágite ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis; hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquandò. Sic enim abundanter ministrábitur vobis intróitus in æternum regnum Dómini nostri & Salvatóris Jesu Christi.

℣. Ego in justítiâ apparébo conspéctui tuo: ℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

Collecta ut infrà ad Laudes.

AD LAUDES.

I. PSALMUS 74.

Deus judex: hunc laudant Justi.

1. COnfitébimur tibi Deus; confitébimur & invocábimus nomen tuum: * narrábimus mirabília tua.

2. Cùm accépero tempus, * ego justítias judicábo.

3. Liquefacta est terra, & omnes qui hábitant in eâ: * ego confirmávi colúmnas ejus.

4. Dixi iníquis, Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus, Nolíte exaltáre cornu.

5. Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui adversùs Deum iniquitátem.

6. Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, * neque à desertis móntibus.

7. Quóniam Deus judex est: * hunc humíliat, & hunc exaltat.

8. Quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto; * & inclinávit ex hoc in hoc.

9. Verúmtamen fæx ejus non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.

10. Ego autem annuntiábo in séculum: * cantábo Deo Jacob.

11. Et ómnia córnua peccatórum confringam; * & exaltabuntur córnua justi.

Ant. Deus judex est: hunc humíliat & hunc exaltat.

II. Canticum Moysis II. *Deut.* 32.

Judæorum infidelitates, Deique vindictas & miserationes prænuntiat. Ecclesiæ typus.

1. Audíte, cœli, quæ loquor: * áudiat terra verba oris mei.

2. Concrescat ut plúvia doctrína mea; * fluat ut ros elóquium meum:

3. Quasi imber super herbam, * & quasi stillæ super grámina.

4. Quia nomen Dómini invocábo: * date magnificéntiam Deo nostro.

5. Dei perfecta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia: * Deus fidélis, & absque ullâ iniquitáte, justus & rectus.

6. Peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus; * generátio prava atque perversa.

7. Hæccine reddis Dómino, * pópule stulte & insípiens?

8. Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit, & creávit te?

9. Memento diérum antiquórum: * cógita generatiónes síngulas.

10. Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi; * majóres tuos, & dicent tibi.

11. Quando dividébat Altíssimus gentes; * quando separábat filios Adam:

12. Constítuit términos populórum, * juxta númerum filiórum Israel.

13. Pars autem Dómini pópulus ejus: * Jacob funículus hereditátis ejus.

14. Invénit eum in terrâ desertâ, * in loco horróris & vastæ solitúdinis.

15. Circumduxit eum, & dócuit; * & custodívit quasi pupillam óculi sui.

16. Sicut áquila próvocans ad volandum pullos suos,* & super eos vólitans:

17. Expandit alas suas, & assumpsit eum; * atque portávit in húmeris suis.

18. Dóminus solus dux ejus fuit; * & non erat cum eo deus aliénus.

19. Constítuit eum super excelsam terram; * ut coméderet fructus agrórum:

20. Ut súgeret mel de petrâ, * oleumque de saxo duríssimo;

21. Bútyrum dearmento, & lac de óvibus, * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Basan;

22. Et hircos cum medullâ trítici, * & sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

23. Incrassátus est dilectus, & recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus:

24. Derelíquit Deum factórem suum; * & recessit à Deo salutári suo.

25. Provocavérunt eum in diis aliénis; * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

26. Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorábant.

27. Novi recentesque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

28. Deum, qui te génuit, dereliquisti; * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Ant. Pars Dómini pópulus ejus; Jacob funículus hereditátis ejus.

III. *Divisio Cantici Moys.*

29. Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus est; * quia provocavérunt eum filii sui & filiæ.

30. Et ait: Abscondam fáciem meam ab eis; * & considerábo novíssima eórum.

31. Generátio enim perversa est, * & infidéles filii.

32. Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat Deus; * & irritavérunt in vanitátibus suis:

33. Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus; * & in gente stultâ, irritábo illos.

34. Ignis accensus est in furóre meo; * & ardébit usque ad inferni novíssima:

35. Devorabitque terram cum gérmine suo; * & móntium fundamenta combúret.

36. Congregábo super eos mala; * & sagittas meas complébo in eis.

37. Consumentur fame; * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo:

38. Dentes bestiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

39. Foris vastábit eos gládius, & intùs pavor; * júvenem simul ac vírginem,

lactentem cum hómine sene.

40. Dixi: Ubinam sunt?* cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

41. Sed propter iram inimicórum dístuli;* ne fortè superbírent hostes eórum:

42. Et dícerent: Manus nostra excelsa, * & non Dóminus, fecit hæc ómnia.

43. Gens absque consílio est, & sine prudéntiâ: * útinam sáperent, & intellígerent; ac novíssima providérent!

44. Quómodo persequátur unus mille? * & duo fugent decem míllia?

45. Nonnè ídeò, quia Deus suus véndidit eos; * & Dóminus conclúsit illos.

46. Non enim est Deus noster ut dii eórum; * & inimíci nostri sunt júdices.

47. De víneâ Sodomórum vínea eórum; * & de suburbánis Gomorrhæ:

48. Uva eórum uva fellis, * & botri amaríssimi:

49. Fel dracónum vinum eórum: * & venénum áspidum insanábile.

50. Nonne hæc cóndita sunt apud me, * & signáta in thesauris meis?

51. Mea est últio; & ego retríbuam in témpore; * ut labátur pes eórum.

52. Juxta est dies perditiónis, * & adesse festínant témpora.

Ant. Mea est últio, & ego retríbuam in témpore.

IV. *Divisio Cant. Moysis.*

53. JUdicábit Dóminus pópulum suum; * & in servis suis miserébitur.

54. Vidébit quòd infirmáta sit manus, & clausi quoque defecérunt; * residuíque consumpti sunt.

55. Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

56. De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum?

57. Surgant, & opituléntur vobis; * & in necessitáte vos prótegant.

58. Vidéte quòd ego sim solus; * & non sit álius Deus præter me;

59. Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego sanábo; * & non est qui de manu meâ possit erúere.

60. Levábo ad cœlum manum meam, & dicam: * Vivo ego in ætérnum.

61. Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea;

62. Reddam ultiónem hóstibus meis, * & his qui odérunt me, retríbuam.

63. Inebriábo sagittas meas sánguine; * & gládius meus devorábit carnes:

64. De cruóre occisórum, * & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

65. Laudáte, gentes, pó-

pulum ejus; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur :

66. Et vindíctam retríbuet in hostes eórum; * & propítius erit terræ pópuli sui.

Ant. Judicábit Dóminus pópulum suum; & in servis suis miserébitur.

V. PSALMUS 116.

Misericordia & veritas Dei in populum suum à gentibus laudanda.

1. LAudáte DÓMINUM, omnes gentes; * laudáte eum, omnes pópuli.

2. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas DÓMINI manet in æternum.

Ant. Laudáte Dóminum, omnes pópuli; quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

LECTIO. *Philip.* 2.

CUm metu & tremóre vestram salútem operámini; Deus est enim qui operátur in vobis, & velle & perfícere, pro bonâ voluntáte.

℟. *br.* Deduc me, Dómine, in viâ tuâ. * Et ingrédiar in veritáte tuâ. ℟. Deduc.
℣. Lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum; * Et.
℣. Glória. ℟. Deduc me. *Ps.* 58.

HYMNUS. *C.*

REerum Creátor ómnium,
Nostros labóres ádjuva;
Ut casta Christi nómine
Nos vita dignos árguat.

Tu nempè sanctus & potens
Placére das solus tibi:
Tu, legis autor, das sequi
Quod lege præmonstras iter.

Cingunt iter perícula;
Tu lúbricos firma pedes;
Et certióre férvidi
Pergémus ad metam gradu.

O meta felix, pax ubi
Et vera nos manet quies;
Ubi voluptátis sacro
Torrente potábis tuos!

Te mens, ô alma Trínitas,
Anhélat ardens, te sitit:
Tuâ redemptis grátiâ
Æterna redde præmia.

Amen.

℣. Fiat manus tua, Dómine, ut salvet me; ℟. Quóniam mandáta tua elégi. *Ps.* 118.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

Ad Benedictus. *Ant.* Nusquàm Angelos apprehendit: sed semen Abrahæ apprehendit. Unde débuit per ómnia frátribus similári. *Hebr.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

GRátiæ tuæ, quæsumus, Dómine, supplícibus tuis tríbue largitátem; † ut mandáta tua, te operante, sectantes, * & consolatiónem vitæ præséntis accípiant, & futúra gáudia comprehendant : Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Psalmus 18.

Cælorum ordo, Evangelii propagatio, Legis inconcussa veritas, Dei sapientiam prædicant.

1. CŒli enarrant glóriam Dei; * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

2. Dies diéi erúctat verbum; * & nox nocti índicat sciéntiam.

3. Non sunt loquélæ neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

4. In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

5. In sole pósuit tabernáculum suum; & ipse tamquàm sponsus procédens de thálamo suo: * exsultávit ut gigas ad currẽdam viam.

6. A summo cœlo egréssio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus; * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

Divisio Psalmi 18.

7. LEx Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

8. Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

9. Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa:

10. Desiderabília super aurum, & lápidem pretiósum multum; * & dulcióra super mel & favum.

11. Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiendis illis retribútio multa.

12. Delicta quis intélligit? * ab occultis meis munda me; & ab aliénis parce servo tuo.

13. Si meî non fuerint domináti, tunc immaculátus ero; * & emundábor à delicto máximo:

14. Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper; * Dómine adjútor meus, & redemptor meus.

Psalmus 87.

Vox Christi ad Patrem sese commendantis.

1. DOmine Deus salútis meæ, * in die clamávi, & nocte coram te.

2. Intret in conspectu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam.

3. Quia repléta est malis ánima mea; * & vita mea inferno appropinquávit.

4. Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber;

5. Sicut vulneráti dormientes in sepulcris, quorum non es memor am-

pliùs; * & ipsi de manu tuâ repulsi sunt.

6. Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis & in umbrâ mortis.

7. Super me confirmátus est furor tuus; * & omnes fluctus tuos induxisti super me.

8. Longè fecisti notos meos à me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

9. Tráditus sum, & non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópiâ.

10. Clamávi ad te, Dómine, totâ die: * expandi ad te manus meas.

11. Numquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici suscitábunt, & confitebuntur tibi?

12. Numquid narrábit áliquis in sepulcro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

13. Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua, * & justítia tua in terrâ obliviónis?

14. Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & mane orátio mea prævéniet te.

15. Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam; * avertis fáciem tuam à me?

16. Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte meâ; * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

17. In me transiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me.

18. Circumdedérunt me sicut aqua totâ die; * circumdedérunt me simul.

19. Elongasti à me amícum & próximum, * & notos meos à misériâ.

Ant. Ego ad te, Dómine, clamávi, & mane orátio mea prævéniet te.

AD TERTIAM.

Psalmus 52.

Redemptionis necessitas & effectus.

1. Dixit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

2. Corrupti sunt & abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui fáciat bonum.

3. Deus de cœlo prospexit super fílios hóminum; * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

4. Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

5. Nonne scient omnes qui operantur iniquitátē, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

6. Deum non invocavérunt; * illìc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

7. Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confusi sunt; quóniam Deus sprevit eos.

8. Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm convérterit Deus captivitátem

plebis suæ, exsultábit Jacob, & lætábitur Israel.

PSALMUS 79.

Miseriarum finis per Christi adventum postulatur. Vox Ecclesiæ. Expectatio nostra Judæorum conversio.

1. QUi regis Israel, inténde; * qui dedúcis velut ovem Joseph.

2. Qui sedes super Chérubim, manifestáre, * coram Ephraim, Bénjamin & Manasse.

3. Excita poténtiam tuã, & veni; * ut salvos fácias nos.

4. Deus, converte nos;* & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

5. DÓMINE Deus virtútum, * quousque irascéris super oratiónem servi tui?

6. Cibábis nos pane lacrymárum; * & potum dabis nobis in lácrymis in mensúrâ.

7. Posuisti nos in contradictiónem vicínis nostris;* & inimíci nostri subsannavérunt nos.

8. Deus virtútum, converte nos; * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Divisio Psalmi 79.

9. VIneam de Ægypto transtulisti; * ejecisti gentes, & plantasti eam.

10. Dux itíneris fuisti in conspectu ejus: * plantasti radíces ejus, & implévit terram.

11. Opéruit montes umbra ejus, * & arbusta ejus cedros Dei.

12. Extendit pálmites suos usque ad mare, * & usque ad flumen propágines ejus.

13. Ut quid destruxisti macériam ejus; * & vindémiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

14. Exterminávit eam aper de silvâ; * & singuláris ferus depastus est eam.

15. Deus virtútum, convértere: * réspice de cœlo, & vide:

16. Et vísita víneam istam; * & pérfice eam quam plantávit déxtera tua.

17. Incensa est igni & suffossa: * ab increpatióne vultûs tui peribunt.

18. Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * & super filium hóminis quem confirmasti tibi.

19. Et non discédimus à te: * vivificábis nos; & nomen tuum invocábimus.

20. DÓMINE Deus virtútum, converte nos; * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Ant. Deus virtútum, converte nos; & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

LECTIO. *Coloss.* 3.

QUodcumque fácitis, ex ánimo operámini, † sicut Dómino, & non homínibus, * sciéntes quòd à Dómino accipiétis retributiónem hereditátis.

℣. Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum, ℟. Propter retributiónem. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

PSALMUS 53.

Deus semper benedicendus, Justorum defensor, malorum eversor.

1. BEnedícam DÓMINUM in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

2. In DÓMINO laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & lætentur.

3. Magnificáte DÓMINUM mecum; * & exaltémus nomen ejus in idipsum.

4. Exquisívi DÓMINUM, & exaudívit me; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

5. Accédite ad eum, & illuminámini; * & fácies vestræ non confundentur.

6. Iste pauper clamávit, & DÓMINUS exaudívit eum, * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

7. Immittet Angelus DÓMINI in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

8. Gustáte, & vidéte quóniam suávis est DÓMINUS: * beátus vir qui sperat in eo.

Divisio Psalmi 33.

9. TIméte DÓMINUM, omnes sancti ejus; * quóniam non est inópia timéntibus eum.

10. Dívites eguérunt, & esuriérunt; * inquiréntes autem DÓMINUM non minuentur omni bono.

11. Veníte, filii, audíte me: * timórem DÓMINI docébo vos.

12. Quis est homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

13. Próhibe linguam tuam à malo; * & lábia tua, ne loquantur dolum:

14. Diverte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Divisio Psalmi 33.

15. OCuli DÓMINI super justos; * & aures ejus in preces eórum.

16. Vultus autem DÓMINI super facientes mala; * ut perdat de terrâ memóriam eórum.

17. Clamavérunt justi, & DÓMINUS exaudívit eos, * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

18. Juxtà est DÓMINUS iis qui tribuláto sunt corde; * & húmiles spíritu salvábit.

19. Multæ tribulatiónes justórum; * & de ómnibus his liberábit eos DÓMINUS.

20. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

21. Mors peccatórum péssima; * & qui odérunt justum, delinquent.

22. Rédimet DÓMINUS ánimas servórum suórũ; * & non delinquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum.

LECTIO. *I. Cor.* 15.

FRatres mei dilecti, stábiles estóte & immóbiles, † abundantes in ópere Dómini semper, * sciéntes quòd labor vester non est inánis in Dómino.

℣. Potestas Dei est; & tibi, Dómine, misericórdia; ℟. Tu reddes unicuíque juxta ópera sua. *Ps.* 61.

AD NONAM.

PSALMUS 120.

Dominus custos Ecclesiæ suæ.

1. LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

2. Auxílium meum à DÓMINO, * qui fecit cœlum & terram.

3. Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

4. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

5. DÓMINUS custódit te; * DÓMINUS protéctio tua super manum déxteram tuã.

6. Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

7. DÓMINUS custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

8. DÓMINUS custódiat intróitum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc & usque in séculum.

PSALMUS 123.

Ecclesiæ à periculis ereptæ gratiarum actio.

1. NIsi quia DÓMINUS erat in nobis, dicat nunc Israel, * nisi quia DÓMINUS erat in nobis:

2. Cùm exsúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutissent nos:

3. Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuisset nos.

4. Torrentem pertransívit ánima nostra; * fórsitan pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

5. Benedictus DÓMINUS, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

6. Anima nostra sicut passer erepta est, * de láqueo venántium:

7. Láqueus contrítus est; * & nos liberáti sumus.

8. Adjutórium nostrum in nómine DÓMINI, * qui fecit cœlum & terram.

PSALMUS 124.

Fidelium Deus ipse tutela. Ecclesiæ stabilitas.

1. QUi confídunt in DÓMINO, sicut mons Sion; * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

2. Montes in circúitu ejus, & DÓMINUS in circúitu pópuli sui, * ex hoc nunc & usque in séculum;

3. Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum; *

ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

4. Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

5. Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem:* pax super Israel.

Ant. Dóminus custódit te; Dóminus protéctio tua.

Lectio. *Galat. 6.*

BOnum facientes non deficiámus; † témpore enim suo metémus non deficientes. * Ergo dùm tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máximè ad doméstícos fidei.

℣. Retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam; ℟. Et secundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi. *Ps.* 17.

AD VESPERAS.

I. Psalmus 127.

Christi & Ecclesiæ filii, in circuitu mensæ Domini.

1. BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

2. Labóres mánuum tuárum quia manducábis; * beátus es, & benè tibi erit.

3. Uxor tua sicut vitis abundans, * in latéribus domûs tuæ.

4. Filii tui sicut novellæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

5. Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

6. Benedícat tibi Dóminus ex Sion, * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ:

7. Et vídeas filios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Ant. Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

II. Psalmus 131.

Justus orat ut in Ecclesiâ Christus inhabitet, Sacerdotesque sanctos reddat.

1. MEmento, Dómine, David, * & omnis mansuetúdinis ejus:

2. Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob.

3. Si introíero in tabernáculum domûs meæ; * si ascéndero in lectũ strati mei;

4. Si dédero somnum óculis meis, & pálpebris meis dormitatiónem, * & réquiem tempóribus meis;

5. Donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

6. Ecce audívimus eam in Ephráthâ:* invénimus eam in campis silvæ.

7. Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

8. Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

9. Sacerdótes tui induan-

tur justítiam; * & sancti tui exsultent.

10. Propter David servum tuum, * non avertas fáciem Christi tui.

11. Jurávit DÓMINUS David veritátem, & non frustrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

12. Si custodíerint filii tui testamentum meum, * & testimónia mea hæc quæ docébo eos;

13. Et filii eórum usque in séculum, * sedébunt super sedem tuam;

14. Quóniam elégit DÓMINUS Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

15. Hæc réquies mea in séculum séculi: * hìc habitábo; quóniam elégi eam.

16. [Victum] ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

17. Sacerdótes ejus índuã salutári; * & Sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

18. Illuc prodúcam cornu David: * parávi lucernam Christo meo.

19. Inimícos ejus índuam confusióne; * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Sion réquies mea in séculum séculi: Sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

III. PSALMUS 143.

Victoria ab hostibus, Dei donum est.

1. BEnedíctus DÓMINUS Deus meus, qui docet manus meas ad prœliũ, * & digitos meos ad bellum.

2. Misericórdia mea & refúgium meum; * suscéptor meus & liberátor meus:

3. Protector meus, & in ipso sperávi; * qui subdit pópulum meum sub me.

4. DÓMINE, quid est homo, quia innotuisti ei? * aut filius hóminis, quia réputas eum?

5. Homo vanitáti símilis factus est, * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

6. DÓMINE, inclína cœlos tuos, & descende: * tange montes, & fumigábunt.

7. Fúlgura coruscatiónẽ, & dissipábis eos: * emitte sagittas tuas, & conturbábis eos.

8. Emitte manum tuam de alto; * éripe me, & líbera me de aquis multis, de manu filiórum alienórum,

9. Quorum os locútum est vanitátem; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Ant. Deus meus misericórdia mea, & susceptor meus.

IV. *Divisio Psalmi* 143.

10. DEus, cánticum novũ cantábo tibi; * in psaltério dechacordo psallam tibi:

11. Qui das salútem Régibus; * qui redemisti David servum tuum de gládio maligno.

12. Eripe me, & érue me de manu filiórum alienó-

rum, * quorum os locútum est vanitátem; & déxtera eórum, déxtera iniquitátis:

13. Quorum filii sicut novellæ plantatiónes, * in juventúte suâ:

14. Filiæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut similitúdo templi.

15. Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud:

16. Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis; * boves eórum crassæ.

17. Non est ruina macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

18. Beátum dixérunt pópulum, cui hæc sunt: * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Ab Epiphaniâ ad Septuagesimam.

LECTIO. *Isai.* 48.

IN voce exsultatiónis annuntiáte; † audítum fácite hoc, & efferte illud usque ad extréma terræ: * dícite: Redémit Dóminus servum suum Jacob.

℟. *br.* In humilitáte nostrâ, * Memor fuit nostri Dóminus. ℟. In. ℣. Et redémit nos ab inimícis nostris. * Memor. ℣. Glória. ℟. In. *Ps.* 105.

HYMNUS.

VErbum quod ante sécula
Sinu paterno násceris,
Recens homo sub témpore
E vírginis prodis sinu.

Fatále rumpis vínculum
Quo nos Adámus néxuit:
Reddes quod ille pérdidit;
Spes illa tecum náscitur.

Jam dura discis pérpeti
Quæ ferre par sontes fuit:
Orbis salúti flétibus
Prælúdis in cunis puer.

Fis pauper, indigéntiâ
Et nos tuâ ditéscimus;
Luges, tuis & lácrymis
Totum lavas mundi scelus.

Pannis opertus vílibus
Lates recumbens in specu:
Homo superbis! & Deum
Panni, specus non dédecent.

A Patre missus, pérditi
Qui factus es mundi salus,
JESU: períre non sinas
Tot quos emis labóribus.

Æterne de Deo-Deus,
Homo-Deus de Vírgine,
Cum Patre & almo Spíritu,
JESU, tibi sit glória.
Amen.

℣. Vidérunt omnes términi terræ, ℟. Salutáre Dei nostri. *Ps.* 97.

Ant. ad Magníficat. *& Collecta ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 50.

Pœnitentis animæ acerbi gemitus. Vox Israelis ad fidem conversi.

1. MIserére mei, Deus, secundùm magnam misericórdiam tuam; * & secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, dele iniquitátem meam.

2. Ampliùs lava me ab iniquitáte meâ; * & à peccáto meo munda me:

3. Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * & peccátum meum contra me est semper:

4. Tibi soli peccávi; * & malum coram te feci:

5. Ut justificéris in sermónibus tuis; * & víncas cùm judicáris.

6. Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum; * & in peccátis concépit me mater mea.

7. Ecce enim veritátem dilexísti; * incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

8. Asperges me hyssópo, & mundábor:* lavábis me & super nivem dealbábor.

9. Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exsultábunt ossa humiliáta.

10. Averte fáciem tuam à peccátis meis; * & omnes iniquitátes meas dele.

11. Cor mundum crea in me, Deus; * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

12. Ne projícias me à fácie tuâ; * & Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

13. Redde mihi lætítiam salutáris tui; * & spíritu principáli confírma me.

14. Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te convertentur.

15. Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exsultábit lingua mea justítiam tuam.

16. Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

17. Quóniam si voluisses, sacrifícium dedissem útique; * holocaustis non delectáberis.

18. Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

19. Benignè fac, Dómine, in bonâ voluntáte tuâ Sion; * ut ædificentur muri Jerúsalem.

20. Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocausta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

PSALMUS 85.

Vox Christi, Ecclesiæ liberationem, gentiumque conversionem exposcentis.

1. INclína, DÓMINE, aurem tuam, & exaudi me; * quóniam inops & pauper sum ego.

2. Custódi ánimam meã, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

3. Miserére meî, Dómine; * quóniam ad te clamávi totâ die.

4. Lætífica ánimam servi tui, * quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

5. Quóniam tu, Dómi-

ne, suávis & mitis, * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

6. Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam;* intende voci deprecatiónis meæ.

7. In die tribulatiónis meæ, clamávi ad te; * quia exaudisti me.

8. Non est símilis tuî in diis, Dómine; * & non est secundùm ópera tua.

9. Omnes gentes quascumque fecisti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine; * & glorificábunt nomen tuum.

10. Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabilia; * tu es Deus solus.

Divisio Psalmi 85.

11. DEduc me, Dómine, in viâ tuâ, & ingrédiar in veritáte tuâ: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

12. Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo;* & glorificábo nomen tuum in æternum.

13. Quia misericórdia tua magna est super me; * & eruisti ánimam meam ex inferno inferióri.

14. Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt te in conspectu suo.

15. Et tu, Dómine Deus, miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

16. Réspice in me, & miserére mei: * da impérium tuum púero tuo; & salvum fac filium ancillæ tuæ.

17. Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, & consolátus es me.

Cant. Nunc dimittis.

ANTIPHONÆ DE BEATA AD DEVOTIONEM.

A Sabbato Dominicæ I. Adventûs, usque ad Præsentationem Domini inclusivè.

ANTIPHONA.

ALma Redemptóris Mater, quæ pérvia cœli
Porta manes, & stella maris, succurre cadenti,
Súrgere qui curat, pópulo: tu quæ genuisti,
Natúrâ mirante, tuum Sanctum Genitórem,
Virgo, Parens, eádemque simul; Gabriélis abore
Sumens illud Ave, Peccatórum miserére.

In Adventu ℣. Dóminus dabit benignitátem; ℟. Et

terra nostra dabit fructum suum. *Ps.* 84.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

GRátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infunde; † ut qui Angelo nuntiante Christi Fílii tui Incarnatiónem cognóvimus, * per passiónem ejus & crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur: Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

A primis Vesperis Natalis Domini ad Præsentationem ejusdem inclusivè dicuntur ℣. *& Collecta quæ sequuntur.*

℣. Confiteantur tibi pópuli, Deus: ℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fecundâ, humáno géneri præmia præstitisti; † tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, * per quam merúimus Autórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

A crastino Præsentationis Domini ad Feriam IV. majoris Hebdomadæ.

ANTIPHONA.

AVe, Regína cœlórum;
Ave, Dómina Angelórum:
Salve, pura lucis porta,
Et in Nato Mater nostra.
Gaude, Virgo gloriósa,
Super omnes benedicta:
Vale, ô valdè beáta,
Et Christum pro nobis ora.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; † ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, * intercessiónis ejus auxílio à nostris iniquitátibus resurgámus: Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

PRECES SEROTINÆ.

Præses Chori, Ant. Asperges me, Dómine, hyssópo, & mundábor;

Chorus: Lavábis me, & super nivem dealbábor.

Ps. 50. Miserére meî, Deus, secundùm magnam misericórdiam tuam; * & secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, dele iniquitátem meam.

℣. Glória Patri, &c. ℣. Sicut erat, &c.

Repetitur: Asperges.

Hebdomadarius seu Celebrans: ℣. Véniat super me misericórdia tua, Dómine. ℟. Salutáre tuum secúndum elóquium tuum. *Ps.* 118.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi: ℟. Sub umbrâ alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

℣. Orémus pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Pro infirmis, afflictis & captivis. ℟. Líbera, Deus, Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Dómine, dabis pacem nobis; ℟. Omnia enim ópera nostra operátus es nobis. *Is.* 26.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

COLLECTA. *Br. Rom.*

VIsita, quǽsumus, Dómine, habitatiónem istam, & omnes insídias inimíci ab eâ longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in eâ, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

Hìc dicitur Ps. 129. De profundis. *suprà, pag.* 96. *In fine:* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * & lux perpétua lúceat eis.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Grimold.*

DEus, véniæ largitor, & humánæ salútis amátor: quǽsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propinquos & benefactóres, qui ex hoc século transiérunt, beátâ Maríâ semper vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde singulis diebus alternatìm dicitur una ex Litaniis quæ ad Breviarii calcem annotantur.

VIDE, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, opéribus comprobes.

Concil. Carth. IV. an. 398. *Can.* 20.



PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS HIEMALIS.

IN ADVENTU *DOMINI.*

SABBATO ANTE DOMINICAM I. *ADVENTUS.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Jerem.* 23.

ECce dies véniunt, dicit Dóminus: & suscitábo David germen justum: & regnábit Rex, & sápiens erit: & fáciet judícium & justítiam in terrâ. † In diébus illis salvábitur Juda, & Israel habitábit confidenter. * Et hoc est nomen, quod vocábunt eum, Dóminus justus noster.

℟. *br.* Roráte, cœli, désuper; * Et nubes pluant Justum. *Repetitur:* Roráte. ℣. Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. * Et nubes pluant Justum. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto. ℟. Roráte, cœli, désuper; & nubes pluant Justum. *Isai.* 45.

Hymnus, Statuta decréto Dei. *ut infrà in Feriis Adventûs*, *pag.* 179.

℣. Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam: ℟. Et salutáre tuum da nobis. *Ps.* 84.

Ad Magníficat. *Ant.* Isaías Prophéta magnus spíritu magno vidit última; & consolátus est lugentes in Sion: vidit glóriam Christi, & locútus est de eo. *Eccli.* 48. *Joan.* 12.

Collecta, Excita. *ut infrà ad Laudes*, *pag.* 175.

DOMINICA I. *ADVENTUS.*

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dó-

minus Judex noster : * Veníte, adorémus. *Isai.* 33.

Hymnus, Instantis adventum Dei. *ut infrà in Feriis Adventûs, pag.* 177.

Antiphona, & ℣. primi & secundi Nocturni, ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Liber Isaíæ Prophétæ. *Cap.* 1.

VIsio Isaíæ filii Amos, quam vidit super Judam & Jerúsalem in diébus Oziæ, Jóathan, Achaz, & Ezechíæ, regum Juda. Audíte, cœli, & áuribus pércipe, terra, quóniam Dóminus locútus est. Fílios enutrívi, & exaltávi : ipsi autem sprevérunt me. Cognóvit bos possessórē suum, & ásinus præsépe dómini sui : Israel autem me non cognóvit, & pópulus meus non intellexit. Væ genti peccatríci, pópulo gravi iniquitáte, sémini nequam, filiis sceleratis : dereliquérunt Dóminum, blasphemavérunt Sanctum Israel, abalienáti sunt retrorsùm. Super quo percútiam vos ultrà, addentes prævaricatiónem ? Omne caput lánguidum, & omne cor mœrens, A plantâ pedis usque ad vérticem, non est in eo sánitas : vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligáta, nec curáta medicámine, neque fota óleo. Terra vestra desérta, civitátes vestræ succensæ igni : regiónem vestram coram vobis aliéni dévorant ; & desolábitur sicut in vastitáte hostíli. Et derelinquétur filia Sion ut umbráculum in víneâ, & sicut tugúrium in cucumerário, & sicut cívitas quæ vastátur. Nisi Dóminus exercítuum reliquisset nobis semen, quasi Sódoma fuissémus, & quasi Gomorrha símiles essémus. Tu autem Dómine miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

℟. Dómine, facti sumus quasi in princípio, cùm non dominaréris nostrî, neque invocarétur nomen tuum super nos. * Utinam dirúmperes cœlos, & descénderes ! ℣. Exspectávimus judícium & non est ; salútem, & elongáta est à nobis ; multiplicátæ sunt enim iniquitátes nostræ coram te. * Utinam. *Isai.* 63. 64. & 59.

LECTIO II.

AUdíte verbum Dómini, príncipes Sodomórum ; percípite áuribus legem Dei nostri, pópulus Gomorrhæ. Quò mihi multitúdinem victimárum vestrárum, dicit Dóminus ? Plenus sum ; holocausta aríetum, & ádipem pínguium, & sánguinem vitulórum, & agnórum, &

hircórum nólui. Cùm venirétis ante conſpectum meum, quis quæſívit hæc de mánibus veſtris, ut ambularétis in átriis meis? Ne offerátis ultrà ſacrifícium fruſtrà: incenſum abominátio eſt mihi. Neoméniam, & ſábbatum, & feſtivitátes álias non feram, iníqui ſunt cœtus veſtri: calendas veſtras, & ſolemnitátes veſtras, odívit ánima mea: facta ſunt mihi moleſta, laborávi ſuſtinens. Et cùm extendéritis manus veſtras, avertam óculos meos à vobis; & cùm multiplicavéritis oratiónem, non exáudiam: manus enim veſtræ ſánguine plenæ ſunt.

℟. Numquid manducábo carnes taurórum, aut ſánguinem hircórum potábo? * Immola Deo ſacrifícium laudis, & redde Altíſſimo vota tua. ℣. Indicábo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dóminus requírat à te: útique fácere judícium, & diligere miſericórdiam, & ſollícitum ambuláre cum Deo tuo. * Immola. *Pſ.* 49. *Mich.* 6.

Lectio III.

LAvámini, mundi eſtóte, auferte malum cogitatiónum veſtrárum ab óculis meis: quiéſcite ágere perversè, díſcite benefácere: quærite judícium, ſubveníte oppreſſo, judicáte pupillo, defféndite víduam. Et veníte, & argúite me, dicit Dóminus: ſi fúerint peccáta veſtra ut cóccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fúerint rubra quaſi vermículus, velut lana alba erunt. Si voluéritis, & audiéritis me, bona terræ comedétis. Quòd ſi noluéritis, & me ad iracúndiam provocavéritis: gládius devorábit vos, quia os Dómini locútum eſt.

℟. Scrutémur vias noſtras, & quærámus, & revertámur ad Dóminum; * Levémus corda noſtra cum mánibus ad Dóminum in cœlos. ℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies ſalútis. * Levémus. *Thren.* 3. *II. Cor.* 6.

Lectio IV.

QUómodo facta eſt méretrix cívitas fidélis, plena judícii? juſtítia habitávit in eâ, nunc autem homicídæ. Argentum tuum verſum eſt in ſcóriam: vinum tuum miſtum eſt aquâ. Príncipes tui infidéles, ſócii furum: omnes díligunt múnera; ſequuntur retributiónes. Pupillo non júdicant; & cauſa víduæ non ingréditur ad illos. Propter hoc ait Dóminus Deus exercítuum, fortis Iſrael: Heu, conſolábor ſuper hóſtibus meis, & vindicábor de inimícis meis.

Et convertam manum meã ad te, & excoquam ad purum scóriam tuam, & auferam omne stannum tuũ. Et restítuam júdices tuos ut fuérunt prius, & consiliários tuos sicut antiquitus: post hæc vocáberis, Civitas justi, urbs fidélis. Sion in judício redimétur, & redúcent eam in justítiâ.

℟. Dómine, fac propter nomen tuum; quóniam multæ sunt aversiónes nostræ: tibi peccávimus. * Exspectátio Israel, salvátor ejus in témpore tribulatiónis, ne derelinquas nos. ℣. Scriptum est: Véniet ex Sion, qui erípiat & avertat impietátem à Jacob. * Exspectátio. ℣. Glória. * Exspectátio. *Jerem.* 14. *Rom.* 11.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Apológiâ primâ sancti Justini, Philósophi & Mártyris. *Edit. Bened. n.* 52.

QUóniam quæ evenérunt, jam ómnia osténdimus prædicta, ántequàm evenírent, per Prophétas fuisse; necesse est & ea, quæ símiliter prædicta sunt, ac aliquando evénient, omninò eventúra crédere. Quemádmodum enim ea quæ jam evenérunt, prædicta & ignoráta evenérunt; ita & quæ supersunt, quamvis ignorentur ac non credantur, evénient.

℟. Súscita, Dómine, prædicatiónes quas locúti sunt in nómine tuo Prophétæ prióres: * Da mercédem sustinéntibus te, ut Prophétæ tui fidéles inveniantur. ℣. Nos spíritu ex fide, spem justítiæ exspectamus. * Da. *Eccli.* 36. *Galat.* 5.

LECTIO VI.

DUos enim Christi adventus prædixérunt Prophétæ: unum quidem, qui jam exhibitus est, tamquam despecti & passibilis hóminis, álterum autem, quando cum glóriâ è cœlis unà cum Angélico ipsius exércitu adventúrus prædicátur: quando & córpora exsuscitábit ómnium, quicumque extitérunt, hóminum; ac dignórum quidem córpora índuet incorruptióne, iniquórum autem in perpétuo sensu cum pravis dæmónibus in ignem ætérnum mittet.

℟. Fílius hóminis ventúrus est in glóriâ Patris sui cum Angelis suis; * Et tunc reddet unicuíque secundùm ópera ejus. ℣. Véniet Dóminus Deus meus, omnesque sancti cum eo. * Et tunc. *Matth.* 16. *Zach.* 14.

LECTIO VII.

QUómodo enim hómini crucifixo crederémus eum esse primogénitum ingénito Deo, ac judícium de universo género humáno

factúrum, nisi testimónia de eo, ántequàm homo factus veníret, prædicáta invenirémus: eaque eventu confirmáta viderémus: Judæórum terræ vastitátem, ac eos qui ex omni hóminum gente, illíus Apostolórum doctrínæ credidére, & vétera, in quibus opiniónis erróre versabantur, instítúta aversáti sunt, nimírùm nosmetipsos intuentes, ac plures ex Géntibus, & verióres, quàm ex Judæis & Samaritánis, Christiános esse perspicientes?

℟. Pater omne judícium dedit Fílio; * Ut omnes honoríficent Fílium, sicut honoríficant Patrẽ. ℣. Dóminus dabit impérium Regi suo, & sublimábit cornu Christi sui. * Ut. *Joan.* 5. *I. Reg.* 2.

LECTIO VIII.

QUómodo autem prædictum sit plures ex Géntibus creditúros, quàm ex Judæis & Samaritánis, vaticínium afferémus, quod sic habet: Lætáre, stérilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non párturis: quóniam multò plures sunt fílii desertæ, quàm ejus quæ habet virum. Desertæ namque erant & veri Dei ignáræ, gentes omnes mánuum ópera colentes. Judæi autem & Samaritáni, qui Dei verbum sibi per Prophétas tráditum habébant, & Christum semper exspectáverant, advenientem & præsentẽ non agnovérunt, paucis exceptis, quos salvos fore Spíritus prophéticus per Isaiam prædixit. Locútus autem est velut ex eórũ persónâ: Nisi Dóminus reliquisset nobis semen, quasi Sódoma & Gomorrha facti essémus.

℟. Judicábit in justítiâ páuperes, & árguet in æquitáte pro mansuétis terræ, & percútiet terram virgâ oris sui, * Et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. ℣. Iníquum déstruet Dóminus illustratióne adventûs sui, * Et. ℣. Glória. * Et. *Isai.* 11. *II. Thess.* 2.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Isai.* 63.
Israel suam per Christum liberationem exposcit.

ATtende de cœlo, * & vide de habitáculo sancto tuo, & glóriæ tuæ.

Ubi est zelus tuus, & fortitúdo tua, multitúdo víscerum tuórum & miseratiónum tuárum? * super me continuérunt se.

Tu enim pater noster; * & Abraham nescívit nos, & Israel ignorávit nos.

Tu, Dómine, pater noster, redemptor noster, * à século nomen tuum.

Quare erráre nos fecisti, Dómine, de viis tuis; * indurasti cor nostrum ne timerémus te?

Convértere propter servos tuos, * tribus hæreditátis tuæ.

II. CANTICUM. *Ibid. 64.*
Eadem Israelis vota.

UTinam dirúmperes cœlos, & descénderes! * à fácie tuâ montes deflúerent.

Cùm féceris mirabília, non sustinébimus: * descendisti, & à fácie tuâ montes defluxérunt.

A sǽculo non audiérunt, neque áuribus percepérũt,* óculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectántibus te.

Occurristi lætanti, & facienti justítiam: * in viis tuis recordabuntur tui.

Ecce tu irátus es, & peccávimus: * in ipsis fúimus semper, & salvábimur.

III. CANTICUM. *Eccli. 36.*
Vox Israelis, Dei misericordiam implorantis.

MIserére nostrî, Deus ómnium, & réspice nos; * & ostende nobis lucem miseratiónum tuárum.

Et immitte timórem tuũ super gentes quæ non exquisiérunt te, * ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnália tua.

Alleva manum tuam super gentes aliénas, * ut víddeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conspectu eórum sanctificátus es in nobis, * sic in conspectu nostro magnificáberis in eis;

Ut cognoscant te, * sicut & nos cognóvimus quóniam non est Deus præter te, Dómine.

Innova signa & immúta mirabília: * glorífica manum, & bráchium dextrũ.

Excita furórem, & effunde iram: * tolle adversárium, & afflíge inimícum.

Festína tempus, & memento finis, * ut enarrent mirabília tua.

Congrega omnes tribus Jacob; ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnália tua: * & hæreditábis eos, sicut ab inítio.

Ant. Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum. *Eccli. 36.*

℣. Qui regis Israel, intende; ℟. Qui sedes super Chérubim, manifestáre. *Ps. 79.*

LECTIO IX.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 1.

PAulus, servus Jesu Christi, vocátus Apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod antè promíserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis, de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secundùm carnem, qui prædestinátus est Fílius Dei in virtúte secundùm spíritum sanctificatiónis ex resurrectióne mortuórum

Jesu Christi Dómini nostri: per quem accépimus grátiam & Apostolátum, ad obediendum fidei in ómnibus géntibus pro nómine ejus, in quibus estis & vos vocáti Jesu Christi: ómnibus qui sunt Romæ, diléctis Dei, vocátis sanctis. Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo.

℟. Qui credit in Filium, non judicátur; qui autem non credit, jam judicátus est: * Quia non credit in nómine unigéniti Filii Dei. ℣. Sermo quem locútus sum, ille judicábit eum in novíssimo die. * Quia non. *Joan.* 3. & 12.

Lectio X.

PRimùm quidem grátias ago Deo meo, per Jesum Christum pro ómnibus vobis; quia fides vestra annuntiátur in universo mundo. Testis enim mihi est Deus, cui sérvio in spíritu meo in Evangélio Filii ejus, quòd sine intermissióne memóriam vestrî fácio semper in oratiónibus meis; óbsecrans, si quómodo tandem aliquando prósperum iter hábeam in voluntáte Dei veniendi ad vos. Desídero enim vidére vos, ut áliquid impértiar vobis grátiæ spirituális ad confirmandos vos; id est, simul consolári in vobis, per eam quæ ínvicem est, fidem vestram atque meam. Nolo autem vos ignoráre, fratres, quia sæpè propósui veníre ad vos, & prohíbitus sum usque adhuc, ut áliquem fructum hábeam & in vobis, sicut & in cæteris géntibus. Græcis ac Bárbaris; sapiéntibus & insipiéntibus débitor sum: ita, quod in me, promptum est & vobis, qui Romæ estis, evangelizáre. Non enim erubesco Evangéliũ: virtus enim Dei est in salútem omni credenti, Judæo primùm & Græco. Justítia enim Dei in eo revelátur ex fide in fidem: sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit.

℟. Qui credit in Filium, habet vitam æternã; * Qui autem incrédulus est Filio, non vidébit vitam; sed ira Dei manet super eum. ℣. Justus in fide suâ vivet. * Qui autem. *Joan.* 3. *Habac.* 2.

Lectio XI.

REvelátur enim ira Dei de cœlo, super omnem impietátem & injustítiam hóminum eórum qui veritátem Dei in injustítiâ détinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestávit. Invisibília enim ipsíus, à creatúrâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divínitas: ita ut sint inexcusábiles. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum

glorificavérunt, aut grátias egérunt: sed evanuérunt in cogitatiónibus suis, & obscurátum est insípiens cor eórum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutavérunt glóriã incorruptíbilis Dei, in similitúdinem imáginis corruptíbilis hóminis, & vólucrũ, & quadrúpedum, & serpéntium. Propter quod trádidit illos Deus in desidéria cordis eórum, in immundítiam: qui commutavérunt veritátem Dei in mendácium; & coluérunt, & serviérunt creatúræ pótiùs quàm Creatóri, qui est benedictus in sécula. Amen. Proptérea trádidit illos Deus in passiónes ignomíniæ.

℟. Témpora ignorántiæ despíciens Deus, * Nunc annúntiat homínibus ut omnes ubíque pœniténtiam agant, eo quòd státuit diẽ, in quo judicatúrus est orbem in æquitáte. ℣. In prætéritis generatiónibus dimísit omnes gentes íngredi vias suas. * Nunc. *Act.* 17. *&* 14.

LECTIO XII.

ET sicut non probavérunt Deum habére in notítiâ, trádidit illos Deus in réprobum sensum; ut fáciant ea quæ non convéniunt, replétos omni iniquitáte, malítiâ, fornicatióne, avarítiâ, nequítiâ, plenos invídiâ, homicídio, contentióne, dolo, malignitáte, susurrónes, detractóres, Deo odíbiles, contumeliósos, superbos, elátos, inventóres malórum, paréntibus non obedientes, insipientes, incompósitos, sine affectióne, absque fœdere, sine misericórdiâ. Qui cùm justítiam Dei cognovissent, non intellexérunt, quóniam qui tália agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea fáciunt, sed étiam qui consséntiunt faciéntibus.

℟. Dómine, pater noster es tu, nos verò lutum; & fictor noster tu, & ópera mánuum tuárum omnes nos. * Ne irascáris, Dómine, satìs, & ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ. ℣. Nos omnes aliquando conversáti sumus in desidériis carnis nostræ. * Ne. ℣. Glória. * Ne. *Isai.* 64. *Ephes.* 2.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 21.

DIxit Jesus discípulis suis: Erunt signa in sole, & lunâ, & stellis, & in terris pressûra géntium præ confusióne sónitûs maris, & flúctuum: arescéntibus homínibus præ timóre, & expectatióne, quæ supervénient universo orbi: nam virtútes cœlórum movebuntur: & tunc vidébunt Fílium hóminis veniéntem in nube cum potestáte ma-

gnâ, & majestáte. His autem fieri incipiéntibus, respícite, & leváte cápita vestra: quóniã appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitúdinem; Vidéte ficúlneam, & omnes árbores: cùm prodúcunt jam ex se fructum, scitis quóniam propè est æstas. Ita & vos cùm vidéritis hæc fieri, scitóte quóniam propè est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non prætéribit generátio hæc, donec ómnia fiant. Cœlum & terra transíbunt; verba autem mea non transíbunt. Attėndite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crápulâ & ebrietáte, & curis hujus vitæ: & supervéniat in vos repentína dies illa: tamquam láqueus enim supervéniet in omnes, qui sedent super fáciem omnis terræ. Vigiláte ítaque, omni témpore orantes, ut digni habeámini fúgere ista ómnia, quæ futúra sunt, & stare ante Filium hóminis.

Collecta infrà ad Laudes.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Apoc.* 22.

QUi justus est, justificétur adhuc; & sanctus, sanctificétur adhuc. Ecce vénio citò, & merces mea mecum est, réddere unicuíque secundùm ópera sua.

℟. *br.* Excita poténtiam tuam, & veni, * Ut salvos fácias nos. ℟. Excita. ℣. Deus, converte nos, & ostende fáciem tuam. * Ut salvos. ℣. Glória. ℟. Excita. *Ps.* 79.

Hymnus, Jordánis oras prævia. *ut infrà in Feriis Adventûs*, *pag.* 178.

℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, ℟. Et in servis suis deprecábitur. *Ps.* 134.

Ad Benedictus. *Ant.* Vidébunt Filium hóminis veniéntem in nube cum potestáte magnâ, & majestáte. His autem fieri incipiéntibus, respícite, & leváte cápita vestra: quóniam appropinquat redémptio vestra. *Luc.* 21.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

EXcita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni; † ut ab imminéntibus peccatórum nostrórũ perículis, te mereámur protegente éripi, * te liberante salvári; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sǽcula seculórũ. Amen.

AD HORAS, *Antiphonæ ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1547. *Sess.* 6. *Cap.* 1.

DEclarat sancta Synodus, oportére, ut unusquisque cognoscat &

fateátur, quòd cùm omnes hómines in prævaricatióne Adæ innocéntiam perdidissent, facti immundi, &, ut Apóstolus inquit, natúrâ filii iræ, usque ádeò servi erant peccáti, & sub potestáte diáboli ac mortis, ut non modò gentes per vim natúræ; sed ne Judæi quidem per ipsam étiam litteram legis Móysi, inde liberári aut súrgere possent, tametsi in eis líberum arbítrium mínimè extinctum esset, víribus licet attenuátum & inclinátum. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

AD TERTIAM.

Lectio. *Dan.* 7.

Judícium sedébit, ut auferátur poténtia, & conterátur, & dispéreat usque in finem: † regnum autem, & potestas, & magnitúdo regni, quæ est subter omne cœlum, detur pópulo sanctórum Altíssimi. * Cujus regnum, regnum sempitérnum est; & omnes reges sérvient ei, & obédient.

℣. Surge, Deus, júdica terram: ℟. Quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus. *Ps.* 81.

AD SEXTAM.

Lectio. *Joel.* 2.

Sol convertétur in ténebras, & luna in sánguinem: ántequàm véniat dies Dómini magnus, & horríbilis. † Et erit: omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit; * quia in monte Sion, & in Jerúsalem erit salvátio, sicut dixit Dóminus, & in resíduis quos Dóminus vocáverit.

℣. Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eũ, ℟. Omnibus invocántibus eum in veritáte. *Ps.* 144.

AD NONAM.

Lectio. *Malach.* 4.

Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequàm véniat dies Dómini magnus, & horríbilis: † & convertet cor patrum ad filios, & cor filiórum ad patres eórum: * ne fortè véniam, & percútiam terram anathémate.

℣. Justítia ante eum ambulábit; ℟. Et ponet in viâ gressus suos. *Ps.* 84.

AD VESPERAS.

Antiphonæ.

I. Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, & bráchium ejus dominábitur. *Is.* 40.

II. Ecce merces Dómini cum eo, & opus illíus coram illo. *Ibid.*

III. De Jerúsalem dabit vocem suam Dóminus spes pópuli sui, & fortitúdo filiórum Israel. *Joel*, 3.

℣. Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit; quia in monte Sion erit salvátio. *Joel*, 2.

Lectio. *II. Petr.* 3.

Cum hæc ómnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversatiónibus & pietátibus, † exspectantes & properantes in adventum diéi Dómini, * per quem cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardóre tabescent?

℟. *br.* Tu exsurgens, Dómine, * Miseréberis Sion. ℟. Tu exsurgens. ℣. Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. * Miseréberis. ℣. Glória. ℟. Tu exsurgens. *Ps.* 101.

Hymnus, Statúta decréto Dei. *ut infrà in Feriis Adventûs*, *pag.* 179.

℣. Deus manifestè veniet; Deus noster, & non silébit: ℟. Ignis in conspectu ejus exardescet. *Ps.* 49.

Ad Magníficat. *Ant.* Scitóte quóniam propè est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant. *Luc.* 21.

IN FERIIS ADVENTUS.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Desiderátum cunctis géntibus: *Veníte, adorémus. *Agg.* 2.

HYMNUS. C.

Instantis adventum Dei
Poscámus ardenti prece;
Festísque munus ínclytum
Præoccupémus cánticis.

Æterna Proles, féminæ
Non horret inclúdi sinu:
Fit ipse servus, ut jugo
Nos servitútis éximat.

Mansuétus & clemens venit;
Occurre, festína, Sion:
Ultro tibi quam pórrigit,
Ne dura pacem réspuas.

Mox nube clarâ fulgurans
Mundi redíbit árbiter,
Suíque membra córporis
Cœlo triumphátor vehet.

Fœtus tenebrárum, die
Cedant propinquo, crímina:
Adam reformétur vetus,
Imágo succédat novi.

Prægnantis alvo Vírginis
Verbum Dei recónditum,
Cum Patre, & almo Spíritu
Tibi sit omnis glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiphona, & ℣. *ut in Psalterio.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio. *Osée*, 10.

Semináte vobis in justítiâ, & métite in ore misericórdiæ; innováte vobis novále: tempus autem requiréndi Dóminum, cùm vénerit qui docébit vos justítiam.

℣. Anima nostra sustinet Dóminum; ℟. Quóniam adjútor & protector noster est. *Ps.* 32.

Collecta singulis diebus propria.

AD LAUDES.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Tit.* 2.

SObriè, & justè, & piè, vivámus in hoc sǽculo, exspectantes beátam spem, & adventum glóriæ magni Dei, & Salvatóris nostri Jesu Christi.

℟. *br.* Excita poténtiam tuam, & veni, * Ut salvos fácias nos. ℟. Excita. ℣. Deus, converte nos, & ostende fáciem tuam. * Ut salvos. ℣. Glória. ℟. Excita. *Ps.* 79.

HYMNUS. *C.*

JOrdánis oras prævia
Vox ecce Baptistæ quatit:
Præcónis ad grandes sonos
Ignávus abscédat sopor.

Autóris adventum sui
Tellus, & æther, & mare
Prægestiente séntiunt
Et jam salútant gáudio.

Mundémus & nos péctora:
Deo propinquanti viam
Sternámus, & dignam domum
Tanto parémus hóspiti.

Tu nostra, tu, JESU, salus;
Tu robur & solátium:
Arens ut herba, te sine
Mortále tabescit genus.

Ægris salutárem manum
Extende: prostrátos leva:
Ostende vultum, jam suus
Mundo reflorescet decor.

¶ Qui liberátor ádvenis,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sǽcula.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia dicitur ad omnes Horas per Adventum.*

℣. Adjútor meus & liberátor meus es tu: ℟. Dómine, ne moréris. *Ps.* 69.

Ad Benedictus. *Ant. singulis diebus propria.*

AD HORAS, *Antiphonæ ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

Canon de Feriâ occurrente.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Malach.* 3.

DOminátor quem vos quǽritis, & Angelus testamenti quem vos vultis, ecce venit, dicit Dóminus exercítuum: † & quis póterit cogitáre diem adventûs ejus, * & quis stabit ad vidéndum eum?

℣. Quis dabit ex Sion salutáre Israel? ℟. Cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel. *Ps.* 52.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Genes.* 49.

NOn auferétur sceptrum de Juda, & dux de fémore ejus, † donec véniat qui mittendus est; * & ipse erit exspectátio géntium.

℣. Dómine Deus virtútum, ℟. Beátus homo qui sperat in te. *Ps.* 83.

AD NONAM.

LECTIO. *Dan.* 9.

SEptuaginta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, & super urbem sanctam tuam; † ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempiterna, * & impleátur vísio, & prophetía, & ungátur Sanctus sanctórum.

℣. Descendet sicut plúvia in vellus, ℟. Et sicut stillicídia stillántia super terram. *Ps.* 71.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Habac.* 2.

APparébit in finem, & non mentiétur: † si moram fécerit, exspecta illum; * quia véniens véniet, & non tardábit.

℟. *br.* Tu exsúrgens, Dómine, * Miseréberis Sion. ℟. Tu exsurgens. ℣. Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus, * Miseréberis. ℣. Glória. ℟. Tu exsurgens. *Ps.* 101.

HYMNUS. *C.*

STatúta decréto Dei
Tandem propinquant témpora:
Emptus tot annórum morâ
Affulget è cœlo dies.

Patris nefando crímine
Proles jacébat sáucia:
In mortis umbrâ cónditum
Sedébat humánum genus.

Morti secundæ débitos
Et sempiternis ígnibus
Horrenda justi júdicis
Manébat expectátio.

Heu! quis ruínæ tam gravis
Sarcíre damna; quæ manus
Afferre tam grandi queat
Parem medélam vúlneri?

Tu, Christe, tu solus tuo
Delapsus è throno Deus,
Imágini potes tuæ
Formam decusque réddere.

Roráte, cœli, désuper,
Justumque fœcundo sinu
Complexa tellus, pérdito
Orbi salútem gérminet.

Sit sempiterna laus tibi,
Verbum Patris factum caro,
Cum Patre, & almo Spíritu,
Nunc, & per omne séculū.
Amen.

℣. Adjútor meus, & protector meus tu es: ℟. Deus meus, ne tardáveris. *Ps.* 39.

Ad Magníficat. *Ant. singulis diebus propria.*

FERIA SECUNDA.

Omnia ut supra in Feriis Adventûs, additis quæ sequuntur.

LECTIO I.

Ex Isaiâ Prophétâ. *Cap.* 3.

ECce enim dominátor Dóminus exercítuum áuferet à Jerúsalem & à Juda válidum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: fortem, & virum bellatórem, júdicē, & prophétam, & ariolum, & senem: príncipem super quinquaginta, & honorábilem vultu, & consiliárium, & sapientem de architectis, & prudentem elóquii mystici. Et dabo púeros príncipes eórum, & effeminári dominabuntur eis. Et írruet pópulus, vir ad virum, & unusquisque ad próximum suum: tumultuábitur puer contra senem, & ignóbilis contra nóbilem. ¶ Apprehendet enim vir fratrem suum doméstícum patris sui: Vestiméntum tibi est; princeps esto noster; ruína autem hæc sub manu tuâ. Respondébit in die illâ, dicens: Non sum médicus; & in domo meâ non est panis, neque vestiméntum; nolíte constitúere me príncipem pópuli. Ruit enim Jerúsalem, & Judas cóncidit: quia lingua eórum & adinventiónes eórum contra Dóminum, ut provocárent óculos majestátis ejus.

LECTIO II.

DIcite justo quóniam bene, quóniam fructum adinventiónum suárum cómedet. Væ ímpio in malum: retribútio enim mánuum ejus fiet ei. Pópulum meum exactóres sui spoliavérunt, & mulíeres dominátæ sunt eis. Pópule meus, qui te beátum dicunt, ipsi te decípiunt, & viam gréssuum tuórum díssipant. ¶ Stat ad judicandum Dóminus, & stat ad judicandos pópulos. Dóminus ad judícium véniet cum sénibus pópuli sui, & princípibus ejus: vos enim depasti estis víneam, & rapína páuperis in domo vestrâ. Quare attéritis pópulum meum, & fácies páuperum commólitis? dicit Dóminus Deus exercítuum.

℟. I. Ecce óculi Dómini Dei super regnum peccans, & cónteram illud à fácie terræ: * Verúmtamen cónterens non cónteram domum Jacob. ℣. Dico vobis, quia auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti facienti fructus ejus. * Verúmtamen. *Amos*, 9. *Matth.* 21.

℟. II. Incurvábitur altitúdo virórum: exaltábitur autem Dóminus solus in

de illâ : * Quia dies Dómini exercituum super omnem superbum ; & humiliábitur. ℣. Humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in témpore visitatiónis. * Quia. *Isai.* 2. *I. Petr.* 5.

℟. III. Erit manus mea super prophétas, qui vident vana, & divínant mendácium : * Eo quòd decéperint pópulum meum dicentes : Pax, & non est pax. ℣. Iis judícium jam olim non cessat, & perdítio eórum non dormítat. * Eo quòd. *Ezech.* 13. *II. Petr.* 2.

℟. IV. Fílius hóminis ventúrus est in glóriâ Patris sui cum Angelis suis, * Et † Tunc reddet unicuíque secundùm ópera ejus. ℣. Véniet Dóminus Deus meus, omnesque sancti cum eo. * Et. ℣. Glória. † Tunc. *Matth.* 16. *Zach.* 14.

LECTIO III.

Ex Libro primo de Vocatióne ómnium Géntium. *Inter Opera sancti Leonis Papæ, Edit. Paris. Cap.* 7.

OMnes hómines in primo hómine sine vítio cónditi sumus ; & omnes natúræ nostræ incolumitátem, ejusdem hóminis prævaricatióne perdídimus. Inde tracta mortálitas, inde múltiplex córporis animíque corrúptio ; inde ignorántia & difficultas, curæ inútiles, illícitæ cupiditátes, sacrílegi erróres, timor vanus, amor nóxius, injusta gáudia, pœnitenda consília, & non minor miseriárum multitúdo, quàm críminum. His ergo atque áliis malis in natúram humánam irruéntibus, fide pérditâ, spe relictâ, intelligentiâ obcæcátâ, voluptáte captívâ, nemo in se unde repararétur invénit. Quia etsi fuit qui naturáli intellectu conátus sit vítiis reluctári, hujus tantùm témporis vitam steríliter ornávit ; ad veras autem virtútes æternamque beatitúdinem non profécit. Sine cultu enim Dei, étiam quod virtus vidétur esse, peccátum est ; nec placére ullus Deo sine Deo potest. Qui verò Deo non placet, cui nisi sibi & diábolo placet ?

℟. Ne irascáris, Dómine, satis ; & ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ. * Ecce réspice ; pópulus tuus omnes nos. ℣. Omnes nos quasi oves errávimus ; unusquisque in viam suam declinávit. * Ecce. ℣. Glória. * Ecce. *Isai.* 64. & 53.

Ad Benedictus. *Ant.* Adesse festínant témpora : judicábit Dóminus pópulum suum, & in servis suis miserébitur. *Deut.* 32.

COLLECTA. *Sacr. Moz.*

MOrtífica, quæsumus, Dómine, membra nostra, quæ sunt super terram, ab omni concupiscéntiâ, † ut, cùm tu ipse nostra apparúeris vita, * appareámus & nos tecum transformáti in glóriam sempitérnam: Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 25.

HOc, Deo propitiante, & prædicáre debémus & crédere, quòd per peccátum primi hóminis inclinátum & attenuátum fúerit líberum arbítrium, ut nullus pósteà aut dilígere Deum, sicut opórtuit, aut crédere in Deum, aut operári propter Deum quod bonum est possit, nisi eum grátia misericórdiæ divínæ prævénerit.

Ad Magníficat. *Ant.* Constítuit Deus humiliáre omnem montem excelsum, & rupes perennes, & convalles repléré in æqualitátem terræ; ut ámbulet Israel diligenter in honórem Dei. *Baruch*, 5.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 6.

IN anno quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dóminum sedentem super sólium excelsum & elevátum: & ea quæ sub ipso erant, replébant templum. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri: duábus velábant fáciem ejus, & duábus velábant pedes ejus, & duábus volábant. Et clamábant alter ad álterum, & dicébant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus exercítuum, plena est omnis terra glóriâ ejus. ¶ Et commóta sunt superliminária cárdinum à voce clamantis, & domus repléta est fumo. Et dixi: Væ mihi, quia tácui, quia vir pollútus lábiis ego sum, & in médio pópuli pollúta lábia habentis ego hábito, & Regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis. Et volávit ad me unus de Séraphim, & in manu ejus cálculus, quem fórcipe túlerat de altári. Et tétigit os meum, & dixit: Ecce tétigit hoc lábia tua, & auferétur iníquitas tua, & peccátum tuum mundábitur.

LECTIO II.

ET audívi vocem Dómini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego; mitte me. Et dixit: Vade, & dices pópulo huic: Audíte audientes, & nolíte intellígere: & vidéte visiónem, & nolíte cognóscere. Excæca cor pópuli hujus, & aures ejus ággrava: & ócu-

los ejus claude : ne fortè vídeat óculis suis, & áuribus suis áudiat, & corde suo intélligat, & convertátur, & sanem eum. ¶ Et dixi : Usquequò, Dómine ? Et dixit : Donec desolentur civitátes absque habitatóre, & domus sine hómine, & terra relinquétur deserta. Et longè fáciet Dóminus hómines, & multiplicábitur quæ derelícta fúerat in médio terræ. Et adhuc in eâ decimátio, & convertétur, & erit in ostensiónem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos suos : semen sanctum erit id, quod stéterit in eâ.

℟. I. Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui est, & qui erat, & qui ventúrus est. * Dignus es, Dómine Deus noster accípere glóriam, & honórem, & virtútem, quia tu creasti ómnia. ℣. Sedenti in throno & Agno, benedíctio & honor & glória. * Dignus. *Apoc. 4. & 5.*

℟. II. Nunc dicit Dóminus, formans me ex útero servum sibi, ut redúcam Jacob ad eum, & Israel non congregábitur : * Et glorificátus sum in óculis Dómini, & Deus meus factus est fortitúdo mea. ℣. Misit manum suam, & tétigit os meum, & dixit : Ecce dedi verba mea in ore tuo. * Et. *Isai. 49. Jerem. 1.*

℟. III. Dedit illis Deus spíritum compunctiónis : óculos ut non vídeant, & aures ut non áudiant. * Hæc dixit Isaías, quando vidit glóriam Christi, & locútus est de eo. ℣. Proptérea non póterant crédere, quia dixit Isaías : Excæcávit óculos eórum, & indurávit cor eórum : * Hæc. *Rom. 11. Joan. 12.*

℟. IV. Verbum breviátum fáciet Dóminus super terram : * Sicut prædixit Isaías : Nisi Dóminus sábaoth reliquisset nobis semen, sicut Sódoma facti essémus. ℣. Consummatiónem & abbreviatiónem Dóminus Deus exercítuum fáciet in médio omnis terræ. * Sicut. ℣. Glória. * Sicut. *Rom. 9. Is. 10.*

LECTIO III.

Ex Libro primo de Vocatióne ómnium Géntium. *Inter Opera sancti Leonis Papæ. Edit. Paris. Cap. 6.*

PLenæ sunt páginæ véteris testamenti de Israelíticæ defectiónis relátu : ut apertè appáreat, divínæ semper fuisse grátiæ, quòd non omnis ille pópulus discessit à Dómino. Ita humána natúra in primi hóminis prævaricatióne vitiáta, étiã inter benefícia, inter præcepta & auxília Dei, semper in deterióremest proclívior voluntátem : cui

committi non est áliud quàm dimitti. Hæc ítaque volúntas vaga, incerta, infirma ad efficiendum, fácilis ad audendum, in cupiditátibus cæca, in honóribus túmida, curis ánxia, suspiciónibus inquiéta, glóriæ quàm virtútum avídior, famæ quàm consciéntiæ diligéntior, & per omnem sui experiéntiam misérior fruendo his quæ concupíverit, quàm carendo: nihil in suis habet víribus, nisi perículi facilitátem; quóniam volúntas mutábilis, quæ non ab incommutábili voluntáte régitur, tantò cítiùs propínquat iniquitáti, quantò ácriùs inténditur actióni. Quámdiu ergo hómini ea placent quæ Deo displicent, volúntas ejus animális est. Quia etiamsi in bonis móribus agat, malè adhuc vivit, si non in Dei glóriam vivit.

℟. Vias tuas, Dómine, demónstra mihi, & sémitas tuas édoce me. * Dírige me in veritáte tuâ & doce me, † Quia tu es Deus Salvátor meus. ℣. Ego carnális sum, venúmdatus sub peccáto: quod enim óperor non intélligo. * Dírige. ℣. Glória. † Quia. *Ps.* 24. *Rom.* 7.

Ad Benedíctus. *Ant.* Exaltábitur Dóminus exercítuum in judício, & Deus sanctus sanctificábitur in justítiâ. *Isai.* 5.

Collecta. *Miss. Ambr.*

IPse nos, quæsumus, Dómine, ad ætérnum perdúcat præmium, qui redémit de ténebris inferórum: † justificetque in adventu secundo, * qui nos redémit in primo: Qui tecum vivit & regnat.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Can.* 25.

ABel justo, & Noë, & Abrahæ, & Isaac, & Jacob, & omni antiquórum patrum multitúdini, illam præcláram fidem, quam in ipsórum laude prædicat Apóstolus Paulus, non per bonum natúræ, quod priùs in Adam datum fúerat, sed per grátiam Dei crédimus fuisse collátam.

Ad Magníficat. *Ant.* Judicábit in justítiâ páuperes, & árguet in æquitáte pro mansuétis terræ. *Isai.* 11.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 8.

COngregámini, pópuli, & vincímini, & audíte, univérsæ procul terræ: confortámini & vincímini, accíngite vos & vincímini: iníte consílium, & dissipábitur: loquímini verbum, & non fiet; quia nobíscum Deus. Hæc enim ait Dó-

minus ad me: Sicut in manu forti erudívit me, ne irem in viâ pópuli hujus, dicens: Non dicátis, conjurátio: ómnia enim quæ lóquitur pópulus iste, conjurátio est: & timórem ejus ne timeátis, neque paveátis. ¶ Dóminum exercítuum ipsum sanctificáte: ipse pavor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificatiónem; in lápidem autem offensiónis, & in petram scándali duábus dómibus Israel; in láqueum & in ruínam habitántibus Jerúsalem. Et offendent ex eis plúrimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.

LECTIO II.

Liga testimónium, signa legẽ in discípulis meis. Et exspectábo Dóminum, qui abscondit fáciem suam à domo Jacob, & præstolábor eum. Ecce ego & púeri mei, quos dedit mihi Dóminus in signum, & in portentum Israel à Dómino exercítuum, qui hábitat in monte Sion. ¶ Et cùm díxerint ad vos: Quærite à pythónibus, & à divínis, qui strident in incantatiónibus suis: Numquid non pópulus à Deo suo requíret, pro vivis à mortuis? Ad legem magis, & ad testimónium. Quòd si non díxerint juxta verbum hoc, non erit eis matutína lux. Et transíbit per eam, córruet, & esúriet: & cùm esúrierit, irascétur, & maledícet Regi suo, & Deo suo, & suspíciet sursum. Et ad terram intuébitur, & ecce tribulátio & ténebræ, dissolútio & angústia, & calígo pérsequens, & non póterit avoláre de angústiâ suâ.

℟. I. Timórem eórum ne timuéritis, & * Non conturbémini; Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris. ℣. Omnia quæ lóquitur pópulus iste conjurátio est. * Non. *I. Petr.* 3. *Isai.* 8.

℟. II. Vobis honor credéntibus: * Non credéntibus autem factus est lapis offensiónis, & petra scándali. ℣. Omnis qui credit in eum, non confundétur. * Non. *I. Petr.* 2. *Rom.* 9.

℟. III. Ego ad Dóminum aspíciam, * Exspectábo Deum salvatórem meum. ℣. Salutáre tuum exspectábo, Dómine. * Exspectábo. *Mich.* 7. *Gen.* 49.

℟. IV. Quid est, Israel, quòd in terrâ inimicórum es? Dereliquísti fontem sapiéntiæ. * Nam si in viâ Dei ambulasses, habitasses útique in pace sempiternâ. ℣. Ego Dóminus Deus tuus docens te utília: útinam attendisses mandáta mea. * Nam. ℣. Glória. * Nam. *Baruch*, 3. *Isai.* 48.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Theóphili Epíscopi Antiochéni ad Autólicum. *Inter Opera S. Justini. Edit. Bened. II. sec. n. 3.*

OMnes Philósophi vanæ & inánis glóriæ cúpidi, nec verum ipsi vidérunt, nec álios ad veritátem excitárunt; ex suis enim ipsórum dictis arguuntur, quátenus pugnántia loquúti sunt, ac sua ipsórum decréta plerique dissolvérunt. Neque enim sese invicem solum evertunt, sed jam nonnulli sua ipsórum decréta írrita fecérunt; ita ut eórum glória in ignomíniam & stultítiam eváserit. Nam condemnantur ab homínibus intelligéntiâ præditis. Vel enim de diis loquúti sunt, ac póstea nullum esse Deum docuérunt; vel de mundi orígine, ac postrémò suâ sponte orta esse ómnia docuérunt. Quin étiam de providéntiâ disputantes, rursus mundum nullâ regi providéntiâ decrevérunt. Quid? Annon étiam de morum honestáte scríbere aggressi, flagítia & stupra & adultéria patráre docuérunt, ac detestanda & nefanda scélera induxérunt?

℟. Vani sunt omnes hómines, in quibus non subest sciéntia Dei; * Et † De his quæ videntur bona non potuérunt intellígere eum qui est. ℣. Evanuérunt in cogitatiónibus suis, & obscurátum est insípiens cor eórum. * Et de his. ℣. Glória. † De his. *Sap.* 13. *Rom.* 1.

Ad Benedictus. *Ant.* Præparábitur in misericórdiâ sólium, & sedébit super illud in veritáte in tabernáculo David, júdicans & velóciter reddens quod justum est. *Isai.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Mozar.*

FAc nos, bone Dómine, justè, & sóbriè & piè in hoc século vívere, † ut exspectantes beátam illam spem, & adventum claritátis magnificéntiæ tuæ, * sic per sémitas currámus justítiæ, ut méritò accédere possímus ad æternam hæreditátem: Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Vaurensi. *An.* 1368. *Cap.* 1.

HUmánum genus, ex quo primus homo peccávit, circa sensibília corruptum fuit; quantùm ad cognitiónem, quia circa ista sensibília, humána mens implícita, in Dei cognitiónem súrgere non valébat; item quantùm ad affectiónem, quia eis, quasi summis bonis, Deo postpósito, inhærébat; quantùm ad actiónes, quia

eis inordinatíssimè utebátur.

Ad Magníficat. *Ant.* Incurvábitur sublímitas hóminum, & elevábitur Dóminus solus in die illâ; & idóla pénitùs conterentur. *Isai.* 2.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 10.

ET erit: Cùm impléverit Dóminus cuncta ópera sua in monte Sion, & in Jerúsalem, visitábo super fructum magnífici cordis regis Assur, & super glóriam altitúdinis oculórum ejus. Dixit enim: In fortitúdine manùs meæ feci, & in sapiéntiâ meâ intellexì: & ábstuli términos populórum, & príncipes eórum deprædátus sum, & detraxi quasi potens in sublími residentes. ¶ Numquid gloriábitur secúris contra eum qui secat in eâ? aut exaltábitur serra contra eum, à quo tráhitur? Quómodo si elevétur virga contra elevantem se, & exaltétur báculus, qui útique lignum est. Propter hoc mittet Dominátor Dóminus exercítuum in pínguibus ejus tenuitátem: & subtus glóriam ejus succensa ardébit quasi combústio ignis. Et erit lumen Israel in igne, & Sanctus ejus in flammâ; & succendétur, & devorábitur spina ejus, & vepres in die unâ.

LECTIO II.

ET erit in die illâ: Non adjíciet resíduum Israel, & hi qui fúgerint de domo Jacob, inníti super eo qui pércutit eos: sed innitétur super Dóminum Sanctum Israel in veritáte. Relíquiæ converteentur, relíquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. ¶ Si enim fúerit pópulus tuus, Israel, quasi aréna maris, relíquiæ convertentur ex eo, consummátio abbreviáta inundábit justítiam. Consummatiónem enim & abbreviatiónem Dóminus Deus exercítuum fáciet in médio omnis terræ. Propter hoc, hæc dicit Dóminus Deus exercítuum: Noli timére pópulus meus habitátor Sion, ab Assur: in virgâ percútiet te, & báculum suum levábit super te in viâ Ægypti. Adhuc enim páululum, modicumque, & consummábitur indignátio & furor meus super scelus eórum.

℟. I. Cùm fúreres adversùm me, supérbia tua ascendit in aures meas; * Ponam ergo círculum in náribus tuis, & frenum in lábiis tuis, & redúcam te in viam per quam venisti. ℣. Super quem exaltasti vocem, & levasti altitúdinem oculórum tuórum? ad

Abíetes quoque lætátæ sunt super te, & cedri Líbani: ex quo dormisti, non ascendet qui succídat nos. Infernus subter conturbátus est in occursum adventûs tui, suscitávit tibi gigantes. Omnes príncipes terræ surrexérunt de sóliis suis, omnes príncipes natiónum. Universi respondébunt, & dicent tibi: Et tu vulnerátus es sicut & nos, nostrî símilis effectus es.

℟. I. Fílii, patienter sustinéte iram quæ supervéniet vobis: persecútus est enim te inimícus tuus, sed * Citò vidébis perditiónem ejus. ℣. Nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs. * Citò. *Baruch*, 4. *Joan.* 12.

℟. II. Sede in púlvere, virgo fília Bábylon, quæ dicis: Ego sum, & non est præter me ámpliùs. * Irruet super te calámitas quam non póteris expiáre. ℣. Fidúciam habuisti in malítiâ tuâ. Sapiéntia tua & sciéntia tua decépit te. * Irruet. *Isai.* 47.

℟. III. Cécidit, cécidit Bábylon magna. * Quóniam recordátus est Dóminus iniquitátum ejus. ℣. Quantùm glorificávit se, & in delíciis fuit, tantùm date illi tormentum. * Quóniam. *Apoc.* 18.

℟. IV. Animæquior esto, Jerúsalẽ; exhortátur enim te, qui te nominávit. * Nocentes períbunt, qui te vexavérunt. ℣. Non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum. * Nocentes. ℣. Glória. * Nocentes. *Baruch*, 4. *Ps.* 124.

LECTIO III.

Ex Cohortatióne sancti Justíni Mártyris ad Græcos. *Edit. Bened. n.* 8.

CUm veri nihil ex magistris vestris de Religióne disci possit, ut qui vobis idónea suæ rerum ignoratiónis documenta mútuis dissensiónibus præbúerint, sequi mihi vidétur, ut ad majóres nostros recurrámus, qui & multò antiquióres vestris fuére, nec quidquam próprio marte excogitátum nos docuérunt. Neque enim natúrâ, aut humáni ingénii ácie res tam magnæ ac divínæ cognosci ab homínibus possunt, sed eo, quod tum in sanctos hómines descendébat, dono, quibus quidem nec verbórum artifício opus fuit, nec pugnáciter quidquam & rixandi stúdio dícere, sed puros seipsos divíni Spíritûs operatióni præbére, ut divínum illud delapsum è cœlis plectrum, velut quodam cítharæ aut lyræ instrumento, ita justis homínibus utens, divinárum nobis & cœlestium rerum cognitiónem reclúderet. Proptérea ergo, velut ore uno & linguâ unâ, tum

de

de Deo, & mundi orígine, tum de hóminis creatióne & ánimæ humánæ immortalitáte, ac futúro post hanc vitam judício; tum de ómnibus rebus, quarum nobis necessária cognítio est, summâ & secum ipsis constántiâ, & inter se consensióne nos docuérunt; idque cùm váriis locis & tempóribus divínam nobis doctrínam tráderent.

℟. Non voluntáte humánâ alláta est aliquando prophetía; * Sed † Spíritu sancto inspiráti locúti sunt sancti Dei hómines. ℣. Vani sunt omnes hómines in quibus non subest sciéntia Dei. * Sed. ℣. Glória. † Spíritu. *II. Petr.* 1. *Sap.* 13.

Ad Benedictus. *Ant.* Oriétur vobis timéntibus nomen meum Sol justítiæ, & sánitas in pennis ejus. *Malach.* 4.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

PReces pópuli tui, quæsumus, Dómine, clementer exaudi, † ut qui de adventu Unigéniti tui, secundùm carnem lætantur, * in secundo cùm vénerit in majestáte suâ, præmium ætérnæ vitæ percípiant: Per eumdem Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 21.

JAm hìc erat lex, & non justificábat: jam hìc erat & natúra, & non justificábat. Ideò Christus non gratìs mórtuus est, ut & lex per illum implerétur, qui dixit: Non veni legem sólvere, sed adimplére: & natúra per Adam pérdita per illum repararétur, qui dixit, venisse se quærere & salváre quod períerat.

Ad Magníficat. *Ant.* Cognoscétur manus Dómini servis ejus, & indignábitur inimícis suis. *Isai.* 66.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 14.

QUómodo cecidísti de cœlo, lúcifer, qui mane oriebáris? corruísti in terram, qui vulnerábas gentes? qui dicébas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltábo sólium meum, sedébo in monte testamenti, in latéribus Aquilónis. Ascendam super altitúdinem núbium, símilis ero Altíssimo. ¶ Verúmtamen ad inférnum detrahéris in profundum laci: qui te víderint, ad te inclinabuntur, teque prospícient: Numquid iste est vir, qui conturbávit terram, qui concussit regna, qui pósuit orbem desertum, & urbes ejus destruxit, vinctis ejus non apéruit cárcerem? Omnes reges géntium universi dormiérunt in glóriâ,

vir in domo suâ. Tu autem projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, pollútus, & obvolútus cum his, qui interfecti sunt glá-dio, & descendérunt ad fundamenta laci, quasi ca-dáver pútridum.

LECTIO II.

PErdam Babylónis no-men, & relíquias, & germen, & progéniem, di-cit Dóminus. Et ponam eam in possessiónem erícii, & in palúdes aquárum, & scopábo eam in scopâ te-rens, dicit Dóminus exer-cítuum. ¶ Jurávit Dóminus exercítuum, dicens; Si non, ut putávi, ita erit: & quómodo mente tractá-vi, sic eveniet: Ut cónte-ram Assyrium in terrâ meâ, & in móntibus meis con-culcem eum: & auferétur ab eis jugum ejus, & onus illíus ab húmero eórum tollétur. Hoc consílium, quod cogitávi super om-nem terram, & hæc est manus extenta super uni-versas gentes. Dóminus enim exercítuum decrévit: & quis póterit infirmáre? & manus ejus extenta: & quis avertet eam?

℟. I. Eo quòd elevátum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, cùm sis homo, dabo te in cínerem. Omnes qui víderint te in géntibus, obstupescent su-per te: * Níhili factus es, & non eris in perpétuum. ℣. Dicent tibi: Et tu vulne-rátus es sicut & nos, nostri símilis effectus es. * Níhili. *Ezech.* 28. *Isai.* 14.

℟. II. Detracta est ad ínferos supérbia tua, cón-cidit cadáver tuum. * Sub-ter te sternétur tínea, & operimentum tuum erunt vermes. ℣. Elevátum est cor tuum in decóre tuo; perdidisti sapiéntiam tuam in decóre tuo, in terram projéci te. * Subter. *Is.* 14. *Ezech.* 28.

℟. III. Cécidit cécidit Bábylon magna, quóniam pervenérunt peccáta ejus usque ad cœlum & recor-dátus est Dóminus iniqui-tátum ejus. Judicábit judí-cium vestrum de illâ, * Et ultrà jam non inveniétur. ℣. Nolíte tacére super ini-quitátem ejus, quóniam tempus ultiónis est à Dó-mino, vicissitúdinem ipse retríbuet ei. * Et ultrà. *Apoc.* 18. *Jerem.* 51.

℟. IV. Solve víncula colli tui, captíva fília Sion; *Quia hæc dicit Dóminus: Gratìs venúndati estis, & sine argento redimémini. ℣. Excútere de púlvere, consurge, sede, Jerúsa-lem. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Isai.* 52.

LECTIO III.

Ex Apológiâ secundâ sancti Justíni Martyris. *Edit. Bened. n.* 13.

CUm ego nefárium inte-gumentum à pravis

dæmónibus, ad deterréndos álios hómines, divínæ Christianórum doctrínæ injectum vidérem; & ejusmodi mendaciórum auctóres, & ipsum integumentum, & populárem opiniónem irrísi; neque profiteor laudi dúcere, ac dimicatióne omni conténdere, ut christiánus repériar: non quòd aliéna sint à Christo institúta Platónis, sed quòd non omnínò similia, ut nec étiam aliórum, Stoïcórum vidélicet, poetárum, & historicórum. Ut quisque enim disseminátæ ratiónis divínæ partem áliquam sibi cognátam vidébat, præclárè locútus est. Qui autem secum ipsi in rebus longè gravíssimis pugnárunt, ii nec sciéntiam sublimiórem, nec cognitiónem quæ refelli non possit, assecúti videntur. Quæcumque ígitur apud álios omnes præclárè dicta, ea nostra sunt Christianórum. Natum enim ex ingénito & non enarrábili Deo Verbum secundùm Deum adorámus & amámus; quandoquidem propter nos homo factum est, ut perpessiónum nostrárum párticeps factum, medicínam illis fáceret. Omnes enim scriptóres, per ínsitum ratiónis semen, potuére illi quidem verum vidére, sed subobscúrè. Aliud enim est semen alicújus & imitátio pro víribus concessa; áliud ipsum illud, cujus communicátio & imitátio secundùm ipsíus grátiam concéditur.

℟. Nosse te, Deus, consummáta justítia est; * Et † Scire justítiam & virtútem tuam, radix est immortalitátis. ℣. Hæc est vita ætérna: ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misísti Jesum Christum. * Et. ℣. Glória. † Scire. *Sap.* 15. *Joan.* 17.

Ad Benedictus. *Ant.* Magnificátus est Dóminus, quóniam habitávit in excelso: implévit Sion judício & justítiâ. *Isai.* 33.

COLLECTA. *Miss. Ambr.*

DOna, quæsumus, omnípotens Deus, cunctæ famíliæ tuæ hanc voluntátem, † Christo Fílio tuo Dómino nostro veniénti, in opéribus justis aptè occúrrere; * ut ejus déxteræ sociáti, regnum mereántur possidére cœléste: Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 6. *Can.* 1.

SI quis díxerit, hóminem suis opéribus, quæ vel per humánæ natúræ vires, vel per legis doctrínam fiant, absque divínâ per Jesum Christum grátiâ posse justificári coram Deo, anáthema sit.

AD VESPERAS.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Act.* 3.

MOyses quidem dixit: † Quóniam Prophétam suscitábit vobis Dóminus Deus vester de frátribus vestris, tamquàm me, ipsum audiétis juxta ómnia quæcumque locútus fúerit vobis. * Erit autem: Omnis ánima quæ non audíerit Prophétam illum, exterminábitur de plebe.

℟. *br.* Roráte, cœli, désuper, * Et nubes pluant Justum. ℟. Roráte. ℣. Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. * Et nubes. ℣. Glória. ℟. Roráte. *Isai.* 45.

Hymnus, Statúta decréto Dei. *ut suprà in Feriis Adventûs, pag.* 179.

℣. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; ℟. Quóniam loquétur pacem in plebem suam. *Ps.* 84.

Ad Magníficat. *Ant.* Miserans miserébitur tuî Dóminus; & non fáciet avoláre à te ultrà Doctórem tuum; & erunt óculi tui videntes Præceptórem tuum. *Is.* 30.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 200.

DOMINICA II. *ADVENTUS.*

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dóminus Légifer noster; * Veníte, adorémus. *Isai.* 33.

Hymnus, Instantis adventum Dei. *ut suprà in Feriis Adventûs, pag.* 177.

Antiphonæ, & ℣. I. & II. Nocturni ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 19.

IN die illâ erit altáre Dómini in médio terræ Ægypti, & títulus Dómini juxta términum ejus erit in signum, & in testimónium Dómino exercítuum in terrâ Ægypti. Clamábunt enim ad Dóminum à fácie tribulantis, & mittet eis salvatórem & propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dóminum in die illâ, & colent eum in hóstiis & in munéribus: & vota vovébunt Dómino, & solvent. Et percútiet Dóminus Ægyptum plagâ, & sanábit eam, & revertentur ad Dóminum, & placábitur eis, & sanábit eos.

℟. Adtenuábit Dóminus omnes deos terræ; * Et adorábunt eum viri de loco suo, omnes ínsulæ géntium. ℣. Ingrediétur Dóminus Ægyptum super nubem levem, & commovebuntur simulácra Ægypti à fácie ejus. * Et adorábunt. *Sophon.* 2. *Isai.* 19.

LECTIO II. *Cap. 29.*

OBstupéscite, & admirámini, fluctuáte, & vacilláte: inebriámini, & non à vino: movémini, & non ab ebrietáte. Quóniam míscuit vobis Dóminus spíritum sopóris, claudet óculos vestros, prophétas & príncipes vestros, qui vident visiónes opériet. Et erit vobis vísio ómnium sicut verba libri signáti, quem cum déderint scienti litteras, dicent: Lege istum: & respondébit: Non possũ, signátus est enim. Et dábitur liber nescienti lítteras, dicéturque ei: Lege: & respondébit: Néscio litteras. Et dixit Dóminus: eo quòd appropinquat pópulus iste ore suo, & lábiis suis gloríficat me, cor autem ejus longè est à me, & timuérunt me mandáto hóminum & doctrínis: ídeò ecce ego addam ut admiratiónem fáciam pópulo huic miráculo grandi & stupendo: períbit enim sapiéntia à sapiéntibus ejus, & intellectus prudéntium ejus abscondétur.

℞. Pópulus hic lábiis me honórat, cor autem eórum longè est à me; * Sed venit hora, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte. ℣. In vanum me colunt, docentes doctrínas & præcepta hóminum, relinquentes mandátum Dei. * Sed. *Marc. 7. Joan. 4.*

LECTIO III.

VÆ qui profundi estis corde, ut à Dómino abscondátis consílium: quorum sunt in ténebris ópera, & dicunt: Quis videt nos, & quis novit nos? Perversa est hæc vestra cogitátio: quasi si lutum contra figulum cógitet, & dicat opus factóri suo: Non fecisti me; & figmentum dicat fictóri suo: Non intélligis. Nonne adhuc in módico & in brevi convertétur Líbanus in Charmel, & Charmel in saltum reputábitur? Et áudient in die illâ surdi verba libri, & de ténebris & calígine óculi cæcórum vidébunt. Et addent mites in Dómino lætítiam, & páuperes hómines in Sancto Israel exsultábunt. Quóniam defécit qui prævalébat, consummátus est illúsor, & succísi sunt omnes qui vigilábant super iniquitátem: qui peccáre faciébant hómines in verbo; & arguentem in portâ supplantábant, & declinavérunt frustrà à justo.

℞. Non docébit ultrà vir próximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dóminum: * Omnes enim cognoscent me à mínimo eórum usque ad máximum, ait Dóminus. ℣. Est scriptum in Prophé-

tis : Et erunt omnes docíbiles Dei. * Omnes. *Jerem.* 31. *Joan.* 6,

LECTIO IV.

PRopter hoc, hæc dicit Dóminus ad domum Jacob, qui redémit Abraham : Non modò confundétur Jacob, nec modò vultus ejus erubéscet : sed cùm víderit filios suos, ópera mánuum meárum in médio suî sanctificantes nomen meum, & sanctificábunt Sanctum Jacob, & Deum Israel prædicábunt, & scient errantes spíritu intellectum, & mussitatóres discent legem.

℟. Pópulus est durâ cervíce, & convertétur ad cor suum in terrâ captivitátis suæ, * Et scient † Quia ego sum Dóminus Deus eórum. ℣. Dabo eis cor, & intélligent; aures, & áudient. * Et. ℣. Glória. † Quia. *Baruch*, 2.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Justíni Philósophi & Mártyris ad Diognétum. *Edit. Bened. n.* 9.

USque ad supérius tempus sivit nos Deus pro líbito incertis mótibus agitári, dum à voluptátibus & cupiditátibus transversi raperémur : non quidem quòd ullo modo peccátis nostris gaudéret, sed ea tólerans : neque illud quo injustítia exercebátur tempus ápprobans, sed mentem justítiæ creans: ut cùm eo témpore convicti essémus è própriis opéribus, vitâ esse indígni, nunc Dei benígnitas nos eâ dignarétur : & cùm manifestum fecissémus, non posse ex eo quod in nobis situm est, in regnum Dei íngredi, per poténtiam Dei nobis id posse darétur.

℟. Facti sumus ut immundus omnes nos ; * Et iniquitátes nostræ quasi ventus abstulérunt nos. ℣. Nos omnes aliquandò conversáti sumus in desidériis carnis nostræ. * Et *Isai.* 64. *Ephes.* 2.

LECTIO VI.

CUm autem ad cúmulum malítia nostra pervenisset, & plenè manifestum factum foret, mercédem peccáti esse supplícium, & mors exspectarétur : advenissetque tempus à Deo præstitútum ad suam deinceps benignitátem ac poténtiam declarandam, & quómodo præ immenso quo hómines proséquitur amóre, nos ódio non habúerit, neque rejécerit, neque improbitátis nostræ mémorem se osténderit, sed patienter eam túlerit, ac sustinúerit : ipse peccáta

noſtra ſuſcépit : próprium ipſe Fílium prétium redemptiónis pro nobis dedit, ſanctum pro iis qui legem tranſgreſſi erant ; nihil minùs quàm malum, pro malis, juſtum pro injuſtis, corruptiónis néſcium pro obnóxiis corruptióni, immortálem pro mortálibus.

℟. Erunt óculi tui vidéntes præceptórem tuum; * Et aures tuæ áudient verbum monentis : Hæc eſt via ; ambuláte in eâ. ℣. Prophétam de gente tuâ & de frátribus tuis ſuſcitábit tibi Dóminus Deus tuus. * Et aures. *Iſai.* 30. *Deut.* 18.

LECTIO VII.

QUid enim áliud peccáta noſtra pótuit tégere quàm ejus juſtítia ? In quo álio nos iníqui & ímpii juſtificári póſſumus quàm in ſolo Dei Fílio ? O dulcem permutatiónem! O imperveſtigábile artifícium ! O beneficia exſpectatiónem omnem ſuperántia! ut iníquitas quidem multórùm in juſto uno abſcondátur, juſtítia autem uníus fáciat ut multi injuſti juſtificentur. Cùm ígitur ſuperióri témpore hujus nos rei convicíſſet, non poſſe noſtram natúram vitam cónſequi, nunc autem Salvatórem oſtendíſſet, qui ſerváre poſſet ea étiam quæ ſervári non póterant ; utrimque nos benignitáti ſuæ fidem habére vóluit, ipſum exiſtimáre altórem, parentem, magiſtrum, conſiliárium, médicum, mentem, lucem, honórem, glóriam, robur, vitam.

℟. Prophétam ſuſcitábo eis, & ponam verba mea in ore ejus ; * Loquéturque ad eos ómnia quæ præcépero illi. ℣. Mittam Fílium meùm dilectum. Hic eſt verè Prophéta qui ventúrus eſt in mundum. * Loquéturque. *Deut.* 18. *Luc.* 20. *Joan.* 6.

LECTIO VIII. *n.* 10.

HUjus étiam tu fidei ſi deſidério teneáris, & illam accípias, primùm quidem cognoſces Patrem. Deus enim hómines diléxit, propter quos mundum creávit ; quibus ómnia ſubjécit quæ in mundo ſunt : quos ad imáginem ſuam formávit : ad quos Fílium ſuum unigénitum miſit : quibus cœleſte regnum promíſit, & dabit, quòd ipſum dilèxerint. Poſtquam autem illum cognóveris, quantâ te implétum iri lætítiâ exíſtimas ? aut quantùm díliges eum qui prior te ita diléxerit ? cùm autem dilígere cœperis, imitátor benignitátis ejus eris. Ac ne miréris, poſſe hóminem

esse imitatórem Dei. Potest, eo volente.

℟. Fériam vobíscum pactum sempitérnum, misericórdias David fidéles: * Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. ℣. Géntibus missum est hoc salutáre Dei, & ipsi áudient. *Ecce. ℣. Glória. * Ecce. *Isai.* 55. *Act.* 28.

IN III. NOCTURNO.

Cantica. Ant. & ℣. ut in Dominicâ I. Adventûs, pag. 171.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 2.

INexcusábilis es, ô homo omnis qui júdicas. In quo enim júdicas álterum, teipsum condemnas: éadem enim agis quæ júdicas. Scimus enim quóniam judícium Dei est secundùm veritátem in eos, qui tália agunt. Exístimas autem hoc, ô homo, qui júdicas eos qui tália agunt, & facis ea, quia tu effúgies judícium Dei? An divítias bonitátis ejus, & patiéntiæ, & longanimitátis contemnis? Ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit? Secundùm autem durítiam tuam, & impœnitens cor, thesaurízas tibi iram in die iræ, & revelatiónis justi judícii Dei, qui reddet unicuíque secundùm ópera ejus.

℟. Semináte vobis in justítiâ, & métite in ore misericórdiæ: * Tempus requiréndi Dóminum, cùm vénerit qui docébit vos justítiam. ℣. Remissas manus, & solúta génua erígite, & gressus rectos fácite pédibus vestris. *Tempus. *Osee*, 10. *Hebr.* 12.

LECTIO X.

TRibulátio & angústia in omnem ánimam hóminis operántis malum, Judæi primùm & Græci: glória autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco: non enim est accéptio personárum apud Deum. Quicumque enim sine lege peccavérunt, sine lege períbunt: & quicumque in lege peccavérunt, per legem judicabuntur: non enim auditóres legis justi sunt apud Deum, sed factóres legis justificabuntur. Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturâliter ea, quæ legis sunt, fáciunt, ejúsmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in córdibus suis, testimónium reddente illis consciéntiâ ipsórum, & inter se ínvicem cogitatiónibus accusántibus, aut étiam

defendéntibus, in die, cùm judicábit Deus occulta hóminum, secundùm Evangélium meum per Jesum Christum.

℟. Qui custódit mandátum, custódit ánimam suam: * Qui autem négligit viam suam, mortificábitur. ℣. Qui permánserit in lege, non audítor obliviósus factus, sed factor óperis; hic beátus in facto suo erit. * Qui. *Prov.* 19. *Jac.* 1.

LECTIO XI.

SI autem tu Judæus cognomináris, & requiéscis in lege, & gloriáris in Deo: & nosti voluntátem ejus, & probas utilióra, instructus per legem, confídis teipsum esse ducem cæcórum, lumen eórum qui in ténebris sunt, eruditórem insipiéntium, magistrum infántium, habentem formam sciéntiæ, & veritátis in lege. Qui ergo álium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furáris: qui dicis non mœchandum, mœcháris: qui abomináris idóla, sacrilégium facis: qui in lege gloriáris, per prævaricatiónem legis Deum inhonóras. Nomen enim Dei per vos blasphemátur inter gentes, sicut scriptum est.

℟. Dominatóres pópuli mei iníquè agunt, dicit Dóminus, * Et júgiter totâ die nomen meum blasphemátur. ℣. Dicunt enim & non fáciunt; álligant ónera grávia & importabília; dígito autem suo nolunt ea movére. * Et júgiter. *Isai.* 52. *Matth.* 23.

LECTIO XII.

CIrcumcísio quidem prodest, si legem obsérves: si autem prævaricátor legis sis, circumcísio tua præpútium facta est. Si ígitur præpútium justítias legis custódiat: nonne præpútium illíus in circumcisiónem reputábitur? & judicábit id, quod ex natúrâ est præpútium, legem consummans, te, qui per lítteram & circumcisiónem prævaricátor legis es? Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcísio: sed qui in abscóndito, Judæus est: & circumcísio cordis in spíritu, non litterâ: cujus laus non ex homínibus, sed ex Deo est.

℟. Circumcídet Dóminus Deus tuus cor tuum & cor séminis tui, * Ut díligas Dóminum Deum tuum in toto corde tuo, & in totâ ánimâ tuâ. ℟. Circumcísio nihil est, & præpútium nihil est: sed observátio mandatórum Dei. * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Deut.* 30. *I. Cor.* 7.

EVANGELIUM.
Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthæum.
Cap. 11.

JOannes cum audísset in vínculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiáte Joanni quæ audístis & vidístis. Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundantur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur: & beátus est qui non fúerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus, cœpit Jesus dícere ad turbas de Joanne: Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Sed quid exístis vidére? hóminem móllibus vestítum? Ecce qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt. Sed quid exístis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis, & plusquàm Prophétam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te.

Collecta ut infrà.

AD LAUDES.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Isai.* 35.

COnfortámini, & nolíte timére: ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipse véniet, & salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutórum.

℟. *br.* & *Hymnus, p.* 178.

℣. Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum, ℟. Et humiliábit calumniatórem. *Ps.* 71.

Ad Benedictus. *Ant.* Multos curávit Jesus à languóribus, & plagis, & spirítibus malis; & cæcis multis donávit visum, & dixit: Euntes renuntiáte Joanni quæ audístis & vidístis. *Luc.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

EXcita, Dómine, corda nostra ad præparandas Unigéniti tui vias, † ut per ejus adventum * purificátis tibi méntibus servíre mereámur. Qui tecum vivit & regnat, &c.

AD HORAS, *Antiphona ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529.

Cap. 19.

NAtúra humána, etiamsi in illâ integritáte in quâ & cóndita permanéret, nullo modo seipsam, creatóre suo non adjuvante, serváret. Unde cùm sine Dei grátiâ salútem non possit custodíre quam ac-

cœpit, quómodo sine Dei grátiâ póterit reparáre quod pérdidit?

AD TERTIAM.

LECTIO. *Isai.* 61.

SPíritus Dómini super me, eo quòd únxerit Dóminus me. † Ad annuntiandum mansuétis misit me, * ut medérer contrítis corde, & prædicárem captívis indulgéntiam, & clausis apertiónem.

℣. Díriget mansuétos in judício. ℟. Docébit mites vias suas. *Ps.* 24.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Isai.* 42.

DEdi te in fœdus pópuli, in lucem géntium; † ut aperíres óculos cæcórum, & edúceres de conclusióne vinctum, * de domo cárceris sedentes in ténebris.

℣. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ: ℟. Omnes gentes magnificábunt eum. *Ps.* 71.

AD NONAM.

LECTIO. *Isai.* 50.

QUis ex vobis timens Dóminum, áudiens vocem servi sui? † Qui ambulávit in ténebris, & non est lumen ei, speret in nómine Dómini, * & innitátur super Deum suum.

℣. Dírige me in veritáte tuâ, & doce me; ℟. Quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die. *Ps.* 24.

AD VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. ECce ego mitto Angelum meum; & præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet Dominátor. *Malach.* 3.

II. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis bonum, prædicantis salútem, dicentis Sion: Regnábit Deus tuus! *Isai.* 52.

III. Domus Jacob, veníte, & ambulémus in lúmine Dómini. *Isai.* 2.

IV. Est scriptum in Prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei. *Joan.* 6.

LECTIO. *Isai.* 40.

VOx clamantis in desérto: Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. † Omnis vallis exaltábitur, & omnis mons & collis humiliábitur, & erunt prava in dirécta, & áspera in vias planas; * & revelábitur glória Dómini, & vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est.

℟. *br.* Tu exsurgens. *Hymnus*, Statúta decréto Dei. *ut supra in Feriis Adventûs*, *pag.* 179.

℣. Justítia & judícium præparátio sedis tuæ, Dó-

mine. ℟. Misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam. *Ps.* 88.

Ad Magníficat. *Ant.* Dixit Jesus ad turbas de Joanne: Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. *Matth.* 11.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Isáiâ Prophétâ. *Cap.* 30.

POpulus ad iracúndiam próvocans est, & filii mendáces, filii nolentes audíre legem Dei. Qui dicunt vidéntibus: Nolíte vidére; & adspiciéntibus: Nolíte adspícere nobis ea quæ recta sunt: loquímini nobis placéntia, vidéte nobis erróres. Auferte à me viam, declináte à me sémitam, cesset à fácie nostrâ Sanctus Israel. Proptérea erit vobis iníquitas hæc sicut interrúptio cadens, & requisíta in muro excelso, quóniam súbitò, dum non sperátur, véniet contrítio ejus. ¶ Quia hæc dicit Dóminus Deus Sanctus Israel: Si revertámini & quiescátis, salvi éritis: in siléntio & in spe erit fortitúdo vestra. Et noluistis: & dixistis: Nequáquam, sed ad equos fugiémus: ídeò fugiétis. Et super velóces ascendémus: ídeo velocióres erunt, qui persequentur vos. Mille hómines à fácie terróris uníus: & à fácie terróris quinque fugiétis, donec relinquámini quasi malus navis in vértice montis, & quasi signum super collem. Proptérea exspectat Dóminus ut misereátur vestrî: & ídeò exaltábitur parcens vobis: quia Deus judícii Dóminus: beáti omnes qui exspectant eum.

LECTIO II.

POpulus enim Sion habitábit in Jerúsalem: plorans nequáquam plorábis, míserans miserébitur tuî: ad vocem clamóris tui statim ut audíerit, respondébit tibi. Et dabit vobis Dóminus panem arctum, & aquam brevem: & non fáciet avoláre à te ultrà Doctórem tuum: & erunt óculi tui videntes Præceptórem tuum. Et aures tuæ áudient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambuláte in eâ, & non declinétis neque ad déxteram, neque ad sinistram. Et contaminábis láminas sculptílium argenti tui, & vestimentum conflátilis auri tui. ¶ Et erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem elevátum, rivi curréntium aquárum in die interfectiónis multórum cùm cecíderint turres. Et erit lux

lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptemplíciter ſicut lux ſeptem diérum, in die quâ alligáverit Dóminus vulnus pópuli ſui, & percuſſúram plagæ ejus ſanáverit.

℟. I. Dómine, óculi tui reſpíciunt fidem. Attriviſti eos & renuérunt accípere diſciplínam: * Induravérunt fácies ſuas ſupra petram, & noluérunt reverti. ℣. Incraſſátum eſt cor pópuli hujus, & áuribus gráviter audiérunt, & óculos ſuos clauſérunt; nequando vídeant. * Induravérunt. *Jerem.* 5. *Matth.* 13.

℟. II. Maledictus homo qui confídit in hómine, & ponit carnem bráchium ſuum, & à Dómino recédit cor ejus. * Dómine miſerére noſtrî; te enim exſpectávimus. ℣. Ego ad Dóminum adſpíciam; exſpectábo Deum ſalvatórem meum. * Dómine. *Jerem.* 17. *Iſai.* 33. *Mich.* 7.

℟. III. Miſericórdia mea non recédet à te, & fœdus pacis meæ non movébitur. * Et ponam univerſos fílios tuos doctos à Dómino; & multitúdinem pacis fíliis tuis. ℣. Ego Dóminus Deus tuus docens te utília, gubernans te in viâ quâ ámbulas. * Et. *Iſai.* 54 & 48.

℟. IV. Animæquióres eſtóte fílii, * Sicut enim fuit ſenſus veſter ut erraRétis à Deo: décies tantùm íterum convertentes requirétis eum. ℣. Non répulit Deus plebem ſuam quam præſcívit. * Sicut. ℣. Glória. * Sicut. *Baruch*, 4. *Rom.* 11.

LECTIO III.

Ex Epiſtolâ ſancti Juſtíni Philóſophi & Mártyris ad Diognétum. *Edit. Bened. n.* 7.

NOn terrénum inventum Chriſtiánis tráditum eſt: neque humanórum myſteriórum œconómia illis commiſſa eſt: ſed ipſe verè Deus, qui eſt omnípotens, & ómnium cónditor, ac inviſíbilis, è cœlis veritátem & Verbum ſanctum ac incomprehensíbile inter hómines locávit, & in córdibus eórum firmam habére ſedem vóluit: non, quemádmodū áliquis conjícere poſſit, miſſo homínibus miniſtro áliquo, aut Angelo, aut príncipe: ſed ipſo opífice & Creatóre ómnium, quo cœlos cóndidit, quo mare ſuis términis conclúſit. Hunc ad eos miſit in cleméntiâ, in lenitáte; tamquàm rex mittens fílium regem, miſit; tamquàm Deum miſit, tamquàm ad hómines miſit, tamquàm ſervans miſit. Miſit ut vocans, non pérſequens: miſit ut amans: mittet enim eum condemnatúrum, & quis ejus adventum ſuſtinébit?

℞. Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, * Ut adoptiónem filiórum reciperémus. ℣. Sic Deus diléxit mundum, ut Filium suum unigénitum daret. * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Gal.* 4. *Joan.* 3.

Ad Benedictus. *Ant.* In novíssimo diérum erit mons domûs Dómini præparátus in vértice móntium, & sublímis super colles; & fluent ad eum pópuli. *Mich.* 4.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui nativitátis tuæ exórdium pro nostrâ necessárium salvatióne duxísti: † réspice nos propítius; * & quos símiles ad imáginem tuam fecísti, simílióres observatióne pérfice mandatórum: Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529.

Cap. 15.

AB eo quod formávit Deus, mutátus est Adam: sed in pejus per iniquitátem suam; ab eo quod operáta est iníquitas, mutátur fidélis: sed in mélius per grátiam Dei. Illa ergo mutátio fuit prævaricatóris primi; hæc, secundùm Psalmístam, mutátio est déxteræ Excelsi.

Ad Magníficat. *Ant.* Properábunt gentes multæ, & dicent: Veníte, ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob, & docébit nos de viis suis. *Mich.* 4.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 32.

ECce in justítiâ regnábit rex, & príncipes in judício præérunt. Et erit vir sicut qui abscónditur à vento, & celat se à tempestáte, sicut rivi aquárum in siti, & umbra petræ prominentis in terrâ desertâ. Non caligábunt óculi vidéntium, & aures audiéntium diligenter auscultábunt. Et cor stultórum intélliget sciéntiam, & lingua balbórum velóciter loquétur & planè. ¶ Non vocábitur ultrà is qui insípiens est, princeps: neque fraudulentus appellábitur major: stultus enim fátua loquétur, & cor ejus fáciet iniquitátem, ut perfíciat simulatiónem, & loquátur ad Dóminum fraudulenter, & vácuam fáciat ánimam esurientis, & potum sitienti áuferat. Princeps verò ea quæ digna sunt príncipe, cogitábit, & ipse super duces stabit.

LECTIO II.

SUper humum pópuli mei spinæ & vepres ascendent : quantò magìs super omnes domos gáudii civitátis exsultantis ? Domus enim dimissa est, multitúdo urbis relicta est, ténebræ & palpátio factæ sunt super speluncas usque in ætérnum. Gáudium onagrórum páscua gregum, donec effundátur super nos Spíritus de excelso : & erit desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputábitur. ¶ Et habitábit in solitúdine judícium, & justítia in Charmel sedébit. Et erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secúritas usque in sempitérnum. Et sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opulentâ.

℟. I. Deus ipse véniet, & salvábit vos : tunc aperientur óculi cæcórum, & aures surdórum patébunt : tunc * Sáliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutórum. ℣. Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundantur, surdi áudiunt : * Sáliet. *Isai.* 35. *Matth.* 11.

℟. II. Properábunt gentes multæ, & dicent : Veníte, ascendámus ad montem Dómini, * Et docébit nos de viis suis, & íbimus in sémitis ejus. ℣. Messías venit qui dicitur Christus : cùm vénerit ille, nobis annuntiábit ómnia ; * Et. *Mich.* 4. *Joan.* 4.

℟. III. Sensum tuum, Dómine, quis sciet, * Nisi tu, déderis sapiéntiam, & míseris Spíritum sanctum tuum de Altíssimis. ℣. Ego carnális sum, venúmdatus sub peccáto : quod enim óperor, non intélligo. * Nisi. *Sap.* 9. *Rom.* 7.

℟. IV. Erit fides in tempóribus tuis : * Divítiæ salútis sapiéntia & sciéntia : † Timor Dómini ipse est thesaurus ejus. ℣. Oriétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis. * Divítiæ. ℣. Glória. † Timor. *Isai.* 33. *Ps.* 71.

LECTIO III.

Ex Sermóne tértio sancti Leónis Papæ in Nativitáte Dómini. *Serm.* 22. *Edit. Paris. Cap.* 4.

CEssent illórum queréIæ, qui ímpio múrmure divínis dispensatiónibus obloquentes, de Domínicæ nativitátis tarditáte causantur, tamquàm prætéritis tempóribus non sit impensum, quod in últimâ mundi ætáte est gestum. Verbi incarnátio hoc cóntulit faciénda, quod facta ; & sacraméntum salútis humánæ in nullâ unquam antiquitáte cessávit. Quod

prædicavérunt Apóſtoli, hoc annuntiavérunt Prophétæ; nec ſerò eſt implétum, quod ſemper eſt créditum. Non ítaque novo consílio Deus rebus humánis, nec ſerâ miſeratióne consúluit: ſed à conſtitutióne mundi unam eamdemque ómnibus cauſam ſalútis inſtítuit. Grátia enim Dei, quâ ſemper eſt univérſitas juſtificáta Sanctórum, aucta eſt Chriſto naſcente, non cœpta. Et hoc magnæ pietátis ſacramentum, quo totus jam mundus implétus eſt, tam potens étiam in ſuis ſignificatiónibus fuit, ut non minùs adepti ſint, qui in illud credidêre promiſſum, quàm qui ſuſcepêre donátum.

℟. Prophétæ de futúrâ in vobis grátiâ prophetavérunt; * Quæ nunc nuntiáta ſunt vobis † Per eos qui evangelizavérunt vobis. ℣. Scrutámini Scriptúras: & illæ ſunt quæ teſtimónium pérhibent de me. * Quæ nunc. ℣. Glória. † Per eos. *I. Petr.* 1. *Joan.* 5.

Ad Benedictus. *Ant.* De Sion egrediétur lex, & verbum Dómini de Jerúſalem. *Mich.* 4.

COLLECTA. *Miſſ. Ambr.*

DEus, qui hóminem delapſum in mortem conſpíciens, unigéniti Fílii tui adventu redímere voluiſti; † præſta, quæſumus, ut qui ejus glorióſam incarnatiónem fatentur, * ipsíus étiam Redemptóris conſórtia mereantur: Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Toletáno ſexto. *An.* 538. *Can.* 1.

EX tribus divinitátis perſónis ſolum Fílium fatémur ad redemptiónem humáni géneris, propter culpárum débita, quæ per inobediéntiam Adæ originálitcr, & noſtro líbero arbítrio contraxerámus reſolvenda, à ſecréto Patris arcanóque prodiiſſe; & humanitátem ſine peccáto de ſanctâ ſemper Vírgine Maríâ aſſumpſiſſe, ut idem Fílius Dei Patris, eſſet fílius hóminis.

Ad Magníficat. *Ant.* Flos de radíce Jeſſe aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spíritus Dómini; ſpíritus ſapiéntiæ & intellectûs; ſpíritus consílii & fortitúdinis; ſpíritus ſciéntiæ & pietátis; & replébit eum ſpíritus timóris Dómini. *Iſai.* 11.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Iſaíâ Prophétâ. *Cap.* 33.

DOmine, miſerére noſtri: te enim exſpectávimus: eſto bráchium no-

ſtrum in mane, & ſalus noſtra in témpore tribulatiónis. A voce Angeli fugérunt pópuli, & ab exaltatióne tuâ diſperſæ ſunt gentes. Et congregabuntur ſpólia veſtra ſicut collígitur bruchus, velut cùm foſſæ plenæ fúerint de eo. Magnificátus eſt Dóminus, quóniam habitávit in excelſo: implévit Sion judício & juſtítiâ. Et erit fides in tempóribus tuis: divítiæ ſalútis ſapiéntia & ſciéntia: timor Dómini ipſe eſt theſáurus ejus. ¶ Ecce videntes clamábunt forìs, Angeli pacis amárè flebunt. Diſſipátæ ſunt viæ, ceſſávit tránſiens per ſémitam, írritum factum eſt pactum, projécit civitátes, non reputávit hómines. Luxit & elánguit terra: confúſus eſt Líbanus, & obſórduit, & factus eſt Saron, ſicut deſertum; & concuſſa eſt Baſan & Carmélus.

LECTIO II.

NUnc conſurgam, dicit Dóminus: nunc exaltábor, nunc ſublevábor. Concipiétis ardórem, pariétis ſtípulam: ſpíritus veſter ut ignis vorábit vos. Et erunt pópuli quaſi de incéndio cinis, ſpinæ congregátæ igni comburentur. Audíte qui longè eſtis, quæ fécerim, & cognóſcite vicíni fortitúdinem meam. Contérriti ſunt in Sion peccatóres, poſſédit tremor hypócritas. Quis póterit habitáre de vobis cum igne devorante? quis habitábit ex vobis cum ardóribus ſempiternis. ¶ Qui ámbulat in juſtítiis, & lóquitur veritátem, qui prójicit avarítiam ex calúmniâ, & éxcutit manus ſuas ab omni múnere, qui obtúrat aures ſuas ne áudiat sánguinem, & claudit óculos ſuos ne vídeat malum. Iſte in excelſis habitábit, munimenta ſaxórum ſublímitas ejus: panis ei datus eſt, aquæ ejus fidéles ſunt. Regem in decóre ſuo vidébunt óculi ejus, cernent terram de longè. Cor tuum meditábitur timórem: ubi eſt litterátus? ubi legis verba pónderans? ubi doctor parvulórum? Pópulum impudentem nón vidébis, pópulum alti ſermónis: ita ut non poſſis intellígere diſertitúdinem linguæ ejus, in quo nulla eſt ſapiéntia.

℟. I. Ego ad Dóminum adſpíciam; * Exſpectábo Deum ſalvatórem meum. ℣. Salutáre tuum exſpectábo, Dómine. *Exſpectábo. *Mich.* 7. *Gen.* 49.

℟. II. Judicábit in juſtítiâ páuperes, & árguet in æquitáte pro manſuétis terræ. * Et erit juſtítia cíngulum lumbórum ejus; & fides cinctórium renum ejus. ℣. Oriétur in diébus

ejus justítia, & abundántia pacis: * Et erit. *Isai.* 11. *Ps.* 71.

℟. III. Dómine, exaltétur manus tua, & confundantur zelantes pópuli; * Et ignis hostes tuos dévoret. ℣. Sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei: * Et. *Isai.* 26. *Ps.* 67.

℟. IV. Innocens mánibus & mundo corde: * Qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo; hic accípiet benedictiónem à Dómino. ℣. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus sǽculi. * Qui non. ℣. Glória. * Qui. *Ps.* 23. *I. Cor.* 1.

Lectio III.

Ex Homíliâ sancti Procli Constantinopolitáni Epíscopi, in Incarnatióne Dómini nostri Jesu Christi. *Apud Concil. Ephes. Edit. Labbe, V. Sec. n.* 5. 8. & 9.

HUmána natúra propter peccáta multis obstricta débitis tenebátur; neque quod debébat ullâ ratióne dependere póterat. Per Adámum namque omnes peccáto quasi chirógraphum dederámus, omnesque diábolus in servitútem redégerat, ac nos univérsos ad supplícium condemnationemque deposcébat. Erat ítaque alterútrum duórum necessárium; aut ut omnes condemnáti præcípites abírent in mortem, omnes enim peccáverant, aut certè ut tale redemptiónis prétium darétur, quod ómnibus justítiæ númeris sufficeret ad liberatiónem. Atqui homo, quòd peccáti débito subjacéret, salváre non póterat: Angelus verò, quòd tantum redemptiónis prétium ipsi non suppéteret, humánum genus redímere nequíbat. Supérerat ígitur, ut Deus pro ómnium peccátis moreretur, qui nulli peccáto obnóxius erat: nam única restábat mali solútio. Qui ítaque nos redémit, ô Judæe, non purus est homo; humána enim natúra peccáti servitúte oppressa tenebátur: sed neque tantùm quoque Deus erat humánâ natúrâ destitútus; corpus enim habébat. Homo purus salváre non póterat, Deus solus pati nequíbat. Quid ígitur? Ipse Emmánuel Deus factus est homo; & id quidem quod erat, salvávit; quod vero factum est, passiónes súbiit.

℟. Omnes peccavérunt, & egent glóriâ Dei. Justificáti gratis per grátiam ipsíus, per redemptiónem, quæ est in Christo Jesu, * Quem propósuit Deus propitiatiónem † Per fidem in sánguine ipsíus: ℣. Unus est mediátor Dei & hómi-

num homo Christus Jesus. * Quem. ℣. Glória. † Per fidem. *Rom.* 3. *I. Tim.* 2.

Ad Benedictus. *Ant.* Ducam cæcos in viam quam nésciunt, & in sémitis quas ignoravérunt ambuláre eos fáciam. *Isai.* 42.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

FEstína, ne tardáveris, † Dómine Deus noster, * & à diabólico furóre nos potenter líbera; Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secúndo. *An.* 529. *Cap.* 14.

NUllus miser de quâcumque miſériâ liberátur, nisi qui Dei misericórdiâ prævenítur, sicut dixit Psalmista: Citò antícipet nos misericórdia tua, Dómine: & illud: Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

Ad Magníficat. *Ant.* Dabo eis cor, ut sciant me; quia ego sum Dóminus: & erunt mihi in pópulum, & ego ero eis in Deum. *Jerem.* 24.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 40.

QUis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderávit? Quis appendit tribus dígitis molem terræ, & librávit in póndere montes & colles in statérâ? Quis adjúvit spíritum Dómini? aut quis consiliárius ejus fuit, & ostendit illi? Cum quo íniit consílium, & instruxit eum, & dócuit eum sémitam justítiæ, & erudívit eum sciéntiam, & viam prudéntiæ ostendit illi? ¶ Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum statéræ reputátæ sunt: ecce ínsulæ quasi pulvis exíguus. Et Líbanus non sufficiet ad succendendum, & animália ejus non sufficient ad holocaustum. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi níhilum & ináne reputátæ sunt ei. Cui ergo símilem fecistis Deum? aut quam imáginem ponétis ei?

LECTIO II.

ET cui assimilastis me, & adæquastis, dicit Sanctus? leváte in excelsum óculos vestros, & vidéte quis creávit hæc: qui edúcit in número milítiam eórum, & omnes ex nómine vocat: præ multitúdine fortitúdinis & róboris, virtutisque ejus, neque unum réliquum fuit. Quare dicis Jacob, & lóqueris Israel: Abscóndita est via mea à Dómino, & à Deo meo judícium meum transívit. ¶ Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempitemus Dóminus, qui

creávit términos terræ: non defíciet, neque laborábit, nec est investigátio sapiéntiæ ejus. Qui dat lasso virtútem: & his qui non sunt, fortitúdinem & robur multíplicat. Defícient púeri, & laborábunt, & júvenes in infirmitáte cadent. Qui autem sperant in Dómino, mutábunt fortitúdinem, assúment pennas sicut áquilæ, current, & non laborábunt, ambulábunt & non defícient.

℟. I. Quis hóminum póterit cogitáre quid velit Deus? sensum autem tuũ, Dómine, quis sciet; * Nisi tu déderis sapiéntiam, & quæ tibi placent didícerint hómines. ℣. Animális homo non pércipit ea quæ sunt Spíritûs Dei. * Nisi. *Sap.* 9. *I. Cor.* 2.

℟. II. Deus, qui fecit mundum & ómnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit Dóminus; * Non in manufactis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur índigens áliquo. ℣. Dicit Dóminus: Cœlum sedes mea; terra autem scabellum pedum meórum. * Non. *Act.* 17. *Isai.* 66.

℟. III. Ego primus, & ego novíssimus, * Et absque me non est Deus. ℣. Ego sum Dóminus scrutans cor, & probans renes. * Et. *Isai.* 44. *Jerem.* 17.

℟. IV. Non discédimus à te, Dómine, * Vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus. ℣. Stamus & gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. * Vivificábis. ℣. Glória. * Vivificábis. *Ps.* 79. *Rom.* 5.

LECTIO III.

Ex Apológiâ primâ sancti Justíni Philósophi & Mártyris. *Edit. Bened.* *n.* 32.

MOses, qui primus éxtitit Prophetárum, sic ad verbum scripsit: Non defíciet princeps è Juda, neque dux è fémore ejus, donec véniat cui repósitum est, & ipse erit exspectátio Géntium. Vestrûm est ígitur accuráte inquírere & pernóscere quoadusque Judæis suus fúerit próprius princeps & rex. Nimírum quoad appáruit Jesus Christus magister noster, & laténtium oraculórũ interpres; quemádmodum prædictum est à spíritu prophético per Mosem, non defectúrum è Judæis príncipem, donec veníret ille cui repósitum erat regnum. Judas enim auctor géneris Judæórum éxtitit, à quo étiam ut Judæi vocarentur habuérunt: & postquàm ille pródiit, vos Judæis imperastis, & omnem eórum terram ditióni vestræ adjecistis.

℟. Non auferétur scep-

trum de Juda, & dux de fémore ejus, donec véniat qui mittendus est: * Et † Ipse erit exspectátio géntium. ℣. Et tu, Béthlehem, terra Juda, nequáquàm mínima, es in princípibus Juda: Ex te enim exiet dux qui regat pópulum meum Israel. * Et ipse. ℣. Glória. † Ipse. *Gen.* 49. *Matth.* 2.

Ad Benedíctus. *Ant.* Hæc dicit Dóminus exercítuum: Reversus sum ad Sion, & habitábo in médio Jerúsalem; & vocábitur Cívitas veritátis. *Zach.* 8.

COLLECTA. *Miss. Ambr.*

ASpice de cœlo, Dómine, † & veni, & multíplica fidem pópuli tui; * ut per te consequátur augmentum, per quem sumpsit inítium: Qui vivis.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Concílii Alexandríni. *An.* 362.

PRofitémur non eâ ratióne quâ ad prophétas factum est Verbum Dómini, factum esse Verbum, & advenisse in Christum sub finem seculórum: sed ipsum Verbum carnem esse factum, & cùm esset in formâ Dei, formam servi assumpsisse; & ex Maríâ, quantùm ad carnem áttinet, hóminem esse génitum, hóminum grátiâ.

Ad Magníficat. *Ant.* Replébitur terra, ut cognoscant glóriam Dómini, quasi aquæ operientes mare. *Habac.* 2.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 41.

ET tu, Israel serve meus, Jacob quem elégi, semen Abraham amíci mei: in quo apprehendi te ab extrémis terræ, & à longinquis ejus vocávi te, & dixi tibi: Servus meus es tu, elégi te & non abjéci te. Ne tímeas, quia ego tecum sum: ne declínes, quia ego Deus tuus: confortávi te, & auxiliátus sum tibi, & suscépit te déxtera justi mei. ¶ Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant adversùm te; erunt quasi non sint, & períbunt viri, qui contradícunt tibi. Quæres eos, & non invénies, viros rebelles tuos: erunt quasi non sint; & véluti consúmptio, hómines bellantes adversùm te. Quia ego Dóminus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi; Ne tímeas, ego adjúvi te.

LECTIO II.

PRopè fácite judícium vestrum, dicit Dóminus: afferte, si quid fortè habétis, dixit rex Jacob.

Accédant, & núntient nobis quæcumque ventúra sunt: prióra quæ fuérunt nuntiáte: & ponémus cor nostrum, & sciémus novíssima eórum. Annuntiáte quæ ventúra sunt in futúrum, & sciémus quia dii estis vos. Bene quoque aut malè; si potestis, fácite: & loquámur, & videámus simul. Ecce, vos estis ex níhilo, & opus vestrum ex eo, quod non est: abominátio est qui elégit vos. ¶ Suscitávi ab Aquilóne, & véniet ab Ortu solis: vocábit nomen meum, & addúcet magistrátus quasi lutum, & velut plastes conculcans humum. Quis annuntiávit ab exórdio ut sciámus, & à princípio ut dicámus: Justus es? non est neque annúntians, neque prædícens, neque áudiens sermónes vestros. Primus ad Sion dícet: Ecce adsunt, & Jerúsalem evangelistam dabo.

℞. I. Ego Dóminus Deus tuus ex terrâ Ægypti; & deum absque me néscies: * Et salvátor non est præter me. ℣. Non est in álio áliquo salus. * Et *Osee* 13. *Act.* 4.

℞. II. Misericórdia mea non recédet à te, * Et fœdus pacis meæ non movébitur, dixit miserátor tuus Dóminus. ℣. Sine pœniténtiâ sunt dona & vocátio Dei. * Et fœdus. *Isai.* 54. *Rom.* 11.

℞. III. Ego sum Deus, & non est ultrà Deus, nec est símilis meî: annúntians ab exórdio novíssimum, dicens: * Consílium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. ℣. Scriptum est: Véniet ex Sion, qui erípiat & avertat impietátem à Jacob. * Consílium. *Isai.* 46. *Rom.* 11.

℞. IV. Revertétur, & miserébitur nostrî Deus noster: * Depónet iniquitátes nostras, & projíciet in profundum maris ómnia peccáta nostra. ℣. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. * Depónet. ℣. Glória. * Depónet. *Mich.* 7. *Act.* 10.

LECTIO III.

Ex Diálogo sancti Justíni Mártyris cum Tryphóne Judæo. *Edit. Bened. n.* 84.

ILlud: Ecce Virgo in útero concípiet & páriet fílium, in Christum prædictum fúerat. Nam si ille, de quo loquebátur Isáias, non erat ex vírgine nascitúrus; quis tandem ille est, de quo Spíritus sanctus clamábat: Ecce Dóminus ipse nobis dabit signum: Ecce Virgo

In útero concípiet & páriet fílium? Nam si hic quoque, perinde ac álii omnes primogéniti, ex concúbitu oritúrus erat, cur Deus ipse signum, quod mínimè ómnibus primogénitis commúne esset, datúrum se dicébat? Sed quod verè signum est, quodque certum humáno géneri futúrum erat, nempe ex virgináli útero Primogénitum ómnium rerum conditárum, carnem factum, verè púerum nasci, id præóccupans per Spíritum sanctum áliis atque áliis modis, prænuntiávit, ut cùm factum esset, potestáte & voluntáte Creatóris universórum factum esse agnosceretur. Vos autem in his quoque interpretatiónes, quas senióres vestri edidére pervértere audétis, Scriptúram asserentes non habére, ut illi exposuérunt, sed: Ecce adolescéntula in útero habébit. Quasi verò res magnæ significarentur, si múlier ex concúbitu paritúra esset; quod junióres omnes mulíeres fáciunt, exceptis sterílibus; quamquam ut istæ étiam páriant potest Deus efficere, si velit.

℞. Inventa est María in útero habens de Spíritu sancto: * Hoc autem factum est, ut adimplerétur quod dictum est: Ecce Virgo in útero habébit, & páriet fílium. ℣. Quod in eâ natum est de Spíritu sancto est. * Hoc. ℣. Glória. * Hoc. *Matth.* 1.

Ad Benedictus. *Ant.* In doctrínis glorificáte Dóminum; in ínsulis maris nomen Dómini Dei Israel. *Isai.* 24.

Collecta. *Sacr. Moz.*

Deus, qui alligáre ventúrus es vulnus pópuli tui, † percussúram plagæ nostræ sanatúrus adesto: * ut quidquid in nobis est vitiósum, vel lúbricum, divinitátis tuæ luce illúmines. Qui vivis.

Canon.

Ex Epistolâ septimâ Gelásii Papæ contrà Pelágium. *Ad omnes Episcopos in Picæno. An.* 493.

Dominus noster Jesus Christus solus útique venit quærere & salváre quod períerat, ut libertas quæ per temerariam fúerat dejecta supérbiam, instaurarétur reparáta per grátiam: mutuáque vice, humánæ voluntátis arbítrium, sicut sequendo diábolum, captivitátem merúerat sempiternam, sic reformátæ subsequendo libertátis autórem, amissum redíret ad præmium.

Ad Magníficat. *Ant.* Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; & dicétis in die illâ: Confi-

témini Dómino, & invocáte nomen ejus. *Isai.* 12.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Isáia Prophéta. *Cap.* 43.

VOs testes mei, dicit Dóminus, & servus meus quem elégi: ut sciátis & credátis mihi, & intelligátis, quia ego ipse sum. Ante me non est formátus Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum Dóminus, & non est absque me salvátor. Ego annuntiávi, & salvávi: audítum feci, & non fuit in vobis aliénus: vos testes mei, dicit Dóminus, & ego Deus. Et ab inítio ego ipse, & non est qui de manu meâ éruat: operábor, & quis avertet illud? ¶ Hæc dicit Dóminus Redemptor vester Sanctus Israel: Propter vos misi in Babylónem, & detraxi vectes universos, & Chaldæos in návibus suis gloriantes. Ego Dóminus Sanctus vester, creans Israel Rex vester. Hæc dicit Dóminus, qui dedit in mari viam, & in aquis torréntibus sémitam. Qui eduxit quadrígam & equum, agmen & robustum: simul obdormiérunt, nec resurgent: contríti sunt quasi linum, & extíncti sunt.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

NE meminéritis prióum, & antíqua ne intueámini. Ecce ego fácio nova, & nunc oriéntur, útique cognoscétis ea: ponam in deserto viam, & in ínvio flúmina. Glorificábit me béstia agri, dracónes & struthiónes: quia dedi in deserto aquas, flúmina in ínvio, ut darem potum pópulo meo, electo meo. Pópulum istum formávi mihi, laudem meam narrábit. ¶ Non me invocasti, Jacob, nec laborasti in me Israel. Non obtulisti mihi aríetem holocausti tui, & víctimis tuis non glorificasti me: non te servíre feci in oblatióne, nec labórem tibi præbui in thure. Non emisti mihi argento cálamum, & ádipe victimárum tuárum non inebriasti me. Verúmtamen servíre me fecisti in peccátis tuis, præbuisti mihi labórem in iniquitátibus tuis. Ego sum, ego sum ipse qui déleo iniquitátes tuas propter me, & peccatórum tuórum non recordábor.

LECTIO III.

Ex Diálogo sancti Justíni Mártyris cum Tryphóne Judæo. *Edit. Ben. n.* 87.

CUm Scriptúra per Isáiam dicat: Egredíetur virga de radíce Jesse,

&

℟. flos ascendet de radíce Jesse, & requiescet super eum Spíritus Dei, spíritus sapiéntiæ & intellectûs, spíritus consílii & fortitúdinis, spíritus sciéntiæ & pietátis, & replébit eum spíritus timóris Dómini. Has spíritûs virtútes, quæ suprà enumerátæ sunt, non ídeò Scriptúra in eum delapsas dicit, quòd illis indigéret, sed quòd in eo requietúræ essent, id est, finem in eo habitúræ, ita ut nulli deinceps in vestro génere prophétæ véteri more exstárent: quod vobis licet vel ipsis óculis cérnere. Post eum enim nullus apud vos éxstitit Prophéta. Requiévit ígitur, id est, désiit spíritus, postquàm ille advénit, cujus susceptæ inter hómines dispensatiónis tempóribus finem apud vos habére oportébat, & in eo requiescéntia, rursùs ut prædictum fúerat, effundi dona illa, quæ ex grátiâ virtútis spíritûs sui largítur his, qui in ipsum credunt, prout quemque dignum júdicat.

℟. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascendet, * Et † Requiescet super eum Spíritus Dómini. ℣. Vidit Jesus cœlos apertos, & Spíritum tamquàm columbam descendentem, & manentem in ipso. * Et. ℣. Glória. † Requiescet. *Isai.* 11. *Marc.* 1.

Ad Benedictus. *Ant.* Omnes pópuli ambulábunt unusquisque in nómine Dei sui; nos autem ambulábimus in nómine Dómini Dei nostri in ætern num & ultrà. *Mich.* 4.

COLLECTA. *Sacr. Gel.*

FEstinantes, omnípotens Deus, in occursum Fílii tui Dómini nostri, † nulla impédiant ópera actûs terréni: * sed cœléstis sapiéntiæ erudítio fáciat nos ejus esse consortes: Qui tecum.

CANON.

Ex Epístolâ Concílii primi, Constantinopolitáni ad Damásum Papam. *An.* 373.

NOs doctrínam Domínicæ incarnatiónis íntegram & perfectam tenémus; neque dispensatiónem carnis Christi, vel ánimæ, vel mentis expertem, vel imperfectam, esse asserimus: sed agnóscimus Verbum Dei ante sécula omnínò perfectum, & perfectum hóminem in novíssimis diébus pro nostrâ salúte factum esse.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Dan.* 2.

SUscitábit Deus cœli regnum, quod in ætérnum non dissipábitur, † &

regnum ejus álteri pópulo non tradétur : * comminuet autem & consúmet univérsa regna hæc ; & ipsum stabit in ætérnum.

℟. *br.* Roráte, cœli, désuper. * Et nubes pluant Justum. ℟. Roráte. ℣. Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. * Et. ℣. Glória. ℟. Roráte. *Isai.* 45.

Hymnus, Statúta decréto Dei. *ut suprà in Feriis Adventûs, pag.* 179.

℣. Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, ℟. Qui mandas salútes Jacob. *Ps.* 43.

Ad Magníficat. *Ant.* Exalta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem : exalta, noli timére. Dic civitátibus Juda : Ecce Deus vester. *Isai.* 40.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 222.

DOMINICA III. *ADVENTUS.*

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Venite. *Ant.* Dóminus Rex noster : * Veníte, adorémus. *Isai.* 33.

Hymnus, Instantis adventum Dei. *ut suprà in Feriis Adventûs, pag.* 177.

Antiphonæ & ℣. I. & II. Nocturni, ut in Psaltério.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 44.

ET nunc audi, Jacob serve meus, & Israel quem elégi. Hæc dicit Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus : noli timére, serve meus Jacob, & rectíssime, quem elégi. Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super áridam : effundam spíritum meum super semen tuum, & benedictiónem meam super stirpem tuam. Et germinábunt inter herbas quasi salices juxta præterfluentes aquas. Iste dicet : Dómini ego sum : & ille vocábit in nómine Jacob : & hic scribet manu suâ, Dómino : & in nómine Israel assimilábitur. Hæc dicit Dóminus Rex Israel, & Redemptor ejus Dóminus exercítuum : Ego primus, & ego novíssimus, & absque me non est Deus.

℟. Quare mœróre contráheris, fília Sion? numquid Rex non est tibi, aut consiliárius tuus périit : * Liberáberis ; rédimet te Dóminus de manu inimicórum tuórum. ℣. Venit Fílius hóminis quærere & salvum fácere quod períerat. * Liberáberis. *Mich.* 4. *Luc.* 19.

LECTIO II.

HÆc dicit Dóminus redemptor tuus & formátor tuus ex útero: Ego sum Dóminus, fáciens ómnia, extendens cœlos solus, stabíliens terram, & nullus mecum. Irrita fáciens signa divinórum, & aríolos in furórem vertens; convertens sapientes retrorsùm: & sciéntiam eórum stultam fáciens. Súscitans verbum servi sui, & consílium nuntiórum suórum complens. Qui dico Jerúsalem: Habitáberis; & civitátibus Juda: Ædificabímini, & deserta ejus suscitábo. Qui dico profundo: Desoláre, & flúmina tua arefáciam. Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntátem meam complébis. Qui dico Jerúsalem: Ædificáberis; & templo: Fundáberis.

℟. Est Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: * Ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris. ℣. Dabis, Deus, veritátem Jacob, misericórdiam Abraham: quæ jurasti pátribus nostris à diébus antíquis. * Ut. *Rom.* 3. *Mich.* 7.

LECTIO III. *Cap.* 45.

HÆc dicit Dóminus Christo meo Cyro, cujus apprehendi déxteram, ut subjíciam ante fáciem ejus gentes, & dorsa regum vertam, & apériam coram eo jánuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorióssos terræ humiliábo: portas æreas cónteram, & vectes férreos confringam. Et dabo tibi thesauros abscónditos, & arcána secretórum: ut scias quia ego Dóminus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. Propter servum meum Jacob, & Israel electum meum, & vocávi te nómine tuo: assimilávi te, & non cognovisti me.

℟. Stabit Dominátor in Israel, & pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui; * Et magnificábitur usque ad términos terræ. ℣. Exiet Dux qui regat pópulum meum Israel. * Et. *Mich.* 5. *Matth.* 2.

LECTIO IV.

EGo Dóminus; & non est ámpliùs: extra me non est Deus: accinxi te, & non cognovisti me: ut sciant hi qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quóniam absque me non est. Ego Dóminus, & non est alter, formans lucem, & creans ténebras; fáciens pacem, & creans malum: ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte, cœli,

désuper, & nubes pluant justum: aperiátur terra, & gérminet Salvatórem; & justítia oriátur simul: ego Dóminus creávi eum. Væ qui contradícit fictóri suo, testa de sámiis terræ: numquid dicet lutum fígulo suo: Quid facis? & opus tuum absque mánibus est.

℟. Sion, non dissolvantur manus tuæ: * Dóminus Deus tuus in médio tuî fortis, ipse salvábit: ℣. Misit Deus filium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. * Dóminus. ℣. Glória. * Dóminus. *Soph. 3. I. Joan. 4.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris, de idolórum Vanitáte. *Edit. Baluz.*

QUòd Christus sit, & quómodo per ipsum nobis salus vénerit, sic est ordo, sic rátio: Judæis primùm erat apud Deum grátia. Sic olim justi erant, sic majóres eórum religiónibus obediébant. Inde illis & regni sublímitas flóruit, & géneris magnitúdo provénit. Sed illi negligentes & indisciplináti, & superbi póstmodum facti, & fidúciâ patrum infláti; dum divína præcepta contemnunt, datam sibi grátiam perdidérunt. Quàm verò fúerit illis profána vita, quæ contracta sit violátæ religiónis offensa, ipsi quoque testantur; qui etsi voce tacent, éxitu confitentur. Dispersi & palabundi vagantur, soli & cœli sui prófugi per hospítia aliéna jactantur.

℟. Ecce óculi Dómini Dei super regnum peccans, & cónteram illud à fácie terræ; * Verùmtamen cónterens non cónteram domum Jacob. ℣. Dico vobis: Quia auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti facienti fructus ejus. * Verùmtamen. *Amos, 9. Matth. 21.*

LECTIO VI.

NEc non Deus antè prædíxerat fore, ut vergente sǽculo, & mundi fine jam próximo, ex omni gente, & pópulo, & loco cultóres sibi adlégeret Deus multò fideliores & melióris obséquii; qui indulgéntiam de divínis munéribus hauríren, quam acceptam Judæi contemptis religiónibus perdidissent.

℟. Miserébor ejus quæ fuit absque misericórdiâ, * Et dicam non pópulo meo. Pópulus meus es tu; & ipse dicet: Deus meus es tu. ℣. Vénient ab Oriente, & Occidente, & Aquilóne, & Austro. * Et. *Osee, 2. Luc. 13.*

LECTIO VII.

Jjus ígitur indulgén-
tiæ, grátiæ, discipli-
e árbiter & magister,
o & Fílius Dei mítti-
qui per Prophétas om-
etrò illuminátor &
r humáni géneris
cabátur. Hic est vir-
ei, hic rátio, hic sa-
a ejus & glória. Hic
rginem illábitur: car-
Spíritu sancto coope-
indúitur, Deus cum
ine miscétur. Hic
noster, hic Christus
qui mediátor duó-
, hóminem índuit,
perdúcat ad Patrem.

Fecit Dóminus re-
tiónem plebis suæ,
ut locútus est per os
órum qui à século
Prophetárum ejus.
isit fílium suum sal-
em mundi. * Sicut.
I. *I. Joan.* 4.

ECTIO VIII.

Iod homo est, esse
Christus vóluit, ut
mo possit esse quod
tus est. Sciébant &
Christum esse ven-
; nam hic illis sem-
rophétis admonénti-
nnuntiabátur. Sed si-
áto dúplici ejus ad-
: uno qui exercítio
emplo hóminis fun-
r, áltero qui Deum
tur: non intelligendo
m adventum, qui in
ne præcessit occultus; unum tantùm credunt, qui erit in potestáte manifestus. Quòd autem hoc Judæórum pópulus intellígere non pótuit, delictórum méritum fuit. Sic erant sapiéntiæ & intelligéntiæ cæcitáte mulctáti, ut qui vitâ indigni essent, habérent vitam ante óculos, nec vidérent.

℟. Dies multos sedébunt filii Israel sine rege, & sine príncipe, & sine sacrifício: & * Post hæc † Reverten-tur, & quærent Dóminum Deum suum, & David regem suum; & pavébunt ad Dóminum, & ad bonum ejus, in novíssimo diérum. ℣. Numquid sic offendérunt ut cáderent? Absit. Sed illórum delicto, salus est géntibus ut illos æmulentur. * Post hæc. ℣. Glória. † Revertentur. *Osee*, 3. *Rom.* 11.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Dominicâ I. Adventûs, pag. 171.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.
Cap. 3.

QUid ámpliùs Judæo est? aut quæ utílitas circumcisiónis? multum per omnem modum. Primùm quidem, quia crédita sunt illis elóquia Dei. Quid enim si quidam illórum

non credidérunt? Numquid incredúlitas illórum fidem Dei evacuábit? Absit. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Ut justificéris in sermónibus tuis; & vincas cum judicáris. Si autem iníquitas nostra justítiam Dei commendat, quid dicémus? Numquid iníquus est Deus, qui infert iram? (secundùm hóminem dico.) Absit. Alióquin quómodo judicábit Deus hunc mundum? Si enim véritas Dei in meo mendácio abundávit in glóriam ipsíus: quid adhuc & ego tamquam peccátor júdicor? & non (sicut blasphemámur, & sicut áiunt quidam nos dícere) faciámus mala ut véniant bona: quorum damnátio justa est.

℟. Sunt Israelítæ, quorum adóptio est filiórum, & glória, & testamentum, & legislátio, & obséquium, & promissa; * Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem. ℣. Beátus es tu, Israel: quis símilis tuî, pópule, qui salváris in Dómino? * Quorum. *Rom.* 9. *Deut.* 33.

LECTIO X.

QUid ergo? præcéllimus eos? Nequáquam. Causáti enim sumus Judæos, & Græcos omnes sub peccáto esse, sicut scriptum est: Quia non est justus quisquam: non est intélligens, non est requírens Deum. Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt, non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum. Scimus autem quóniam quæcumque lex lóquitur, iis qui in lege sunt, lóquitur: ut omne os obstruátur, & súbditus fiat omnis mundus Deo: quia ex opéribus legis non justificábitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognítio peccáti.

℟. Dóminus de cœlo prospexit super filios hóminum, ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum. * Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum. ℣. Omnes peccavérunt, & egent glóriâ Dei. * Omnes. *Ps.* 13. *Rom.* 3.

LECTIO XI.

NUnc autem sine lege justítia Dei manifestáta est: testificáta à lege & Prophétis. Justítia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum: non enim est distínctio: omnes enim peccavérunt, & egent glóriâ Dei. Justificáti gratìs per grátiam ipsíus, per redemptiônem, quæ est in Christo Jesu,

quem propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus, ad ostensiónem justítiæ suæ, propter remissiónem præcedéntium delictórum, in sustentatióne Dei, ad ostensiónem justítiæ ejus in hoc témpore: ut sit ipse justus, & justíficans eum, qui est ex fide Jesu Christi.

℟. Per Christum vobis remíssio peccatórum annuntiátur, & ab ómnibus quibus non potuistis in lege Móysi justificári. * In hoc omnis qui credit justificátur. ℣. Per grátiam Dómini Jesu Christi crédimus salvári. * In hoc. *Act.* 13 *&* 15.

LECTIO XII.

UBi est ergo gloriátio tua? Exclúsa est. Per quam legem? Factórum? Non: sed per legem fidei. Arbitrámur enim justificári hóminem per fidem sine opéribus legis. An Judæórum Deus tantùm? nonne & Géntium? Immò & Géntium. Quóniam quidem unus est Deus, qui justíficat circumcisiónem ex fide, & præpútium per fidem. Legem ergo destrúimus per fidem? Absit: sed legem statúimus.

℟. Si data esset lex, quæ posset vivificáre, verè ex lege esset justítia. Sed conclúsit Scriptúra ómnia sub peccáto, * Ut promíssio ex fide Jesu Christi darétur credéntibus. ℣. Christum propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus. * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Galat.* 3. *Rom.* 3.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 1.

MIsérunt Judæi ab Jerosólymis Sacerdótes & Levítas ad Joannem; ut interrogárent eum: Tu quis es? Et conféssus est: & non negávit: & conféssus est: Quia non sum ego Christus. Et interrogavérunt eum: Quid ergo? Elías es tu? Et dixit: Non sum. Prophéta es tu? Et respóndit: Non. Dixérunt ergo ei: Quis es ut respónsum demus his, qui misérunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamantis in desérto: Dirígite viam Dómini, sicut dixit Isaías Prophéta. Et qui missi fúerant, erant ex Pharisæis. Et interrogavérunt eum, & dixérunt ei: Quid ergo baptízas, si tu non es Christus, neque Elías, neque Prophéta? Respóndit eis Joannes, dicens: Ego baptízo in aquâ: médius autem vestrûm stetit, quem vos nescítis. Ipse est, qui post me ventúrus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus ut

solvam ejus corrígiam calceamenti. Hæc in Bethániâ facta sunt trans Jordánem, ubi erat Joannes baptízans.

Collecta ut infrà.

AD LAUDES.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Jerem.* 33.

HÆc dicit Dóminus: Si írritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in témpore suo; & pactum meum írritum esse póterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus.

℟. *br.* Excita. & *Hymnus*, Jordánis oras prævia. *ut in Feriis Adventûs, pag.* 178.

℣. Suscípiant montes pacem pópulo, ℟. Et colles justítiam. *Ps.* 71.

Ad Benedictus. *Ant.* Vox clamantis in deserto: Paráte viam Dómini; rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. *Isai.* 40.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

EXcita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni; † ut hi qui in tuâ pietáte confídunt, * ab omni cítiùs adversitáte liberentur: Qui vivis.

AD HORAS, *Antiphona ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Florentíno. *An.* 1439. *Eugen. IV. Decret. pro Jacobinis.*

SAcrosáncta Romána Ecclésia firmiter credit, profitétur & docet, néminem unquam ex viro femináque conceptum à diáboli dominatióne fuisse liberátum, nisi per méritum Mediatóris Dei & hóminum Jesu Christi Dómini nostri, qui sine peccáto conceptus, natus & mórtuus, humáni géneris hostem, peccáta nostra delendo, solus suâ morte prostrávit, & regni cœlestis introitum, quem primus homo peccáto próprio cum omni successióne perdíderat, reserávit: quem aliquandò ventúrum ómnia véteris testamenti sacra, sacrifícia, sacramenta, cæremóniæ præsignárunt.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Jerem.* 31.

ECce dies vénient; dicit Dóminus, & fériam dómui Israël & dómui Juda fœdus novum; † non secundùm pactum quod pépigi cum pátribus eórum, in die quâ apprehendi manum eórum, ut edúcerem eos de terrâ Ægypti, pactum quod írritum fecérunt; * & ego dominátus

sum eórum, dicit Dóminus.

℣. Converte nos, Dómine, ad te, & convertémur: ℟. Innova dies nostros, sicut à princípio. *Thren.* 5.

AD SEXTAM.

Lectio. *Jerem.* 50.

VEnient filii Israel, ipsi & filii Juda simul: † ambulantes & flentes properábunt, & Dóminum Deum suum quærent: * Vénient & apponentur ad Dóminum fœdere sempiterno, quod nullâ obliviόne delébitur.

℣. Cóngrega, Dómine, omnes tribus Jacob: ℟. Ut cognoscant quia non est Deus nisi tu. *Eccli.* 36.

AD NONAM.

Lectio. *Ezech.* 37.

PErcútiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis: † & fundábo eos, & multiplicábo, * & dabo sanctificatiónem meam in médio eórum in perpétuum.

℣. Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine? ℟. Sicut jurasti David in veritáte tuâ. *Ps.* 88.

AD VESPERAS.

Antiphonæ.

I. REliquiæ Israel non fácient iniquitátem, nec loquentur mendácium, & non inveniétur in ore eórum lingua dolósa. *Sophon.* 3.

II. Sicut erátis maledíctio in géntibus, domus Juda & domus Israel: sic salvábo vos, & éritis benedíctio. *Zach.* 8.

III. Animæquióres estóte, filii, & proclamáte ad Dóminum: erit enim memória vestra ab eo qui duxit vos. *Baruch*, 4.

IV. Sicut fuit sensus vester, ut errarétis à Deo: décies tantùm iterùm convertentes requirétis eum. *Baruch*, 4.

Lectio. *Jerem.* 31.

HOc erit pactum, quod fériam cum domo Israel post dies illos, dicit Dóminus: † Dabo legem meam in viscéribus eórum, & in corde eórum scribam eam: * & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in pópulum.

℟. *br.* Tu exsurgens. *Hymnus*, Statúta decréto Dei. *ut suprà in Feriis Adventûs*, *pag.* 179.

℣. Deus, tu conversus vivificábis nos; ℟. Et plebs tua lætábitur in te. *Ps.* 84.

Ad Magníficat. *Ant.* Cùm impléret Joannes cursum suum, dicébat: Quem me arbitrámini esse, non sum ego; sed ecce venit post me, cujus non sum

dignus calceamenta pedum sólvere. *Act.* 13.

Nisi dicatur Ant. O.

Sequentes Antiphonæ majores inchoantur XVII. die Decembris, & singulæ ante & post Magníficat *integræ dicuntur per ordinem usque ad diem ante Vigiliam Natalis Domini inclusivè: si vero Festivitas occurrat, dicuntur pro commemoratione Adventûs.*

DIE XVII.

O Sapiéntia, quæ ex ore Altíssimi prodiisti, adtingens à fine usque ad finem, fórtiter, suaviterque dispónens ómnia; veni ad docendum nos viam prudéntiæ. *Eccli.* 24. *Sap.* 8. *Is.* 40.

DIE XVIII.

O Adónai, & dux domûs Israel, qui Móysi in igne flammæ rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti; veni ad rediméndum nos in bráchio extento. *Judith*, 16. *I. Paral.* 17. *Act.* 7. *Exod.* 6. *IV. Reg.* 17.

DIE XIX.

O Radix Jesse, qui stas in signum populórum, super quem continébunt reges os suum, quem gentes deprecabuntur; veni ad liberandum nos, jam noli tardáre. *Is.* 11. & 52. *Ps.* 39.

DIE XX.

O Clavis David, & sceptrum domûs Israel, qui áperis, & nemo claudit, claudis, & nemo áperit; veni, & educ vinctum de domo cárceris, sedentem in ténebris, & umbrâ mortis. *Is.* 22. *Jerem.* 51. & 52. *Ps.* 106.

DIE XXI.

O Oriens, splendor lucis ætérnæ, & sol justítiæ; veni, & illúmina sedentes in ténebris, & umbrâ mortis. *Zach.* 3. *Sap.* 7. *Malach.* 4. *Ps.* 12. & 106.

DIE XXII.

O Rex Géntium, Deus Israel, & Salvátor, lapisque anguláris, qui facis útraque unum; veni, & salva hóminem, quem de limo formasti. *Jerem.* 10. *Is.* 45. & 28. *Ephes.* 2. *Is.* 35. *Genes.* 2.

DIE XXIII.

O Emmánuel, Rex, & légifer noster, exspectátio Géntium, & desiderátus eárum; veni ad salvandum nos, Dómine Deus noster. *Is.* 8. & 33. *Genes.* 49. *Agg.* 2. *Zach.* 9.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 45.

HÆc dicit Dóminus: Labor Ægypti, & negotiátio Æthiópiæ, &

ábaim viri sublímes ad e transíbunt, & tui erunt: ost te ambulábunt, vin- mánicis pergent: & te orábunt, teque depre- buntur: Tantùm in te est , & non est absque Deus. Verè tu es Deus scónditus, Deus Israel lvátor. Confúsi sunt, & rubuérunt omnes: simul abiérunt in confusiónem fabricatóres errórum. ¶ Israel salvátus est in Dómino salúte æternâ: non confundémini, & non erubescétis usque in séculum séculi. Quia hæc dicit Dóminus creans cœlos, ipse Deus formans terram, & fáciens eam, ipse plastes ejus: non in vanum creávit eam: ut habitarétur formávit eam. Ego Dóminus, & non est álius. Non in abscóndito locútus sum in loco terræ tenebróso: non dixi sémini Jacob: frustrà Quærite me. Ego Dóminus loquens justítiam, annúntians recta.

LECTIO II.

Congregámini, & veníte, & accédite simul qui salváti estis ex géntibus: nesciérunt qui levant lignum sculptúræ suæ, & rogant deum non salvantem. Annuntiáte, & veníte, & consiliámini simul: quis audítum fecit hoc ab inítio, ex tunc prædixit illud? Numquid non ego Dóminus, & non est ultrà Deus absque me? Deus justus, & salvans non est præter me. Convertímini ad me, & salvi éritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est álius. ¶ In memetipso jurávi, egrediétur de ore meo justítiæ verbum, & non revertétur: quia mihi curvábitur omne genu, & jurábit omnis lingua. Ergo in Dómino, dicet, meæ sunt justítiæ & impérium; ad eum vénient, & confundentur omnes qui repugnant ei. In Dómino justificábitur, & laudábitur omne semen Israel.

℟. I. Vénient pópuli multi, & gentes robustæ, * Ad quærendum Dóminum exercítuum in Jerúsalem, & deprecandam fáciem Dómini. ℣. Vénient ab Oriente, & Occidente, & Aquilóne & Austro. * Ad. *Zach.* 8. *Luc.* 13.

℟. II. Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? * Quia solus pius es; quóniam omnes gentes vénient, & adorábunt in conspectu tuo. ℣. Dii qui cœlos & terram non fecérunt, péreant de terrâ, & de his quæ sub cœlo sunt; * Quia. *Apoc.* 15. *Jerem.* 10.

℟. III. Ecce nos venímus ad te; tu enim es Dóminus Deus noster. Verè mendáces erant colles, &

multitúdo móntium:*Verè in Dómino Deo noſtro ſalus Iſrael. ℣. Quis Deus símilis tuî, qui aufers iniquitátem, & tranſis peccátum reliquiárum hæreditátis tuæ? * Verè. *Jerem.* 3. *Mich.* 7.

℟. IV. Jurábis: Vivit Dóminus in veritáte, & in judício, & in juſtítiâ: * Et † Benedícent eum gentes, ipſumque laudábunt. ℣. Scriptum eſt: Vivo ego, dicit Dóminus, quóniam mihi flectétur omne genu, & omnis lingua confitébitur Deo. * Et. ℣. Glória. † Benedícent. *Jerem.* 4. *Rom.* 14.

LECTIO III.

Ex Libro ſancti Athanáſii Epiſcopi de Incarnatióne Verbi Dei. *Edit. Bened. n.* 40.

NUgantur Judæi cùm præſens tempus díffe-runt. Quando enim Prophéta vel víſio ab Iſrael defécit, juxta Daniélis prophetíam, niſi cùm Sanctus ſanctórum Chriſtus advénit? Magnum ſiquidem ſignum & indícium eſt Dei Verbi adventûs, quòd nec ſtet Jerúſalem, nec Prophéta exſurgat, nec illis víſio appáreat, idque ádmodum conveniénter. Poſtquàm enim is qui ſignificabátur, advénit, quid adhuc ſignórum opus eſſet? Simíliter præſente veritáte, quid prodeſſet umbra? Namque idcirco vaticinabantur, úſquedum veníret ille qui ipſa juſtítia eſt & ómnium peccáta rédimit. Unde támdiu ſtetit Jerúſalem, ut illic veritátis figúras præmeditarentur. Quapropter præſente Sancto ſanctórum, congruenter víſio & prophetía obſignátæ ſunt, ac finem hábuit Hieroſolymórum regnum. Támdiu enim reges apud illos uncti ſunt, quoad Sanctus ſanctórum ungerétur.

℟. Cùm vidéritis abominatiónem deſolatiónis, quæ dicta eſt à Daniéle Prophéta, ſtantem in loco ſancto; * Qui legit intélligat. ℣. Civitátem & ſanctuárium diſſipábit pópulus cum duce ventúro: & finis ejus váſtitas, & poſt finem belli ſtatúta deſolátio. * Qui. ℣. Glória. * Qui. *Matth.* 24. *Dan.* 9.

Ad Benedictus. *Ant.* Juda, te laudábunt fratres tui: manus tua in cervícibus inimicórum tuórum; adorábunt te fílii patris tui. *Gen.* 49.

COLLECTA. *Sacr. Moz.*

CHriſte Dei Fílius, qui à Patre ſine témpore natus, per Vírginem in témpore naſcitúrus, † à pátrio ſinu ſicut fortis egrediéris; * éffice nos fortióres ſemper eſſe in opéribus tuis: Qui vivis.

CANON.
Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529.
Cap. I.

SI quis per offensam prævaricatiónis Adæ non totum, id est, secundùm corpus & ánimam, in detérius dicit hóminem commutátum, sed ánimæ libertáte illæsâ durante, corpus tantúmmodò corruptióni credit obnóxium, Pelágii erróre deceptus adversátur Scriptúræ dicenti: Anima quæ peccáverit, ipsa moriétur.

Ad Magníficat. *Ant.* Erit dux Jacob ex eo; & princeps de médio ejus producétur. *Jerem.* 30.

Nisi dicenda sit Ant. O. *pag.* 224.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 48.

AUdi me, Jacob, & Israel quem ego voco: ego ipse, ego primus, & ego novíssimus. Manus quoque mea fundávit terram, & déxtera mea mensa est cœlos: ego vocábo eos, & stabunt simul. Congregámini omnes vos, & audíte: quis de eis annuntiávit hæc? Dóminus diléxit eum; fáciet voluntátem suam in Babylóne, & bráchium suum in Chaldæis. Ego, ego locútus sum, & vocávi eum: adduxi eum, & direćta est via ejus. ¶ Accédite ad me, & audíte hoc: non à princípio in abscóndito locútus sum: ex témpore ántequàm fíeret, ibi eram: & nunc Dóminus Deus misit me, & Spíritus ejus. Hæc dicit Dóminus redemptor tuus sanctus Israel: Ego Dóminus Deus tuus docens te utília, gubernans te in viâ quâ ámbulas. Utinam attendisses mandáta mea: facta fuisset sicut flumen pax tua & justítia tua sicut gúrgites maris: & fuisset quasi aréna semen tuum: non interisset, & non fuisset adtrítum nomen ejus à fácie meâ.

LECTIO II. *Cap.* 49.

ET nunc dicit Dóminus, formans me ex útero servum sibi, ut redúcam Jacob ad eum, & Israel non congregábitur: & glorificátus sum in óculis Dómini, & Deus meus factus est fortitúdo mea. Et dixit: Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ. ¶ Hæc dicit Dóminus redemptor Israel, Sanctus ejus, ad contemptíbilem ánimam, ad abominátam gentem, ad servum dominórum: Reges vidébunt, & consurgent

principes, & adorábunt propter Dóminum, quia fidélis est, & Sanctum Israel qui elégit te. Hæc dicit Dóminus: In témpore plácito exaudívi te, & in die salútis auxiliátus sum tuî: & servávi te, & dedi te in fœdus pópuli, ut suscitáres terram, & possidéres hæreditátes dissipátas: ut díceres his, qui vincti sunt: Exíte: & his, qui in ténebris: Revelámini.

℟. I. Cónteram jugum de collo Jacob, & víncula ejus dirumpam, * Et non dominabuntur ei ámpliùs aliéni: sed sérvient Dómino Deo suo, & David regi suo, quem suscitábo eis. ℣. Exiet dux, qui regat pópulum meum Israel. * Et non. *Jerem.* 30. *Matth* 2.

℟. II. Vos testes mei, dicit Dóminus, & servus meus quem elégi: * Ut sciátis, & credátis mihi, & intelligátis quia ego ipse sum. ℣. Qui de cœlo venit, super omnes est: & quod vidit, & audívit, hoc testátur. * Ut. *Isai.* 43. *Joan.* 3.

℟. III. Ecce servus meus, suscípiam eum: electus meus, complácuit sibi in illo ánima mea: * Dedi spíritum meum super eum, judícium géntibus próferet. ℣. Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui. * Dedi. *Isai.* 42. *Matth.* 3.

℟. IV. Viri sublímes ad te transíbunt, & * Tui erunt: te adorábunt, teque deprecabuntur: † Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus. ℣. Est repromíssio ómnibus qui longè sunt, quoscumque advocáverit Dóminus Deus. * Tui. ℣. Glória. † Tantùm. *Isai.* 45. *Act.* 2.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Athanásii Epíscopi de Incarnatióne Verbi Dei. *Edit. Bened.* *n.* 40.

SI álium Deum Gentes cólerent, nec ipsum Deum Abraham, Isaac, Jacob & Móysis confiteréntur, justam sanè de Dei adventu dubitandi occasiónem habérent Judæi. Si verò illum ipsum Gentes colunt, qui Móysi legem & Abrahæ promissiónes dedit, & cujus Verbum Judæi indigníssimè tractavérunt: quare non agnoscunt, vel pótiùs cur ultro négligunt vidére Dóminum, quem Scriptúræ prædixérunt, orbi terrárum illuxísse, & córpore indútum apparuísse, quemádmodum ait Scriptúra: Dóminus Deus appáruit nobis; &: Misit Verbum suum, & sanávit eos: & rursus: Non legátus, non ángelus, sed ipse Dóminus salvos illos fecit. Certè símile illi ágere mihi viden-

tur, ac si quis mente perculsus terram à sole illuminátam adspíciens, solem à quo illumináta est negáverit.

℟. Suscitábit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipábitur; * Et † Regnum ejus álteri pópulo non tradétur; comminuet autem & consúmet universa regna. ℣. Factum est regnum hujus mundi, Dómini nostri, & Christi ejus, & regnábit in sécula seculórum; *Et regnum. ℣. Glória. † Regnum. *Dan.* 2. *Apoc.* 11.

Ad Benedictus. *Ant.* Dabo clavem domus David super húmerum ejus: & apériet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui apériat. *Isai.* 22.

Collecta. *Sacr. Moz.*

CHriste Deus, cujus nomen géntibus in terróre est, † da nobis & timóris tui inítium; * & amóris per ómnia complementum: Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 6. *Cap.* 3.

SIcut revérâ hómines, nisi ex sémine Adæ propagáti nascerentur, non nascerentur injusti, cùm eâ propagatióne, per ipsum, dum concipiuntur, própriam injustítiam cóntrahunt; ita, nisi in Christo renascerentur, numquàm justificarentur, cùm eâ renascéntiâ, per méritum passiónis ejus, grátia, quâ justi fiunt, illis tribuátur.

Ad Magníficat. *Ant.* Fílii Israel erunt mihi pópulus, & ego ero eis Deus; & servus meus David rex super eos, & pastor unus erit ómnium eórum. *Ezech.* 37.

Nisi dicenda sit Ant. O. *pag.* 224.

FERIA QUARTA.

QUATUOR TEMPORUM.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 50.

DOminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum, qui lassus est verbo: érigit manè, manè érigit mihi aurem, ut áudiam quasi magistrum. Corpus meum dedi percutiéntibus, & genas meas velléntibus: fáciem meam non averti ab increpántibus, & conspuéntibus in me. Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeò non sum confúsus: ídeò pósui fáciem meam ut petram duríssimam, & scio quóniam non confundar. ¶ Juxtà est qui justíficat me, quis contradícet mihi? stemus simul, quis est adversárius meus? accédat ad me. Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus: quis est

qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tínea cómedet eos. Quis ex vobis timens Dóminum, áudiens vocem servi sui? qui ambulávit in ténebris, & non est lumen ei, speret in nómine Dómini, & innitátur super Deum suum.

LECTIO II. *Cap.* 54.

LAuda, stérilis quæ non paris: quóniam multi filii desertæ, mágis quàm ejus, quæ habet virum, dicit Dóminus. Diláta locum tentórii tui, & pelles tabernaculórum tuórum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consólida. Ad déxteram enim, & ad lævam penetrábis: & semen tuum gentes hæreditábit, & civitátes desertas inhabitábit. ¶ Dominábitur tuî qui fecit te; Dóminus exercítuum nomen ejus: & redemptor tuus Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocábitur. Quia ut mulíerem derelictam & mœrentem spíritu vocávit te Dóminus, & uxórem ab adolescéntiâ abjectam, dixit Deus tuus. Ad punctum in módico derelíqui te, & in miseratiónibus magnis congregábo te. In momento indignatiónis abscondi fáciem meam parumper à te, & in misericórdiâ sempiternâ misertus sum tuî: dixit redemptor tuus Dóminus.

℟. I. Ecce puer meus quem elégi; ponam spíritum meum, super eum, & judícium géntibus nuntiábit: * Et in nómine ejus gentes sperábunt. ℟. Non clamábit, neque accípiet persónam; non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ judícium. * Et in. *Matth.* 12. *Isai.* 42.

℟. II. Exspectátio Israel, Salvátor ejus in témpore tribulatiónis: * Quare futúrus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salváre? ℣. Tu es Fílius Dei, tu es Rex Israel. * Quare. *Jerem.* 14. *Joan.* 1.

℟. III. Scriptum est: Lætáre, stérilis quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non párturis: * Quia multi filii desertæ, magìs quàm ejus, quæ habet virum. ℣. Vénient ab Oriente & Occidente, & Aquilóne, & Austro, & accumbent in regno Dei. * Quia. *Galat.* 4. *Luc.* 13.

℟. IV. Loquímini ad cor Jerúsalem, & advocáte eam: * Quóniam completa est malítia ejus, dimissa est iníquitas illíus. ℣. Revertar ad Jerúsalem in misericórdiis, & consolábitur adhuc Dóminus Sion, & éliget adhuc Jerúsalem. * Quóniam. ℣. Gló-

ria. * Quóniam. *Isai.* 40. *Zach.* 1.

LECTIO III.

Sermo sancti Leónis Papæ de Jejúnio décimi mensis. *Serm.* 12. *Edit. Paris.*

QUod témporis rátio & devotiónis nostræ ádmonet consuetúdo, pastoráli vobis, dilectíssimi, sollicitúdine prædicámus, décimi mensis celebrandũ esse jejúnium, quo pro consummátâ perceptióne ómnium frúctuum, diligentíssimè largitóri eórum Deo continéntiæ libámen offertur. Quid enim potest efficácius esse jejúnio, cujus observántiâ appropinquámus Deo, & resisténtes diábolo, vítia blanda superámus? Semper virtúti cibus jejúnium fuit. De abstinéntiâ pródeunt castæ cogitatiónes, rationábiles voluntátes, salubrióra consília: & per voluntárias afflictiónes caro concupiscéntiis móritur, virtútibus spíritus innovátur. Sed quia non solo jejúnio animárum nostrárum salus acquíritur, jejúnium nostrum misericórdiis páuperũ suppleámus. Impendámus virtúti, quod subtráhimus voluptáti. Fiat reféctio páuperis abstinéntia jejunantis.

℟. Jejúnium décimi erit dómui Juda in gáudium & lætítiam, & in solemnitátes præcláras: * Veritátem tantùm & pacem dilígite. ℣. Dómino servientes, oratióni instantes, necessitátibus sanctórum communicantes, * Veritátem. ℣. Glória. * Veritátem. *Zach.* 8. *Rom.* 12.

Ad Benedíctus. *Ant.* Ne tímeas, María; invenisti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur. *Luc.* 1.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus; † ut redemptiónis nostræ ventúra solémnitas, & præsentis nobis vitæ subsídia cónferat, * & æternæ beatitúdinis præmia largiátur: Per Dóminum.

CANON.

Ex Epístolâ séptimâ Gelásii Papæ primi contrà Pelágium. *Ad omnes Episcopos in Picœno, An.* 493.

HUjus Sacramenti redemptióne ante mundi princípium sempiternâ providéntiâ præparáti, sive nondum prolátâ lege, seu sub observatióne legáli, figurálibus signis atque sacrifíciis ómnium sanctórum virórum, feminarum,

que ſanctárum vetus origo mundáta eſt, univerſiſque junctis per grátiæ ſpíritum hoc de longè adorando myſtério ſalútis æternæ remédia contigérunt, cujus in Chriſto manifeſtáta géntibus plenitúdo, mundum purgat, & rénovat, beatitudiniſque perpétuæ verè facit eſſe partícipes.

Ad Magníficat. *Ant.* Dabit illi Dóminus Deus ſedem David patris ejus: & regnábit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. *Luc.* 1.

Niſi dicenda ſit Ant. O. *pag.* 224.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Iſaíâ Prophétâ. *Cap.* 55.

QUærite Dóminum, dum inveníri poteſt: invocáte eum, dum propè eſt. Derelinquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas, & revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus, & ad Deum noſtrum: quóniam multus eſt ad ignoſcendum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dóminus. Quia ſicut exaltantur cœli à terrâ, ſic exaltátæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitatiónes meæ à cogitatiónibus veſtris. ¶ Et quómodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc ultrà non revértitur, ſed inébriat terram, & infundit eam, & germináre eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo; non revertétur ad me vácuum, ſed fáciet quæcumque vólui, & proſperábitur in his, ad quæ miſi illud. Quia in lætítiâ egrediémini, & in pace deducémini: & erit Dóminus nominátus in ſignum æternum, quod non auferétur.

LECTIO II. *Cap.* 56.

HÆc dicit Dóminus: Cuſtodíte judícium, & fácite juſtítiam, quia juxtà eſt ſalus mea ut véniat, & juſtítia mea ut revelétur. Beátus vir, qui facit hoc, & fílius hóminis, qui apprehendet iſtud: cuſtódiens ſábbatum ne pólluat illud, cuſtódiens manus ſuas ne fáciat omne malum. ¶ Et non dicat fílius ádvenæ, qui adhæret Dómino, dicens: Separatióne dívidet me Dóminus, à pópulo ſuo: & non dicat eunúchus: Ecce ego lignum áridum. Quia hæc dicit Dóminus eunúchis: Qui cuſtodíerint ſábbata mea, & elégerint quæ ego vólui, & tenúerint fœdus meum;

dabo eis in domo meâ, & in muris meis locum, & nomen mélius à fíliis & filiábus: nomen sempitérnum dabo eis, quod non períbit. Et fílios ádvenæ, qui adhærent Dómino, ut colant eum, & díligant nomen ejus, ut sint ei in servos: addúcam eos in montem sanctum meum, & lætificábo eos in domo oratiónis meæ.

℟. I. Scrutémur vias nostras, & quærámus, & revertámur ad Dóminum: * Levémus corda nostra cum mánibus ad Dóminum, in cœlos. ℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. * Levémus. *Thren.* 3. *II. Cor.* 6.

℟. II. Non est Deus quasi homo, ut mentiátur; nec ut fílius hóminis, ut mutétur. * Dixit ergo, & non fáciet? locútus est, & non implébit? ℣. Quæcumque promísit, potens est & fácere. * Dixit. *Num.* 23. *Rom.* 4.

℟. III. Sentíte de Dómino in bonitáte, & in simplicitáte cordis quærite illum * Quóniam invenítur ab his qui non tentant illum: appáret autem eis, qui fidem habent in illum. ℣. Quærite Dóminum, dum inveníri potest: invocáte eum dum propè est. * Quóniam. *Sap.* 1. *Isai.* 55.

℟. IV. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte. * Nam & Pater tales quærit, qui adórent eum. ℣. Holocausta eórum & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. * Nam. ℣. Glória. * Nam. *Joan.* 4. *Isai.* 56.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Athanásii Epíscopi de Incarnatióne Verbi Dei. *Edit. Bened. n.* 40.

Ecquid ámpliùs ei quem Judæi exspectant faciendum restat? An ut gentes vocet? sed jam vocátæ sunt. An ut Prophétam, Regem & visiónem áuferat? sed hoc item jam factum est. An ut idolórum impietátem convincat? Convicta & proscripta est. An ut mortem destruat? Destructa est. Quid ergo non factum est quod Christum fácere opórtuit, vel quid tandem superest, quod nondum implétum fuit, ut modò gáudeant Judæi, & causam non credendi hábeant? Profectò si, quemádmodùm útique vidémus, nec Regem, nec Prophétam jam habent, si nec Jerúsalem, nec sacrifícium, nec visio apud illos manet, sed omnis terra Dei cognitióne repléta est, & gentes impietáte rejectâ,

jam ad Deum Abraham per Verbum, qui est Dóminus noster Jesus Christus, confúgiunt: certè vel impudentíssimis perspícuum inde fúerit, Christum venisse, eumque omnes omníno suâ luce illustrasse, & verâ ac divínâ de suo Patre doctrínâ informasse.

℟. Cadent in ore gládii, & captívi ducentur in omnes gentes, & Jerúsalem calcábitur à géntibus, * Donec impleantur témpora natiónum. ℣. Dóminum occidérunt Jesum, & nos persecúti sunt, prohibentes nos géntibus loqui ut salvæ fiant, ut ímpleant peccáta sua semper: pervénit enim ira Dei super illos usque in finem. * Donec. ℣. Glória. * Donec. *Luc.* 21. *I. Thess.* 2.

Ad Benedíctus. *Ant.* Relinquent gentes idóla sua, & vénient in Jerúsalem, & inhabitábunt in eâ; & gaudébunt in eâ omnes reges terræ, adorantes Regē Israel. *Tob.* 14.

Collecta. *Sacr. Greg.*

Ecclésiæ tuæ, Dómine, misericórdiam tuam ostende, manifestans plebi tuæ Unigéniti tui, & incarnatiónis mystérium, † ut in universitáte Natiónum constet esse perfectum, * quod Vatum orá culis fuit antè promissum; Per eumdem.

Canon.

Ex Concílio Calcedonensi quarto. *An.* 451. *Epist. S. Augustini Ep. ad Valesianum.*

Ita inter Deum & hómines mediátor appáruit Christus, ut in unitáte persónæ cópulans utramque natúram, & sólita sublimáret insólitis, & insólita sólitis temperáret.

Ad Magníficat. *Ant.* Erit Dóminus Rex super omnem terram: in die illâ erit Dóminus unus, & erit nomen ejus unum. *Zach.* 14.

Nisi dicenda sit Ant. O. pag. 224.

Feria Sexta.

Quatuor Temporum.

Lectio I.

Ex Isáiâ Prophétâ. *Cap.* 56. & 57.

Ait Dóminus Deus, qui cóngregat dispersos Israel: Adhuc congregábo ad eum congregátos ejus. Speculatóres ejus cæci omnes, nesciérunt universi: canes muti non valentes latráre, videntes vana, dormientes, & amantes sómnia. Et canes impudentíssimi nesciérunt saturitátem: ipsi pastóres ignoravérunt intelligéntiam: omnes in viam suam declinavérunt, unusquisque ad avarítiam suam, à sum-

mo uſque ad novíſſimum. ¶ Juſtus perit, & non eſt qui recógitet in corde ſuo: & viri miſericórdiæ colliguntur, quia non eſt qui intélligat, à fácie enim malítiæ collectus eſt juſtus. Qui fidúciam habet meî, hæreditábit terram, & poſſidébit montem ſanctum meum. Et dicam: Viam fácite, præbéte iter, declináte de ſémitâ, auferte offendícula de viâ pópuli mei.

LECTIO II.

HÆc dicit excelſus, & ſublímis hábitans æternitátem, & ſanctum nomen ejus: In excelſo & in ſancto hábitans, & cum contríto & húmili ſpíritu; ut vivíficet ſpíritum humílium, & vivíficet cor contritórum. Non enim in ſempiternum litigábo, neque uſque ad finem iraſcar: quia ſpíritus à fácie meâ egrediétur, & flatus ego fáciam. Propter iniquitátem avarítiæ ejus irátus ſum, & percuſſi eum: abſcondi à te fáciem meam, & indignátus ſum: & ábiit vagus in viâ cordis ſui. ¶ Vias ejus vidi, & ſanávi eum, & redúxi eum, & réddidi conſolatiónes ipſi, & lugéntibus ejus. Creávi fructum labiórum pacem, pacem ei, qui longè eſt, & qui propè, dixit Dóminus, & ſanávi eum. Impii autem quaſi mare fervens, quod quiéſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcatiónem & lutum. Non eſt pax ímpiis, dicit Dóminus Deus.

℟. I. Viſitábo oves meas, * Et liberábo eas de ómnibus locis in quibus diſperſæ fúerant in die nubis & calíginis. ℣. Oves meæ non períbunt in æternum, & non rápiet eas quiſquam de manu meâ. * Et liberábo. *Ezech. 34. Joan. 10.*

℟. II. Cùm féceris judícia tua in terrâ, juſtítiam diſcent habitatóres orbis. * Dómine, dabis pacem nobis: ómnia enim ópera noſtra operátus es nobis. ℣. Vetus error ábiit; ſervábis pacem: pacem quia in te ſperávimus. * Dómine. *Iſai. 26.*

℟. III. Miſericórdia mea non recédet à te, * Et fœdus pacis meæ non movébitur: dixit miſerátor tuus Dóminus. ℣. In momento indignatiónis abſcondi fáciem meam parumper à te, & in miſericórdiâ ſempiternâ miſertus ſum tuî. * Et fœdus. *Iſai. 54.*

℟. IV. Vos qui aliquando erátis longè, facti eſtis propè in ſánguine Chriſti. * Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit útraque unum. ℣. Véniens evangelizávit

pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem iis, qui propè. * Ipſe. ℣. Glória. * Ipſe. *Epheſ.* 2.

LECTIO III.

Ex Sermóne quarto ſancti Leónis Papæ de Jejúnio décimi menſis. *Serm.* 14. *Cap.* 2.

DEcimi hujus menſis ſolemne jejúniũ non ídeò negligendum eſt, quia de obſervántiâ véteris legis aſſumptũ eſt, tamquàm hoc de illis ſit, quæ inter diſcretiónes ciborum, inter baptíſmatum differéntias, & ávium pecudumque hóſtias deſtitérunt. Illis enim quæ rerum futurárum figúras gerébant, implétis, quæ ſignificavérunt finíta ſunt. Jejunióꝛum verò utilitátem novi Teſtamenti grátia non remóvit: & continéntiam córpori, atque ánimæ ſemper profutúram, piâ obſervatióne ſuſcépit. Quóniam ſicut pérmanet apud intelligéntiam Chriſtiánam: Dóminum Deum tuum adorábis: & illi ſoli ſérvies; &: Díliges próximum tuum ſicut teipſum, & cætera tálium mandatórum: ita quod in eiſdem libris de jejuniórum ſanctificatióne & curatióne præceptum eſt, nullâ interpretatióne vacuátur.

℟. Hoc eſt jejúnium quod elégi, dicit Dóminus: Frange eſurienti panem tuum, & egénos, vagoſque induc in domum tuam: cùm víderis nudum óperi eum. * Tunc invocábis, & Dóminus exáudiet; clamábis, & dicet: Ecce adſum. ℣. Cùm vénerit Fílius hóminis, dicet his qui à dextris ejus erunt: Veníte; eſurívi enim, & dediſtis mihi manducáre. * Tunc. ℣. Glória. * Tunc. *Iſai.* 58. *Matth.* 25.

Ad Benedictus. *Ant.* Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

AUrem tuam, quæſumus, Dómine, précibus noſtris accómmoda; † & mentis noſtræ ténebras, * grátiâ tuæ viſitatiónis illuſtra: Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Sardicenſi. *An.* 347. *Can.* 13.

COnvéniens non eſt, nec rátio, vel diſciplína pátitur, ut témerè ordinétur aut Epíſcopus, aut Préſbyter, aut Diáconus; máximè cùm & magiſter géntium beátus Apoſtolus, ne hoc fíeret, denuntiaſſe, & prohibuiſſe videátur: ſed hi quorum per longum tempus examináta ſit vita, & mérita fuerint comprobáta.

Ad Magníficat. *Ant.* Beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Nisi dicenda sit Ant. O. *pag.* 224.

SABBATO.

QUATUOR TEMPORUM.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 58.

CLama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annúntia pópulo meo scélera eórum, & dómui Jacob peccáta eórum. Me étenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens, quæ justítiam fécerit, & judícium Dei sui non derelíquerit: rogant me judícia justítiæ: appropinquáre Deo volunt. Quare jejunávimus, & non adspexísti: humiliávimus ánimas nostras, & nescísti? Ecce in die jejúnii vestri invenítur volúntas vestra, & omnes debitóres vestros repétitis. Ecce ad lites & contentiónes jejunátis, & percútitis pugno ímpiè. Nolíte jejunáre sicut usque ad hanc diem, ut audiátur in excelso clamor vester. ¶ Numquid tale est jejúnium quod elégi, per diem affligere hóminem ánimam suam? numquid contorquére quasi círculum caput suum; & saccum & cínerem stérnere? numquid istud vocábis jejúnium, & diem acceptábilem Dómino? Nonne hoc est magìs jejúnium, quod elégi? dissolve colligatiónes impietátis, solve fascículos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt, líberos, & omne onus dirumpe.

LECTIO II.

FRange esurienti panem tuum, & egénos, vagosque induc in domum tuam: cùm víderis nudum, óperi eum, & carnem tuam ne despéxeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sánitas tua cítiùs oriétur, & anteíbit fáciem tuam justítia tua, & glória Dómini cólliget te. Tunc invocábis, & Dóminus exáudiet; clamábis, & dicet: Ecce adsum. ¶ Cùm effúderis esurienti ánimam tuam, & ánimam afflictam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, & ténebræ tuæ erunt sicut merídies. Et réquiem tibi dabit Dóminus semper, & implébit splendóribus ánimam tuam, & ossa tua liberábit; & eris quasi hortus irríguus, & sicut fons aquárum, cujus non defícient aquæ. Et ædificabuntur in te deserta seculórum: fundamenta generatiónis & generatiónis suscitábis.

℟. I. Sanctificáte jejúnium; * Vocáte cœtum, congregáte, senes, omnes habitatóres terræ in domum Dei vestri: & clamáte ad Dóminum. ℣. Implétum est tempus, & appropinquávit regnum Dei. * Vocáte. *Joel*, 1. *Marc*. 1.

℟. II. Hæc ait Dóminus exercítuum: * Judícium verum judicáte, & misericórdiam, & miseratiónes fácite unusquisque cum fratre suo; & malum vir fratri suo non cógitet in corde suo. ℣. Cùm jejunarétis & plangerétis: numquid jejúnium jejunastis mihi? * Judícium. *Zach*. 7.

℟. III. Semináte vobis in justítiâ, & métite in ore misericórdiæ, innováte vobis noválc. * Tempus requirendi Dóminum, cùm vénerit qui docébit vos justítiam. ℣. Date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis. * Tempus. *Osee*, 10. *Luc*. 12.

℟. IV. Qui prójicit avarítiã ex calúmniâ, & éxcutit manus suas ab omni múnere: qui obtúrat aures suas, ne áudiat sánguinẽ, & claudit óculos suos ne vídeat malum, * Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus. ℣. Qui séquitur justítiam & misericórdiam, invéniet vitam, justítiam & glóriam. * Regem. ℣. Glória. * Regem. *Isaiæ*, 33. *Prov*. 21.

LECTIO III.

Ex Sermóne quarto sancti Leónis Papæ, de Jejúnio décimi mensis. *Serm.* 14 *Edit. Paris. Cap.* 4.

IN omni témpore, omnibusque diébus vitæ hujus séculi, jejúnia nos contra peccáta fáciunt fortióres, jejúnia concupiscéntias vincunt, tentatiónes repellunt, supérbiam inclínant, iram mitigant: & omnes bonæ voluntátis affectus ad maturitátem totíus virtútis enútriunt: si tamen in societátem sibi benevoléntiam caritátis assúmant, & in opéribus misericórdiæ se prudenter exérceant. Jejúnium enim sine eleemósynâ, non tam purgátio ánimæ, quàm carnis afflíctio est: magìsque ad avarítiam, quàm ad continéntiam referendum est, quando áliquis sic à cibo ábstinet, ut étiam à pietáte se subdúcat. Nostra ergo jejúnia, dilectíssimi, abundent frúctibus largitátis, & in páuperes Christi benignis sint fœcunda munéribus.

℟. Bona est orátio cum jejúnio, & eleemósyna magìs quàm thesauros auri recóndere, Quóniam eleemósyna à morte líberat, & ipsa est, quæ purgat peccáta, & facit invenire misericórdiam

misericórdiam & vitam æternam. ℣. Date eleemósynam, & ecce ómnia munda sunt vobis. * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Tob.* 12. *Luc.* 11.

Ad Benedictus. *Ant.* Factum est verbum Dómini super Joannem Zacharíæ fílium in deserto. Et venit in omnem regiónem Jordánis; prædicans baptismum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. *Luc.* 3.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

PRæsta, miséricors Deus; † ut ad suscipiendum Filii tui singuláre Nativitátis mystérium, * & mentes credéntium præparentur, & non credéntium corda subdantur; Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1536. *Part.* 1. *Can.* 21.

QUo affectu ac propósito accédant ordinandi, videndum accuratéque investigandum est; num vidélicet Dei causâ tantùm, an pótiùs suæ commoditátis grátiâ ad órdines capessendos aspírent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Isai.* 59.

TImébunt qui ab Occidente, nomen Dómini; & qui ab Ortu solis, glóriam ejus: † cùm vénerit quasi flúvius violentus, quem spíritus Dómini cogit, * & vénerit Sion Redemptor.

℞. *br.* Roráte cœli désuper * Et nubes pluant justum. ℞. Roráte. ℣. Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. * Et. ℣. Glória ℞. Roráte. *Isai.* 45.

Hymnus, Statúta decréto Dei, *ut suprà in Feriis Adventûs*, *pag.* 179.

℣. Ostende fáciem tuam, Dómine; ℞. Et salvi érimus. *Ps.* 79.

Ad Magníficat. *Ant.* O. *pag.* 224.

Collecta infrà ad Laudes, *pag.* 245.

DOMINICA IV.

ADVENTUS.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dóminus salvábit nos: * Veníte, adorémus. *Isai.* 33.

Hymnus, Instantis adventum Dei. *ut suprà in Feriis Adventûs*, *pag.* 177.

Antiphonæ, & ℣. *I.* & *II. Nocturni*, *ut in Psalterio.*

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 59.

ECce non est abbreviáta manus Dómini ut salváre néqueat, neque ag-

graváta est auris ejus ut non exáudiat : sed iniquitátes vestræ divisérunt inter vos & Deum vestrum, & peccáta vestra abscondérunt fáciem ejus à vobis ne exaudíret. Manus enim vestræ pollútæ sunt sánguine, & dígiti vestri iniquitáte : lábia vestra locúta sunt mendácium, & lingua vestra iniquitátem fatur. Non est qui ínvocet justítiam, neque est qui júdicet verè : sed confídunt in níhilo, & loquuntur vanitátes : concepérunt labórem, & pepererunt iniquitátem.

℟. Ecce in iniquitátibus vestris vénditi estis, * Quia veni, & non erat vir; vocávi, & non erat qui audíret. ℣. Non est justus quisquam, non est intélligens, non est requírens Deum. * Quia. *Isai.* 50. *Rom.* 3.

LECTIO II.

PEdes eórum ad malum currunt, & festínant ut effúndant sánguinem innocentem : cogitatiónes eórum cogitatiónes inútiles : vástitas & contrítio in viis eórum. Viam pacis nesciérunt, & non est judícium in gréssibus eórum. Sémitæ eórum incurvátæ sunt eis : omnis qui calcat in eis, ignórat pacem. Propter hoc elongátum est judícium à nobis, & non apprehendet nos justítia : exspectávimus lucem, & ecce ténebræ; splendórem, & in ténebris ambulávimus.

℟. Dóminus de cœlo prospexit super fílios hóminum, ut vídeat si est intélligens aut requírens Deum. * Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt; non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum. ℣. Omnes peccavérunt, & egent glóriâ Dei. * Omnes. *Psal.* 13. *Rom.* 3.

LECTIO III.

RUgiémus quasi ursi omnes & quasi columbæ meditantes gemémus. Exspectávimus judícium, & non est; salútem, & elongáta est à nobis. Multiplicátæ sunt enim iniquitátes nostræ coram te, & peccáta nostra respondérunt nobis. Quia scélera nostra nobiscum, & iniquitátes nostras cognóvimus, peccáre & mentíri contra Dóminum : & aversi sumus ne irémus post tergum Dei nostri, ut loquerémur calúmniam & transgressiónem : concépimus, & locúti sumus de corde verba mendácii. Et conversum est retrorsùm judícium, & justítia longè stetit : quia córruit in plateâ véritas, & æquitas non pótuit íngredi.

℟.

℟. Exſpectávimus pacem & non eſt bonum; & tempus curatiónis, & ecce turbátio. * Cognóvimus, Dómine, impietátes noſtras, quia peccávimus tibi. ℣. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipſi nos sedúcimus, & véritas in nobis non eſt. * Cognóvimus. *Jerem.* 14. *I. Joan.* 1.

LECTIO IV.

ET facta eſt véritas in obliviónem: & qui receſſit à malo, prædæ pátuit: & vidit Dóminus, & malum appáruit in óculis ejus, quia non eſt judícium. Et vidit quia non eſt vir: & aporiátus eſt, quia non eſt qui occurrat: & ſalvávit ſibi bráchium ſuum, & juſtítia ejus ipſa confirmávit eum. Indútus eſt juſtítiâ ut loricâ, & gálea ſalútis in cápite ejus: indútus eſt veſtimentis ultiónis, & opertus eſt quaſi pállio zeli. Sicut ad vindíctam quaſi ad retributiónem indignatiónis hóſtibus ſuis, & viciſſitúdinem inimícis ſuis: ínſulis vicem reddet.

℟. Numquid projíciens abjeciſti Judam? aut Sion abomináta eſt ánima tua? quare ergo percuſſiſti nos, ita ut nulla ſit ſánitas. * Recordáre, ne írritum fácias fœdus tuum nobiſcum. ℣. Ecce réſpice; pópulus tuus omnes nos. * Recordáre. *Jerem.* 14. *Iſai.* 64.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Libro tértio ſancti Irenæi Epíſcopi & Mártyris contra Hæreſes. *Edit. Bened. Cap.* 18. *n.* 1.

OStenſo manifeſtè, quòd in Princípio Verbum exſiſtens apud Deum, per quem ómnia facta ſunt, qui & ſemper áderat géneri humáno, hunc in noviſſimis tempóribus ſecundùm præfinítum tempus à Patre, unítum ſuo pláſmati, paſſíbilem hóminem factum; exclúſa eſt omnis contradíctio dicéntium: Si ergo tunc natus eſt, non erat ergo antè Chriſtus. Oſténdimus enim, quia non tunc cœpit Fílius Dei, exſiſtens ſemper apud Patrem; ſed quando incarnátus eſt, & homo factus, longam hóminum expoſitiónem, in ſeipſo recapitulávit, in compéndio nobis ſalútem præſtans, ut quod perdiderámus in Adam, id eſt, ſecundùm imáginem & ſimilitúdinem eſſe Dei, hoc in Chriſto Jeſu reciperémus.

℟. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimábitur álius adverſùs eum. Hic adinvénit omnem viam diſciplínæ, & trádidit illam

Jacob púero ſuo ; * Poſt hæc in terris viſus eſt & cum homínibus converſátus eſt. ℣. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum ; hoc erat in princípio apud Deum. * Poſt. *Baruch*, 3. *Joan.* 1.

LECTIO VI. *n.* 2.

QUia enim non erat poſsíbile, eum hóminem, qui ſemel victus fúerat, & eliſus per inobediéntiam, replaſmáre, & obtinére bravium victóriæ, íterum autem impoſsíbibile erat, ut ſalútem percíperet, qui ſub peccáto cecíderat : útraque operátus eſt Fílius, Verbum Dei exſiſtens, à Patre deſcendens, & incarnátus, & uſque ad mortem deſcendens, & diſpenſatiónem conſummans ſalútis noſtræ.

℟. Per Chriſtum vobis remíſſio peccatórum annuntiátur ; & ab ómnibus quibus non potuiſtis in lege Móyſi juſtificári, * In hoc omnis qui credit juſtificátur. ℣. Nunc ſine lege manifeſtáta eſt juſtítia Dei per fidem Jeſu Chriſti. * In hoc. *Act.* 13. *Rom.* 3.

LECTIO VII. *n.* 3.

IPſe Jeſus Chriſtus cùm eſſet, paſſus eſt pro nobis, Fílius Dei, Fílius hóminis factus, quemádmodum & ipſum nomen ſignificat. In Chriſti enim nómine ſubaudítur qui unxit, & ipſe qui unctus eſt, & ipſa únctio in quâ unctus eſt. Et unxit quidem Pater, unctus eſt verò Fílius, in Spíritu, qui eſt únctio ; quemádmodum per Iſaíam ait Sermo : Spíritus Dei ſuper me, propter quod unxit me ; ſignificans & ungentem Patrem, & unctum Fílium, & unctiónem, qui eſt Spíritus.

℟. Spíritus Dómini ſuper me ; eo quòd únxerit Dóminus me ; ad annuntiandum manſuétis miſit me ; * Ut medérer contrítis corde, & prædicárem captívis indulgéntiam & cláuſis apertiónem. ℣. Ego ex Deo proceſſi & veni ; neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit ; * Ut. *Iſai.* 61. *Joan.* 8.

LECTIO VIII. *n.* 7.

HÆrére ítaque fecit & adunívit, quemádmodum prædíximus, hóminem Deo. Si enim homo non viciſſet inimícum hóminis, non juſtè victus eſſet inimícus. Rurſus autem, niſi Deus donaſſet ſalútem, non fírmiter haberémus eam. Et niſi homo conjunctus fuiſſet Deo, non potuiſſet párticeps fíeri incorruptibilitátis. Oportúerat enim Mediatórem Dei & hóminum, per-

ſuam ad utroſque domeſticitátem, in amicítiam & concórdiam utroſque redúcere, & fácere, ut & Deus aſſúmeret hóminem, & homo ſe déderet Deo.

℟. Portábam eos in bráchiis meis : & neſciérunt quòd curárem eos. * In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis. ℣. Nemo poteſt veníre ad me, niſi Pater qui miſit me, tráxerit eum. Omnis qui audívit à Patre & dídicit, venit ad me. * In funículis. ℣. Glória. * In funículis. *Oſee*, 11. *Joan.* 6.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Dominicâ I. Adventûs. pag. 171.

LECTIO IX.

Ex Epíſtolâ beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Cap. 4.

IN repromiſſióne Dei non hæſitávit Abraham diffidéntiâ : ſed confortátus eſt fide, dans glóriam Deo : pleníſſimè ſciens quia quæcumque promíſit, potens eſt & fácere. Ideò & reputátum eſt illi ad juſtítiam. Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, quia reputátum eſt illi ad juſtítiam : ſed & propter nos, quibus reputábitur credéntibus in eum, qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum à mórtuis, qui tráditus eſt propter delícta noſtra, & reſurrexit propter juſtificatiónem noſtram.

℟. Scientes quòd non juſtificátur homo ex opéribus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti; * Et nos in Chriſto Jeſu crédimus, ut juſtificémur ex fide Chriſti. ℣. Crédidit Abraham Deo; & reputátum eſt illi ad juſtítiam. * Et nos. *Gal.* 2. *Gen.* 15.

LECTIO X. *Cap.* 5.

JUſtificáti ergo ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum; per quem & habémus acceſſum per fidem in grátiam iſtam, in quâ ſtamus, & gloriámur in ſpe glóriæ filiórum Dei. Non ſolùm autem, ſed & gloriámur in tribulatiónibus : ſcientes quòd tribulátio patiéntiam operátur : patiéntia autem probatiónem, probátio verò ſpem, ſpes autem non confundit : quia cáritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris per Spíritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Ut quid enim Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſémus, ſecundùm tempus pro ímpiis mórtuus eſt? Vix enim pro juſto quis móritur; nam pro bono fórſitan quis áudeat mori. Commendat autem caritátem ſuam Deus in

verè hóminem factum, eumdemque hóminem verum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Isai.* 51.

COnsolábitur Dóminus Sion, & consolábitur omnes ruínas ejus: † & ponet desertum ejus quasi delícias, & solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. * Gáudium & lætítia inveniétur in eâ, gratiárum áctio & vox laudis.

℣. Dóminus dabit benignitátem; ℟. Et terra nostra dabit fructum suum. *Ps.* 84.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Jerem.* 33.

COnvertam conversiónem Juda & conversiónem Jerúsalem: † & ædificábo eos sicut à princípio; * & emundábo illos ab omni iniquitáte suâ, in quâ peccavérunt mihi.

℣. Benígnè fac, Dómine, in bonâ voluntáte tuâ, Sion: ℟. Ut ædificentur muri Jerúsalem. *Ps.* 50.

AD NONAM.

LECTIO. *Zach.* 8.

VEnient pópuli multi, † & gentes robustæ, ad quærendum Dóminum exercítuum in Jerúsalem, * & deprecandam fáciem Dómini.

℣. Ex iniquitáte rédimet ánimas eórum: ℟. Et honorábile nomen eórum coram illo. *Ps.* 71.

AD VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. ECce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ: Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit. *Isai.* 62.

II. Dominábitur tuî qui fecit te, Dóminus exercítuum nomen ejus. *Isai.* 54.

III. Redemptor tuus Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocábitur. *Isai.* 54.

IV. Propè est ut véniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur. *Isai.* 14.

LECTIO. *Isai.* 52.

COnsolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem. † Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium: * & vidébunt omnes fines terræ Salutáre Dei nostri.

℟. *brev. & Hymnus, ut suprà in Feriis Adventûs, pag.* 179.

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine; ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Ps.* 101.

Ad Magníficat. *Ant.* O, *pag.* 224.

...RIA SECUNDA.

Lectio I.

Isáiâ Prophétâ. *Cap.* 60.

Urge, illumináre Jerúsalem : quia venit lu... tuum, & glória Dómi... super te orta est. ...ia ecce ténebræ opérient ...ram, & calígo pópulos: ...er te autem oriétur Dó...nus, & glória ejus in ... vidébitur. Et ambulá...nt gentes in lúmine tuo, ... reges in splendóre ortûs ... ¶ Leva in circúitu ócu... tuos, & vide : omnes ... congregáti sunt, vené...nt tibi : filii tui de longè ...nient, & fíliæ tuæ de ...ere surgent. Tunc vidé...s, & áffluces, & mirá...tur & dilatábitur cor ...um, quando conversa ...erit ad te multitúdo ma..., fortitúdo géntium vé...rit tibi. Inundátio ca...elórum opériet te, dro...edárii Mádian & Epha : ...nnes de Saba vénient au...m & thus deferentes, ... laudem Dómino annun...ntes.

Lectio II.

QUi sunt isti qui ut nu...bes volant, & quasi ...lumbæ ad fenestras suas? ...e enim ínsulæ exspectant, ... naves maris in princípio ... addúcam fílios tuos de ...ngè ; argentum eórum, ... aurum eórum cum eis, nómini Dómini Dei tui, & Sancto Israel, quia glorificávit te. ¶ Et ædificábunt fílii peregrinórum muros tuos, & reges eórum ministrábunt tibi : in indignatióne enim meâ percussi te : & in reconciliatióne meâ misertus sum tui. Et aperiéntur portæ tuæ júgiter : die ac nocte non claudentur, ut afferátur ad te fortitúdo géntium, & reges eárum adducantur. Gens enim & regnum quod non servíerit tibi, períbit : & gentes solitúdine vastabuntur.

℟. I. Viri sublímes ad te transíbunt, & tui erunt : te adorábunt : teque deprecabuntur : tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus. * Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israel Salvátor. ℣. Dómine, quid factum est, quia manifestatúrus es nobis teipsum, & non mundo? * Verè. *Isai.* 45. *Joan.* 14.

℟. II. Super ipsum continébunt reges os suum : * Quia quibus non est narrátum de eo, vidérunt ; & qui non audiérunt, contempláti sunt. ℣. An Judæórum Deus tantùm? nonne & Géntium? immò & Géntium. * Quia. *Isai.* 52. *Rom.* 3.

℟. III. In caritáte perpétuâ diléxi te : ídeò adtraxi te, míserans. * Rursúmque ædificábo te, &

ædificáberis, virgo Iſrael. ℣. Ecce in mánibus meis deſcripſi te: muri tui coram óculis meis ſemper; * Rursûmque. *Jerem.* 31. *Iſai.* 49.

℟. IV. Abſque muro habitábitur Jerúſalem præ multitúdine hóminum. * Et ego ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu; & † In glóriâ ero in médio ejus. ℣. Reges terræ afferent glóriam ſuam, & honórem in illam; & portæ ejus non claudentur. * Et ego. ℣. Glória. † In. *Zach.* 2. *Apoc.* 21.

LECTIO III.

Ex Libro tértio ſancti Irenæi Epíſcopi & Mártyris contra Hæreſes. *Cap.* 18. *n.* 7.

QUâ ratióne filiórum adoptiónis Dei partícipes eſſe poſſémus, niſi per Fílium eam, quæ eſt ad ipſum, recepiſſémus ab eo communiónem; niſi Verbum ejus communicaſſet nobis, caro factum? Quapropter & per omnem venit ætátem, ómnibus reſtítuens eam, quæ eſt ad Deum communiónem. Igitur qui dicunt eum putatívè manifeſtátum, neque in carne natum, neque verè hóminem factum, adhuc ſub véteri ſunt damnatióne, advocatiónem præbentes peccáto, non devictâ ſecundùm eos morte, quæ regnávit ab Adam uſque ad Móyſem, étiam in eos qui non peccavérunt in ſimilitúdinem tranſgreſſiónis Adæ. Oportébat enim eum qui incíperet occídere peccátum, & mortis reum redímere hóminem, idipſum fieri quod erat ille, id eſt, hóminem qui à peccáto quidem in ſervítium tractus fúerat, à morte verò tenebátur, ut peccátum ab hómine interficerétur, & homo exíret à morte.

℟. Advocátum habémus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum: * Et ipſe eſt propitiátio pro peccátis noſtris. ℣. Non eſt in álio áliquo ſalus. * Et ipſe. ℣. Glória. * Et. *I. Joan.* 2. *Act.* 4.

Ad Benedictus. *Ant.* Laudáte, cœli, & exſulta, terra; jubiláte, montes, laudem: quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, & páuperum ſuórum miſerébitur. *Iſái.* 49.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

FAc nos, Dómine, quæſumus, mala noſtra toto corde reſpúere; † ut veniente Fílio tuo Dómino noſtro, * bona ejus cápere valeámus; Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Ephesíno tértio. *An.* 431. *Epiſt. S. Gregorii Nazianzeni ad Cledonium.*

SI quis Deum in Chriſto per grátiam non ſecùs

atque in áliquo prophetárum operátum dixerit, & non secundùm substántiam eídem conjunctum coadunatumque esse; is melióris operatiónis virtúte frustrátus sit, vel pótiùs contráriâ repleátur.

Ad Magníficat. *Ant.* O. *pag.* 224.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 60.

GLória Líbani ad te véniet, ábies & buxus, & pinus simul, ad ornandum locum sanctificatiónis meæ; & locum pedum meórum glorificábo. Et vénient ad te curvi filii eórum, qui humiliavérunt te, & adorábunt vestígia pedum tuórum omnes qui detrahébant tibi, & vocábunt te Civitátem Dómini, Sion Sancti Israel. ¶ Pro eo quòd fuisti derelícta, & ódio hábita, & non erat qui per te transíret, ponam te in supérbiam seculórum, gáudium in generatiónem, & generatiónem: & suges lac géntium, & mamillâ regum lactáberis: & scies quia ego Dóminus salvans te, & redemptor tuus Fórtis Jacob. Et ponam visitatiónem tuam pacem, & præpósitos tuos justítiam.

Respons oria ut heri.

LECTIO II.

NOn audiétur ultrà iníquitas in terrâ tuâ, vástitas & contrítio in términis tuis, & occupábit salus muros tuos, & portas tuas laudátio. Non erit tibi ámpliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminábit te: sed erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. ¶ Non óccidet ultrà sol tuus, & luna tua non minuétur: quia erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, & complebúntur dies luctûs tui. Pópulus autem tuus omnes justi, in perpétuum hæreditábunt terram, germen plantatiónis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum. Mínimus erit in mille, & párvulus in gentem fortíssimam: ego Dóminus in témpore ejus súbitò fáciam istud.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Leónis Papæ ad Flaviánum. *Epist.* 24. *Edit. Paris. Cap.* 2.

FIdélium univérsitas profitétur crédere se in Deum Patrem omnipoténtem, & in Jesum Christum Fílium ejus únicum Dóminum nostrum, qui natus est de Spíritu sancto & Maríâ Vírgine. Quibus tribus senténtiis óm-

nium fere hæreticórum máchinæ destruúntur: cum enim Deus & omnípotens & ætérnus credátur Pater, consempitérnus eídem Fílius demonstrátur, in nullo a Patre dífferens, quia de Deo Deus, de omnipoténte omnípotens, de ætérno natus est coætérnus, non postérior témpore, non inférior potestáte, non dissímilis glória, non divísus esséntia: idem vero sempitérni Genitóris Unigénitus sempitérnus natus est de Spíritu sancto ex María vírgine; quæ natívitas temporális illi nativitáti divínæ & sempitérnæ nihil mínuit, nihil cóntulit: sed totam se reparándo hómini qui erat decéptus impéndit; ut & mortem vínceret & diábolum, qui mortis habébat impérium, suá virtúte destrúeret. Non enim superáre possémus peccáti & mortis autórem, nisi natúram nostram ille suscíperet, & suam fáceret, quem nec peccátum contamináre, nec mors pótuit detinére.

℟. Cùm in formâ Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo * Sed † Semetipsum exinanívit, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo. ℣. Erat in princípio apud Deum. * Sed. ℣. Glória. † Semetipsum. *Philip.* 2. *Joan.* 1.

Ad Benedictus. *Ant.* Quærétur iníquitas Israel, & non erit: & peccátum Juda, & non inveniétur: quóniam propítius ero eis quos relíquero. *Jerem.* 50.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

MEntes nostras, quǽsumus, Dómine, lúmine tuæ visitatiónis illústra, † ut esse te largiénte, mereámur, & inter prósperà húmiles, * & inter advérsa secúri; Qui vivis.

CANON.

Ex Concilio secundo Constantinopolitáno.

An. 553. *Can.* 3.

SI quis dicit, álium esse Deum Verbum qui mirácula fecit, & álium Christum qui passus est; vel Deum Verbum cum Christo esse nascénte de muliere, vel in ipso esse ut álterum in áltero, & non unum eúmdemque Dóminum nostrum Jesum Christum, Dei Verbum incarnátum, & hóminem factum, & ejusdem ipsius mirácula, & passiónes quas voluntárie carne sustínuit; talis anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* O. *pag.* 224.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Isaíà Prophétâ. *Cap.* 64.

FActi sumus ut immúndus omnes nos, &

quasi pannus menstruátæ univérsæ justítiæ nostræ: & cecídimus quasi fólium univérsi, & iniquitátes nostræ quasi ventus abstulérunt nos. Non est qui ínvocet nomen tuum; qui consúrgat, & téneat te: abscondísti fáciem tuam à nobis, & allisísti nos in manu iniquitátis nostræ. ¶ Et nunc, Dómine, pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster tu, & ópera mánuum tuárum omnes nos. Ne irascáris, Dómine, satìs, & ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ: ecce réspice; pópulus tuus omnes nos.

Lectio II. *Cap. 65.*

QUæsiérunt me qui ante non interrogábant; invenérunt qui non quæsiérunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non invocábat nomen meum. Expandi manus meas totâ die ad pópulum incrédulum, qui gráditur in viâ non bonâ post cogitatiónes suas. ¶ Pópulus qui ad iracúndiam próvocat me ante fáciem meam semper: qui dicunt: Recéde à me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in furóre meo, ignis ardens totâ die. Ecce scriptum est coram me: non tacébo, sed reddam & retríbuam in sinum eórum iniquitátes vestras, & iniquitátes patrum vestrórum simul, dicit Dóminus, qui sacrificavérunt super montes, & super colles exprobravérunt mihi, & remétiar opus eórum primùm in sinu eórum.

℟. I. Dómine, fac propter nomen tuum, quóniam multæ sunt aversiónes nostræ: tibi peccávimus. * Exspectátio Israel, Salvátor ejus in témpore tribulatiónis, ne derelinquas nos. ℣. Scriptum est: Véniet ex Sion, qui erípiat, & avertat impietátem à Jacob. * Exspectátio. *Jerem.* 14. *Rom.* 11.

℟. II. Súscita, Dómine, prædicatiónes quas locúti sunt in nómine tuo Prophétæ prióres: * Da mercédem sustinéntibus te, ut Prophétæ tui fidéles inveniantur. ℣. Nos spíritu ex fide, spem justítiæ exspectámus. * Da. *Eccli.* 36. *Galat.* 5.

℟. III. Isáias dicit: Inventus sum à non quæréntibus me. * Palàm appárui iis qui me non interrogábant. ℣. Quibus non est narrátum de eo, vidérunt; & qui non audiérunt, contempláti sunt. * Palàm. *Rom.* 10. *Isai.* 52.

℟. IV. Cæcitas ex parte cóntigit in Israel, * Donec plenitúdo géntium intráret, † Et sic omnis Israel salvus fieret. ℣. Projecisti

Dómine pópulum tuum, domum Jacob. * Donec. ℣. Glória. † Et sic. *Rom.* 11. *Isai.* 2.

LECTIO III.

Ex Sermóne octávo sancti Leónis Papæ in Nativitáte Dómini. *Ser.* 27. *Edit. Paris. Cap.* 3.

MAjestas Filii Dei æquális Patri, véstiens se humilitáte servíli, nec metuébat mínui, nec indigébat augéri: ipsúmque efféctum misericórdiæ suæ, quem restitutióni impendébat humánæ, solâ exsequi póterat virtúte deitátis: ut creatúram ad imáginem Dei cónditam à jugo diræ dominatiónis erúeret. Sed quia non ita in primum hóminem diábolus violentus exstíterat, ut eum in partes suas sine líberi arbítrii consensióne transferret, sic destruendum peccátum fúerat voluntárium, & hostíle consílium, ut dono grátiæ non obesset norma justítiæ. In totíus ígitur humáni géneris strage commúni, unum solum fuit remédium sub divínæ ratiónis occulto, quod posset subveníre prostrátis, si áliquis filiórum Adam originális prævaricatiónis aliénus atque ínnocens nascerétur, qui cæteris exemplo prodesset & mérito. Sed quia hoc naturális generátio non sinébat, nec póterat vitiátæ radícis sine sémine propágo esse, de quo Scriptúra dicit: Quis potest fácere mundum de immundo conceptum sémine? nonne tu, qui solus es? Dóminus David, factus est fílius David, & de promíssi gérminis fructu proles orta est sine vítio, in unam persónam gémina conveniente natúrâ: ut eódem conceptu, eodemque partu gigneréтur Dóminus noster Jesus Christus, cui vera inesset déitas ad mirácula óperum, & vera humánitas ad tolerántiam passiónum.

℟. Quia púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipse simíliter participávit eisdem: * Ut per mortem destrúeret eum, qui habébat mortis impérium. ℣. Non habémus Pontíficem qui non possit cómpati infirmitátibus nostris, tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. * Ut per. ℣. Glória. * Ut per. *Hebr.* 2. & 4.

Ad Benedictus. *Ant.* In die illâ erit germen Dómini in magnificéntiâ, & glóriâ, & fructus terræ sublímis, & exsultátio his qui salváti fúerint de Israel. *Isai.* 4.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, † ut qui sub peccáti jugo ex-

débito deprímimur, * exspectátâ Unigéniti tui novâ Nativitáte liberémur; Per.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Antiochénæ Ecclésiæ primâ ad Paulum Samosatensem. *An.* 264.

Filium Sapiéntiam, & Verbum ac Virtútem Dei ante sécula, non præcognitióne, sed substántiâ & hypóstasi Deum, Dei Fílium, cum in véteri & novo testamento cognovérimus, confitémur & prædicámus.

Ad Magníficat. *Ant.* O. *pag.* 224.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 65.

HÆc dicit Dóminus: Quómodò si inveniátur granum in botro, & dicátur: Ne díssipes illud, quóniam benedíctio est: sic fáciam propter servos meos, ut non dispérdam totum. Et edúcam de Jacob semen, & de Juda possidentem montes meos: & hæreditábunt eam elécti mei, & servi mei habitábunt ibi. ¶ Et vos qui dereliquistis Dóminum, qui oblíti estis montem sanctum meum; numerábo vos in gládio, & omnes in cæde corruétis: pro eo quòd vocávi, & non respondistis: & faciebátis malum in óculis meis, & quæ nólui, elegistis. Proptereà hoc, hæc dicit Dóminus Deus: Ecce servi mei cómedent, & vos esuriétis; ecce servi mei bibent, & vos sitiétis. Et interfíciet te Dóminus Deus, & servos suos vocábit nómine álio.

LECTIO II.

ECce enim ego creo cœlos novos, & terram novam: & non erunt in memóriâ prióra, & non ascendent super cor. Sed gaudébitis & exsultábitis usque in sempitérnum, in his, quæ ego creo: quia ecce ego creo Jerúsalem exsultatiónem, & pópulum ejus gáudium. Et exsultábo in Jerúsalem, & gaudébo in pópulo meo: & non audiétur in eo ultrà vox fletûs & vox clamóris. ¶ Elécti mei non laborábunt frustrà, neque generábunt in conturbatióne: quia semen benedictórum Dómini est, & nepótes eórum cum eis. Eritque ántequam clament, ego exáudiam: adhuc illis loquéntibus, ego áudiam. Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos cómedent páleas: & serpenti pulvis panis ejus: non nocébunt, neque occídent in omni monte sancto meo, dicit Dóminus.

℟. I. Qui dispersit Israel, congregábit eum, & custódiet eum sicut pastor gregem suum. * Redémit enim Dóminus Jacob, & liberávit eum de manu potentióris. ℣. Non répulit Deus plebem suam, quam præscivit. * Redémit. *Jerem.* 31. *Rom.* 11.

℟. II. Non me invocasti, Jacob; verúmtamen servíre me fecisti in peccátis tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui déleo iniquitátes tuas propter me, * Et peccatórum tuórum non recordábor. ℣. Præváricans prævaricáberis. Propter nomen meum longè fáciam furórem meum, * Et. *Isai.* 43. & 48.

℟. III. Ne meminéritis priórum, & antíqua ne intueámini. Ecce ego fácio nova, * Et nunc oriéntur, útique cognoscétis ea. ℣. In Christo nova creatúra, vétera transiérunt: ecce facta sunt ómnia nova. * Et nunc. *Isai.* 43. *II. Cor.* 5.

℟. IV. Derelínquam in médio tuî pópulum páuperem & egénum: * Et † Sperábunt in nómine Dómini. ℣. Relíquiæ Israel non fácient iniquitátem, nec loquentur mendácium, & non inveniétur in ore eórum lingua dolósa. * Et sperábunt. ℣. Glória. † Sperábunt. *Soph.* 3.

LECTIO III.

Ex Sermóne quarto sancti Leónis Papæ in Nativitáte Dómini. *Serm.* 23. *Edit. Paris. Cap.* 2. & 3.

QUàmvis ex unâ eâdemque pietáte sit, quidquid creatúræ Creátor impendit, minùs tamen mirum est hóminem ad divína profícere, quàm Deum ad humána descéndere. Hoc autem nisi fácere dignarétur Omnípotens, nulla quemquam spécies justítiæ, nulla forma sapiéntiæ, à captivitáte diáboli, & à profundo ætérnæ mortis erúeret. Condemnátio enim ex uno in omnes cum peccáto tránsiens permanéret, & letháli vúlnere tabefacta creatúra nullum remédium reperíret; quia conditiónem suam suis víribus mutáre non posset. Ad hoc ítaque peccáti & mortis vínculum resolvendum, omnípotens Fílius Dei, ómnia implens, ómnia cóntinens, æquális per ómnia Patri, & in unâ ex ipso & cum ipso consempitérnus esséntiâ, natúram in se suscépit humánam, & Creátor ac Dóminus ómnium rerum dignátus est unus esse mortálium, electâ sibi matre, quam fécerat: quæ salvâ integritáte virgíneâ, corpóreæ

antùm miniſtra ſub-
:, ut humáni ſémi-
ſtante contágio, no-
nini & púritas ineſ-
véritas.
Nuſquam Angelos
us apprehendit, ſed
Abrahæ apprehen-
* Unde débuit per
frátribus ſimilári.
:nit Fílius hóminis
:e, & ſalvum fácere
períerat. * Unde.
ória. * Unde. *Hebr.*
:. 19.
Benedíctus. *Ant.* Dó-
ſicut fortis egredié-
:ut vir præliátor ſuſ-
zelum. *Iſai.* 42.
ECTA. *Miſſ. Ambr.*
us, qui in Unigénito
uo novam creatúram
i eſſe feciſti; † réſ-
:opítius in ópera mi-
diæ tuæ, * & in
u Fílii tui ab óm-
nos máculis vetu-
emunda: Per eum-

C A N O N.
Epíſtolâ Synódicâ
ıcílii Alexandríni.
An. 362.
iſtus non álius erat
ıte Abraham, álius
oraham; neque álius
.ázarum excitáret,
álius cùm interro-
le eo ubi ſitus eſſet:
:m, ille ipſe erat,
áliter quidem, ut
éxpuens, divínitùs
ıt Dei Fílius óculos
apériens ejus qui à nativitáte cœcus fúerat: & carne quidem pátiens, ut Petro dixit, divínitùs tamen monumenta apériens, & mórtuos éxcitans.

Ad Magníficat. *Ant.* O. *pag.* 224.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Iſaíâ Prophétâ. *Cap.* 66.

HÆc dicit Dóminus: Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meórum: quæ eſt iſta domus, quam ædificábitis mihi? & quis eſt iſte locus quiétis meæ. Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt univerſa iſta, dicit Dóminus. Ad quem autem reſpíciam, niſi ad paupérculum, & contrítum ſpíritu, & tremen-tem ſermónes meos? ¶ Qui ímmolat bovem, quaſi qui interfíciat virum: qui mactat pecus, quaſi qui excérebret canem: qui offert oblatiónem, quaſi qui ſánguinem ſuillum ófferat: qui recordátur thuris, quaſi qui benedícat idólo. Hæc ómnia elegérunt in viis ſuis, & in abominatiónibus ſuis ánima eórum delectáta eſt. Unde & ego éligam illuſiónes eórum: & quæ timébant, addúcam eis: quia vocávi, & non erat qui reſpondéret; lo-

civitas sum, & non audiérunt: fecerúntque malum in óculis meis, & quæ nólui elegérunt.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

AUdite verbum Dómini, qui trémitis ad verbum ejus: dixérunt fratres vestri odientes vos, & abjicientes propter nomen meum: Glorificétur Dóminus, & vidébimus in lætítiâ vestrâ: ipsi autem confundentur. Vox pópuli de civitáte, vox de templo, vox Dómini reddentis retributiónem inimícis suis. ¶ Antequam parturíret, péperit: antequam veníret partus ejus, péperit máſculum. Quis audívit unquam tale? & quis vidit huic símile? Numquid partúriet terra in die unâ? aut pariétur gens simul, quia parturívit & péperit Sion filios suos? Numquid ego qui álios párere fácio, ipse non páriam, dicit Dóminus? Si ego qui generatiónem cæteris tribuo, stérilis ero, ait Dóminus Deus tuus?

LECTIO III.

Ex Sermóne primo sancti Leónis Papæ de Passióne Dómini. *Serm.* 50. *Edit. Parif. Cap.* 1.

POst illam humánæ prævaricatiónis primam & universálem ruínam nemo dominatiónem diáboli, neque víncula diræ captivitátis eváderet, nec cuíquam aut reconciliátio ad véniam, aut réditus paterét ad vitam, nisi coætérnus & coæquális Patri Deo Fílius Dei, étiam hóminis fílius esse dignarétur: véniens quærere & salvum fácere quod períerat, ut sicut per Adam mors, ita per Dóminum nostrum Jesum Christum esset resurréctio mortuórum. Non enim quia secúndum inscrutábile propósitum sapiéntiæ Dei novíssimis diébus Verbum caro factum est, ídeò salutiferæ Vírginis partus, extrémi tantùm témporis generatiónibus prófuit, & non se étiam in prætéritas refúdit ætátes. Omnis prorsus antíquitas coléntium Deum verum, omnis númerus apud sǽcula prióra sanctórum, sacrâ fide vixit, & plácuit; & neque Patriarchis, neque Prophétis, neque cuíquam omníno sanctórum, nisi in redemptióne Dómini nostri Jesu Christi salus & justificátio fuit: quæ sicut exspectabátur, multis Prophetárum orácuIis signísque promíssa, ita est étiam ipso múnere atque ópere præsentáta.

℟. Misericórdiæ Dómini quia non sumus consumpti, * Quia non defe-

cérunt miseratiónes ejus. ℣. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Teſſ.* 3. *I. Cor.* 15.

Ad Benedíctus. *Ant.* Dóminus Judex noster, Dóminus Légifer noster, Dóminus Rex noster; ipse salvábit nos. *Isai.* 33.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DEus, qui creatiónem conditiónis humánæ diabólicis non es passus períre nequítiis, † remédia tuæ propitiatiónis exséquere; * ut in eádem non præváleat inimíca subréptio, sed redémptio tuæ miseratiónis obtíneat; Qui vivis & regnas.

CANON.

Ex Statútis Synodálibus Ecclésiæ Rotomagensis. *C. An.* 1233. *Can.* 127.

CIrca fidem Incarnatiónis docére debent exprefsè Sacerdótes Dei Fíliū pro redemptióne géneris humáni carnem assumpsisse in beátâ Maríâ, de carne ejusdem Vírginis humánâ, sed sancti Spíritûs operatióne; & eumdem de Vírgine natum esse, virginitáte manente íntegrâ, & in partu, & in conceptióne, & in nativitáte.

Ad Magníficat. *Ant.* O. *pag.* 224.

IN VIGILIA *NATALIS DOMINI.*

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dóminus propè est: * Veníte, adorémus. *Philip.* 4.

Hymnus, Instantis adventum Dei. *ut in Feriis Adventûs*, *pag.* 177.

IN I. NOCTURNO.

Antiphona, & ℣. *ut in Psalterio.*

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 66.

LÆtámini cum Jerúsalem, & exultáte in eâ, omnes qui dilígitis eam: gaudéte cum eâ gáudio univérsi, qui lugétis super eam, ut sugátis, & repleámini ab úbere consolatiónis ejus: ut mulgeátis, & delíciis affluátis ab omnímodâ glóriâ ejus. Quia hæc dicit Dóminus: Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, & quasi torréntem inundántem glóriam géntium, quam sugétis: ad úbera portabímini, & super génua blandiéntur vobis. Quómodo si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, & in Jerúsalem consolabímini.

℟. Apparébit in finem, & non mentiétur: * Ex-

ſpecta illum; quia véniens véniet, & non tardábit. ℣. Adhuc módicum aliquántulum, qui ventúrus eſt, véniet. * Exſpecta. *Habac.* 2. *Hebr.* 10.

LECTIO II.

VIdébitis, & gaudébit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinábunt, & cognoſcétur manus Dómini ſervis ejus, & indignábitur inimícis ſuis. Quia ecce Dóminus in igne véniet, & quaſi turbo quadrígæ ejus: réddere in indignatióne furórem ſuum, & increpatiónem ſuam in flammâ ignis: quia in igne Dóminus dijudicábit, & in gládio ſuo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Dómino, qui ſanctificabantur, & mundos ſe putábant. Véniet omnis caro ut adóret coram fácie meâ, dicit Dóminus. Et egrediéntur, & vidébunt cadávera virórum, qui prævaricáti ſunt in me: vermis eórum non moriétur, & ignis eórum non exſtinguétur: & erunt uſque ad ſatietátem viſiónis omni carni.

℟. Super montem excelſum aſcende tu, qui evangelízas Sion: * Dic civitátibus Juda: Ecce Deus veſter. ℣. Exalta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúſalem: * Dic. *Iſai.* 40.

LECTIO III.

Ex Sermóne ſecundo ſancti Leónis Papæ in Nativitáte Dómini. *Serm.* 21. *Edit. Pariſ. Cap.* 3.

VErax miſericórdia Dei, cùm ad reparandum humánum genus, ineffabíliter ei multa ſuppéterent, hanc potiſſimùm conſulendi viam elégit, quâ ad deſtruendum opus diáboli, non virtúte uterétur poténtiæ, ſed ratióne juſtitiæ. Nam ſupérbias hoſtis antiqui non immérito ſibi in omnes hómines jus tyránnicum vindicábat, nec indébito dominátu premébat, quos à mandáto Dei ſpontáneos in obſéquium ſuæ voluntátis illéxerat. Non ítaque juſtè amítteret originálem humáni géneris ſervitútem, niſi de eo, quod ſubégerat, vinceré-tur. Quod ut fieret, ſine viríli ſémine éditus eſt Chriſtus ex Vírgine. Et cùm in ómnibus mátribus non fiat ſine peccáti ſorde concéptio: hæc indè purgatiónem traxit, unde concépit. Quò enim paterni ſéminis transfúſio non pervénit, peccáti ſe illic orígo non míſcuit. Inviolata virgínitas concupiſcéntiã neſcívit, ſubſtántiã miniſtrávit. Aſſumpta eſt de matre Dómini natúra, non culpa.

℟. Propè feci juſtítiam meam; non elongábitur: * Et † Salus mea non mo-

: ℣. Dabo in Sion
ı, & in Israel gló-
eam. * Et. ℣. Gló-
Salus. *Is.* 46.
. NOCTURNO.
T I O. *Hebr.* 10.
ıuc módicum ali-
ıántulum, qui ven-
eſt veniet, & non
.t : justus autem
:x fide vivit.
Citò antícipent nos
:órdiæ tuæ, Dómi-
Quia páuperes facti
nimis. *Ps.* 78.
'ecta infrà ad Lau-

Vigilia venerit in
ıicâ, Officium fiet
Dominica IV. Ad-
usque ad Evange-
quod hìc sequitur :
ı omnia de Vigiliâ
ommemoratione Do-
ı.

V A N G E L I U M.
ıtia sancti Evangélii
ndùm Matthæum.
Cap. 1.
n esset desponsáta
ıater Jesu María Jo-
ántequam conveni-
inventa est in útero
s de Spíritu sancto.
ı autem vir ejus,
esset justus, & nol-
m tradúcere, vóluit
è dimíttere eam. Hæc
. eo cogitante, ecce
us Dómini appáruit
nnis ei, dicens : Jo-
fili David, noli ti-
ıccípere Maríam cón-
ı tuam : quod enim
in eâ natum est, de Spí-
ritu sancto est. Páriet au-
tem Filium, & vocábis
nomen ejus Jesum : ipse
enim salvum fáciet pópu-
lum suum à peccátis eórum.

A D L A U D E S.

A N T I P H O N Æ.

I. LAuda & lætáre, filia Sion ; Quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus. *Zach.* 2.

II. Dóminus Deus tuus in médio tuî fortis ; ipse Salvábit. *Sophon.* 3.

III. Revelábitur glória Dómini ; & vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est. *Is.* 40.

IV. Sanctificámini ; cras enim fáciet Dóminus inter vos mirabília : in hoc sciétis quòd Dóminus Deus vivens in médio vestrî est. *Jos.* 3.

V. Juxtà est salus mea ut véniat, & justítia mea ut revelétur. *Isa.* 56.

L E C T I O. *Mich.* 7.

NOn immittet ultrà furórem suum Deus, quóniam volens misericórdiam est. Revertétur, & miserébitur nostrî ; depónet iniquitátes nostras : & projíciet in profundum maris ómnia peccáta nostra.

℟. *br.* Excita poténtiam tuam, & veni, * Ut salvos fácias nos. ℟. Excita. ℣. Deus converte nos, & ostende fáciem

tuam; * Ut salvos. ℣. Glória. ℟. Excita. *Ps.* 79.

Hymnus, Jordánis oras prævia. *ut supra in Feriis Adventûs*, *pag.* 178.

℣. Dómine, opus tuum: ℟. In médio annórum vivífica illud. *Habac.* 3.

Ad Benedictus. *Ant.* Quod in Maríâ natum est, de Spíritu sancto est. Páriet autem Filium, & vocábis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. *Matth.* 1.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui nos redemptiónis nostræ ánnuâ exspectatióne lætíficas; † præsta, ut Unigénitum tuum, quem Redemptórem læti suscípimus, * veniéntem quoque Júdicem secúri videámus Dóminum nostrum Jesum Christũ Fílium tuũ: Qui tecum vivit.

AD HORAS, *Antiphonæ Laudum.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Constantinopolitáno secundo. *An.* 553. *Can.* 2.

SI quis non confitétur Dei Verbi duas esse nativitátes, unam quidem ante sécula ex Patre sine témpore incorporáliter, álteram verò in últimis diébus ejusdem ipsíus qui de cœlis descendit, & incarnátus de sanctâ gloriósâ Dei Genitríce & semper Vírgine Maríâ, natus est ex ipsâ; talis anáthema sit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Agg.* 2.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: † Adhuc unum módicum est, & ego commovébo cœlum, & terram, & mare, & áridam; & movébo omnes gentes: * & véniet Desiderátus cunctis géntibus.

℣. Tu exsurgens, Dómine, miseréberis Sion; ℟. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus. *Ps.* 101.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Mich.* 5.

ET tu Béthlehem Ephráta párvulus es in míllibus Juda: † ex te mihi egrediétur qui sit Dominátor in Israel, * & egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eam: ℟. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Ps.* 131.

AD NONAM.

LECTIO. *Mich.* 5.

STabit, & pascet in fortitúdine Dómini in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui: † & converténtur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ. * Et erit iste pax.

℣. Oriétur in diébus ejus justítia, ℟. Et abundántia pacis. *Ps.* 71.

DIE XXV. DECEMBRIS.

I NATALI DOMINI.

Solemnitas I. Classis.

) I. VESPERAS.

Antiphonæ.

. Eváte cápita vestra ; quóniam appropin- redémptio vestra. *Luc.*

. Antíqua ne intueámi- ecce ego fácio nova, ınc orientur. *Is.* 43.

I. Nolíte timére : State, déte magnália Dómini factúrus est hódie. *d.* 14.

Y. Erípiet vos de manu ıicórum ; redúcet au- vos cum gáudio & ju- litáte in sempitérnum. *uch*, 4.

E̓CTIO. *Amos*, 4.

ℛæparáre in occursum Dei tui Israel. Quia formans montes, & ns ventum, & annún- s hómini elóquium n, † fáciens matutí- ı nébulam, & grádiens :r excelsa terræ : * Dó- us Deus exercítuum ıen ejus.

℟. *br.* Roráte, cœli, ıper, * Et nubes pluant um. ℟. Roráte. ℣. Ape- riátur terra, & gérminet Salvatórem. * Et. ℣. Glória. ℟. Roráte. *Isai.* 45.

HYMNUS. *Brev. Clun.*

MUndo tenébris óbsito
En verus affulget dies :
Vanæ figúræ désinant ;
Adest propinqua Véritas.

Cessent gementum lácrymæ,
Cessent Patrum suspíria :
Consors Tonantis Fílius
Fit pacis obses mútuæ.

Inops & exul péllitur,
Qui jura terris dívidit :
Fit conditóris síderum
Præsépe vile, Régia.

Infans Creátor ómnium,
Author salútis, náscere ;
Veni, supréme Póntifex
Mundi futúrus Hostia.

Sit laus Patri, qui Fílium
Promísit orbi víctimam ;
Sit, qui venit, laus Fílio ;
Quo fit caro, laus Flámini. Amen.

℣. Descendet sicut plúvia in vellus ; ℟. Et sicut

stillicidia stillántia super terram. *Ps.* 71.

Ad Magníficat. *Ant.* Quasi dilúculum præparátus est egressus ejus, & véniet quasi imber nobis temporáneus & serótinus terræ. *Osee*, 6.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus; † ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, * quos sub peccáti jugo vetusta sérvitus tenet: Per eumdem.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christus natus est nobis: * Veníte, adorémus. *Luc.* 2.

Hymnus. *C.*

Jam désinant suspíria;
Audívit ex alto Deus:
Cœli patescunt; en adest
Promissa pax mortálibus.

Profunda noctis ótia
Cœlestis abrumpit chorus;
Natumque festo cármine
Annúntiat terris Deum.

Specum sacrátam pérvigil
Dum turba pastórum subit,
Eámus, & castis pia
Cunis ferámus óscula.

At quale nobis pánditur
Intrántibus spectáculum!
Præsépe, fœnum, fásciæ,
Parens inops, infans puer.

Tu-ne ille, Christe Fílius
Et splendor æterni Patris?
Illum-ne cerno qui levi
Orbem pugillo sustinet?

Sic est: verenda queis lates,
Fides penétrat núbila:
Agnosco quem proni vident,
Tremunt, adórant Angeli.

Agis magistrum vel tacens:
Ex hâc cathédrâ nos doces
Vitáre quod carni placet,
Caro quod horret, pérpeti.

Castos amóres nútriens,
Sanans tumentes spíritus,
Divíne, nostris, ô Puer,
Præcórdiis innáscere.

Mundi salus qui násceris
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sǽcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Joan.* 1

II. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. *Ibid.*

III. In ipso vita erat, & vita erat lux hóminum. *Ibid.*

IV. Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum. *Ibid.*

V. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est; & mundus eum non cognóvit. *Ibid.*

Verbum caro factum
:c habitábit in nobis.

Recordátus est Dó-
› misericórdiæ suæ,
veritátis suæ dómui
Ps. 97.

LECTIO I.
iâ Prophétâ. *Cap.* 9.
pulus, qui ambulá-
at in ténebris, vidit
magnam: habitán-
in regióne umbræ
s, lux orta est eis.
plicasti gentem: non
ificasti lætítiam. Læ-
tur coram te, sicut
tantur in messe, si-
:sultant victóres captâ
i, quando dívidunt
. Jugum enim óneris
& virgam húmeri
& sceptrum exactóris
uperasti sicut in die
an. Quia omnis vio-
prædátio cum tumul-
vestimentum mistum
ine, erit in combu-
:m, & cibus ignis.
Per víscera miseri-
æ Dei nostri, * Vi-
t nos Oriens ex alto,
ináre his qui in téne-
& in umbrâ mortis
t. ℣. Ut adimpleré-
uod dictum est: Se-
bus in regióne um-
mortis, lux orta est
* Visitávit. *Luc.* 1.
:h. 4.

LECTIO II.
rvulus enim natus est
obis, & Fílius datus
obis, & factus est
principátus super húme-
rum ejus: & vocábitur
nomen ejus, Admirábilis,
Consiliárius, Deus, Fortis,
Pater futúri séculi, Prin-
ceps pacis. Multiplicábitur
ejus impérium, & pacis
non erit finis: super só-
lium David, & super re-
gnum ejus sedébit: ut
confirmet illud, & corró-
boret in judício & justí-
tiâ, ámodo & usque in sem-
piternum: zelus Dómini
exercítuum fáciet hoc.

℟. Natus est vobis hó-
die Salvátor, qui est Chri-
stus Dóminus in civitáte
David: * Et hoc vobis si-
gnum: Inveniétis infantem
pannis involútum, & pó-
situm in præsépio. ℣. Fí-
lius Dei factus est ex fé-
mine David secundùm car-
nem; * Et hoc. *Luc.* 2.
Rom. 1.

LECTIO III. *Cap.* 40.

Consolámini, consolá-
mini, pópule meus,
dicit Deus vester. Loquí-
mini ad cor Jerúsalem, &
advocáte eam: quóniam
compléta est malítia ejus,
dimissa est iníquitas illius:
suscépit de manu Dómini
duplícia pro ómnibus pec-
cátis suis. Vox clamantis
in deserto: Paráte viam
Dómini, rectas fácite in
solitúdine sémitas Dei nos-
tri. Omnis vallis exaltábi-
tur, & omnis mons & col-
lis humiliábitur, & erunt
prava in directa, & áspera

in vias planas. Et revelábitur glória Dómini, & vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est. Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamábo? Omnis caro fœnum, & omnis glória ejus quasi flos agri. Exsiccátum est fœnum, & cécidit flos, quia spíritus Dómini sufflávit in eo. Verè fœnum est pópulus: exsiccátum est fœnum, & cécidit flos: Verbum autem Dómini nostri manet in æternum.

℟. Consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem: parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium. * Et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. ℣. Misit Deus Fílium suum in mundum, ut salvétur mundus per ipsum. * Et. *Isai.* 52. *Joan.* 3.

LECTIO IV. *Cap.* 52.

CONsurge, consurge, indúere fortitúdine tuâ, Sion, indúere vestiméntis glóriæ tuæ, Jerúsalem, cívitas Sancti: quia non adjíciet ultrà ut pertránseat per te incircumcísus & immundus. Excútere de púlvere, consúrge; sede, Jerúsalem: solve víncula colli tui, captíva fília Sion. Quia hæc dicit Dóminus; Gratìs venúndati estis, & sine argento redimémini. Quia hæc dicit Dóminus Deus: In Ægyptum descendit pópulus meus in princípio, ut colónus esset ibi: & Assur absque ullâ causâ calumniátus est eum. Et nunc quid mihi est hìc, dicit Dóminus, quóniam ablátus est pópulus meus gratìs? Dominatóres ejus iníquè agunt, dicit Dóminus, & júgiter totâ die nomen meum blasphemátur. Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illâ: quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum.

℟. Prophetissa péperit fílium; & dixit Dóminus: * Voca nomen ejus, Accélera spólia detráhere, festína prædári. ℣. Universa arma fortis armáti áuferet, & spólia ejus distríbuet. * Voca. ℣. Glória. * Voca. *Is.* 8. *Luc.* 11.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Abscissus est lapis de monte sine mánibus, & implévit universam terram. *Dan.* 2.

II. Ecce, Deus noster iste: exspectávimus eum, & salvábit nos. *Is.* 25.

III. Iste Dóminus; sustinúimus eum, exsultábimus & lætábimur in salutári ejus. *Ibid.*

IV. Præcipitábit mortem in sempitérnum: & áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie. *Ibid.*

V. Propósuit Deus in

dispensatióne plenitúdinis témporum instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terrâ sunt. *Ephes.* 1.

VI. Fidélis sermo & omni acceptióne dignus quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere. *I. Tim.* 1.

℣. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi; ℣. Justítia & pax osculátæ sunt. *Ps.* 84.

LECTIO V.

Sermo sancti Leónis Papæ. *In Nativ. Dom.* 1. *Serm.* 20. *Edit. Paris.* *Cap.* 1.

SAlvátor noster, dilectíssimi, hódie natus est: gaudeámus. Neque enim locum fas est ibi esse tristítiæ, ubi natális est vitæ: quæ consumpto mortalitátis timóre, nobis íngerit de promissâ æternitáte lætítiam. Nemo ab hujus alacritátis participatióne secérnitur. Una cunctis lætítiæ commúnis est rátio: quia Dóminus noster, peccáti mortisque destructor, sicut nullum à reátu líberum réperit, ita liberandis ómnibus venit. Exsultet sanctus, quia propinquat ad palmam: gáudeat peccátor, quia invitátur ad véniam: animétur Gentílis, quia vocátur ad vitam.

℟. Sic Deus dilexit mundum, ut Fílium suum Unigénitum daret; * Ut omnis qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. ℣. Egressus es in salútem pópuli tui, Dómine, in salútem cum Christo tuo. * Ut omnis. *Joan.* 3. *Habac.* 3.

LECTIO VI. *Cap.* 2.

VErbum Dei Deus, Fílius Dei, qui in princípio erat apud Deum; per quem facta sunt ómnia, & sine quo factum est nihil, propter liberandum hóminem ab æternâ morte, factus est homo: ita se ad susceptiónem humilitátis nostræ sine diminutióne suæ majestátis inclínans, ut manens quod erat, assumensque quod non erat; veram servi formam ei formæ, in quâ Deo Patri est æquális, uníret: & tanto fœdere natúram utramque conséreret, ut nec inferiórem consúmeret glorificátio, nec superiórem minúeret assumptio.

℟. Nusquàm Angelos apprehendit Christus, sed semen Abrahæ apprehendit. * Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fieret, ut repropitiáret delicta pópuli. ℣. Deus noster in terris visus est, & cum homínibus conversátus est. * Unde. *Hebr.* 2. *Baruch.* 3.

LECTIO VII.

SAlvâ ígitur proprietáte utriusque substántiæ, & in unam coeunte per-

sónam, suscípitur à majestáte humílitas, à virtúte infírmitas, ab æternitáte mortálitas: & ad dependendum nostræ conditiónis débitum, natúra inviolábilis natúræ est uníta passíbili, Deúsque verus & homo verus, in unitátem Dómini temperátur: ut quod nostris remédiis congruébat, unus atque idem Dei hominumque Mediátor, & mori posset ex uno, & resúrgere posset ex áltero. Talis ígitur, dilectíssimi, natívitas décuit Dei virtútem, & Dei sapiéntiam Christum, quâ nobis & humanitáte congrúeret, & divinitáte præcélleret. Nisi enim esset Deus verus, non afferret remédium: nisi esset homo verus, non præbéret exemplũ.

℟. Cùm in formâ Dei esset, semetipsum exinanívit, formam servi accípiens, * In similitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo. ℣. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israel salvátor. * In similitúdinem. *Philip.* 2. *Isai.* 45.

LECTIO VIII. *Cap.* 3.

AGámus ergo, dilectíssimi, grátias Deo Patri, per Fíliũ ejus, in Spíritu sancto, qui propter multam misericórdiam suam, quâ dilexit nos misertus est nostrî: cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Christo, ut essémus in ipso nova creatúra, novúmque figmentum. Deponámus ergo véterem hóminem cum áctibus suis: & adepti participatiónem generatiónis Christi, carnis renuntiémus opéribus. Agnosce, ô Christiáne, dignitátem tuam, & divínæ consors factus natúræ, noli in véterem vilitátem degéneri conversatióne redíre. Meménto, cujus cápitis & cujus córporis sis membrum. Reminíscere, quia érutus de potestáte tenebrárum, translátus es in Dei lumen & regnum.

℟. Qualem caritátem dedit nobis Pater, * Ut filii Dei nominémur & simus! ℣. Per Christum donávit Deus, ut efficiámini divínæ consórtes natúræ. * Ut. ℣. Glória. * Ut. *I. Joan.* 3. *II. Petr.* 1.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Isai.* 26.
De mundi redemptione Hymni Eucharistici.

URbs fortitúdinis nostræ Sion Salvátor, * ponétur in eâ murus & antemuràle.

Aperíte portas, & ingrediátur gens justa, * custódiens veritátem.

Vetus error ábiit: servábis pacem; * pacem, quia in te sperávimus.

Sperastis in Dómino in séculis ætérnis, * in Dó-

mino Deo forti in perpétuum.

Quia incurvábit habitantes in excelso, * civitátem sublímem humiliábit.

Humiliábit eam usque ad terram, * détrahet eam usque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, pedes páuperis, * gressus egenórum.

Sémita justi recta est, * rectus callis justi ad ambulandum.

II. Canticum. *Isai.* 35.

LÆtábitur deserta & ínvia, & exsultábit solitúdo, * & florébit quasi lílium.

Gérminans germinábit, & exsultábit lætabunda & laudans : * glória Líbani data est ei : decor Carméli & Saron;

Ipsi vidébunt glóriam Dómini, * & decórem Dei nostri.

Confortáte manus dissolútas, * & génua debília roboráte.

Dícite. pusillánimis : Confortámini, & nolíte timére : Ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis : * Deus ipse véniet & salvábit vos.

Tunc aperiéntur óculi cæcórum, * & aures surdórum patébunt.

Tunc sáliet sicut cervus claudus, * & aperta erit lingua mutórum.

III. Canticum. *Mich.* 5.

ET tu Béthlehem Ephráta párvulus es in míllibus Juda : * ex te mihi egrediétur qui sit Dominátor in Israel;

Et egressus ejus ab inítio, * a diébus æternitátis.

Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo partúriens páriet : * & relíquiæ fratrum ejus converténtur ad filios Israel.

Et stabit, & pascet in fortitúdine Dómini, * in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui.

Et converténtur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ; * & erit iste pax.

Ant. Cánticum erit vobis sicut nox sanctificátæ solemnitátis, & lætítia cordis. Allelúia. *Is.* 30.

℣. Deus Rex noster ante sécula : ℟. Operátus est salútem in médio terræ. *Ps.* 73.

LECTIO IX.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Cap. I.

MUltifáriam multísque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis : novíssimè, diébus istis locútus est nobis in Filio, quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit & sécula : qui cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus,

portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excelsis : tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit.

℟. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. * Hoc erat in princípio apud Deum. ℣. Egressus ejus ab inítio à diébus æternitátis. * Hoc erat. *Joan.* 1. *Mich.* 5.

LECTIO X.

CUi enim dixit aliquando Angelórum : Fílius meus es tu ; ego hódie génui te ? & rursum : Ego ero illi in Patrem : & ipse erit mihi in Fílium ? Et cùm íterùm introdúcit Primogénitum in orbem terræ, dicit : Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit : Qui facit Angelos suos spíritus, & ministros suos flammam ignis. Ad Fílium autem : Thronus tuus Deus, in séculum séculi : virga æquitátis, virga regni tui. Dilexisti justítiam, & odisti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo exsultatiónis præ particípibus tuis.

℟. Ego constitútus sum Rex à Deo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. * Dóminus dixit ad me : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. ℣. Cui Deus dixit aliquando Angelórum : Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Fílium. * Dóminus. *Ps.* 2. *Hebr.* 1.

LECTIO XI.

ET : Tu in princípio, Dómine, terram fundasti & ópera mánuum tuárum sunt cœli. Ipsi períbunt, tu autem permanébis, & omnes ut vestimentum veterascent ; & velut amictum mutábis eos & mutabuntur : tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ad quem autem Angelórum dixit aliquando : Sede à dextris meis quoadusque ponam inimícos tuos scabellum pedum tuórum ? Nonne omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos, qui hæreditátem cápient salútis ?

℟. In ipso cóndita sunt universa in cœlis & in terrâ, visibília & invisibília : * Omnia per ipsum & in ipso creáta sunt. ℣. Ipse est ante omnes, & ómnia in ipso constant. * Omnia. *Col.* 1.

LECTIO XII. *Cap.* 2.

PRoptéreà abundántiùs oportet observáre nos ea, quæ audívimus ne fortè pereffluámus. Si enim qui per Angelos dictus est

ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricátio & inobediéntia accépit juſtam mercédis retributiónem: quómodo nos effugiémus ſi tantam neglexérimus ſalútem? quæ cùm inítium accepiſſet enarrári per Dóminum ab eis, qui audiérunt, in nos confirmáta eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis, & váriis virtútibus, & Spíritûs ſancti diſtributiónibus ſecundùm ſuam voluntátem. Non enim Angelis ſubjécit Deus orbem terræ futúrum, de quo lóquimur.

℟. Verbum caro factum eſt, & habitávit in nobis: * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quaſi Unigéniti à Patre, plenum grátiæ & veritátis. ℣. Cum nox in ſuo curſu médium iter habéret, omnípotens Sermo tuus, Dómine, de cœlo à regálibus ſédibus proſilívit. * Et vídimus. ℣. Glória. * Et vídimus. *Joan.* 1. *Sap.* 18.

EVANGELIUM.

Inítium ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

Cap. 1.

LIber generatiónis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham. Abraham génuit Iſaac. Iſaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, & fratres ejus. Judas autem génuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem génuit Eſron. Eſron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naaſſon. Naaſſon autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jeſſe. Jeſſe autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem, ex eâ quæ fuit Uriæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Aſa. Aſa autem génuit Jóſaphat. Jóſaphat autem génuit Joram. Joram autē génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manaſſen. Manaſſes autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechóniam & fratres ejus, in tranſmigratióne Babylónis. Et poſt tranſmigratiónem Babylónis, Jechónias génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abíud. Abíud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Elíud. Elíud autem génuit Eléazar. Eléazar autem génuit Mathan. Ma-

than autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de quâ natus est Jesus, qui vocátur Christus.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui hanc sacratíssimam noctem veri lúminis fecisti illustratióne claréscere; † da, quæsumus, ut cujus lucis mystérium in terrâ cognóvimus, * ejus quoque gáudiis in cœlo perfruámur: Qui tecum.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. PAstóres erant vigilantes, & custodientes vigílias noctis super gregem suum; & ecce Angelus Dómini stetit juxta illos. *Luc.* 2.

II. Cláritas Dei circumfulsit illos, & timuérunt timóre magno; & dixit illis Angelus: Nolíte timére. *Luc.* 2.

III. Ecce evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo: quia natus est vobis hódie Salvátor. *Luc.* 2.

IV. Súbitò facta est cum Angelo multitúdo milítiæ cœlestis, laudántiũ Deum, & dicéntium: Glória in altíssimis Deo, & in terrâ pax homínibus bonæ voluntátis. *Luc.* 2.

V. Pastóres loquebantur ad ínvicem: Transeámus usque Béthlehem, & videámus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus ostendit nobis. *Luc.* 2.

LECTIO. *Gal.* 4.

UBi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege; † ut eos qui sub lege erant, redímeret; * ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. *br.* Confiteantur tibi pópuli, Deus, * Confiteantur tibi pópuli omnes. ℟. Confiteantur. ℣. Terra dedit fructum suum. * Confiteantur. ℣. Glória. ℟. Confiteantur. *Ps.* 66.

HYMNUS. *C.*

MIssum Redemptórem polo
Novumque totus, quà patet,
Adóret orbis Príncipem,
Natum Maríâ Vírgine.

Rerum Creátor ómnium
Servíle corpus índuit;
Ut carne carnem líberans,
Ne pérderet quos cóndidit.

Quod ante mundi témpora
Verbum Patris prodit sinu,
Obnóxius nunc témpori
Mortális infans náscitur.

Fœno cubáre sustinet;
Præsépe non horret Deus;
Et índiget lactis cibo
Cibus perennis cœlitum.

Quæ cárdines mundi rotant,
Manus ligantur fásciis:
Imbellis & plorans jacet,
Ut nos jacentes érigat.

Sit laus Patri qui te dedit
Jesu, salútem géntibus;
Sit laus tibi qui náſceris;
Par ſit tibi laus, Spiritus.
Amen.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini: ℟. Deus Dóminus, & illuxit nobis. *Pſ.* 117.

Ad Benedíctus. *Ant.* Venérunt paſtóres feſtinantes; & invenérunt Maríam, & Joſeph, & infantem póſitum in præſépio. Videntes autem, cognovérunt de verbo quod dictum erat illis de púero. *Luc.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

CONcéde, quæſumus, omnípotens Deus; † ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, * quos ſub peccáti jugo vetuſta ſérvitus tenet; Per eumdem.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Calcedonenſi quarto. *An.* 451. *Act.* 5.

SEquentes ſanctos Patres unum eumdemque confitéri Fílium & Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum conſonanter omnes docémus, eumdem perfectum in deitáte, & eumdem perfectum in humanitáte, Deũ verum & hóminem verum; eumdem ex ánimâ rationáli & córpore, conſubſtantiálem Patri ſecundùm deitátem, conſubſtantiálem nobis eumdem ſecundùm humanitátem, per ómnia nobis ſímilem abſque peccáto: ante ſécula quidem de Patre génitum ſecundùm deitátem, in noviſſimis autem diébus eumdem propter nos & propter noſtram ſalútem ex Maríâ Vírgine Dei Genitríce ſecundùm humanitátem; unum eumdemque Chriſtum, Fílium, Dóminum, Unigénitum, in duábus natúris inconfúsè, immutabíliter, indivisè, inſeparabíliter agnoſcendum; nuſquàm ſublátâ differéntiâ naturárum propter unitiónem, magíſque ſalvâ proprietáte utriuſque natúræ, & in unam perſónam atque ſubſiſténtiam concurrente: non in duas perſónas partítum aut divíſum, ſed unum eumdemque Fílium & Unigénitum Deum Verbum, Dóminum Jéſum Chriſtum, ſicut antè Prophétæ de eo, & ipſe nos Jeſus Chriſtus erudívit, & Patrum nobis Symbolum trádidit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Tit.* 3.

CUm benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris noſtri Dei; † non ex opéribus juſtítiæ quæ fécimus nos, * ſed ſecundùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit.

℣. In humilitate nostrâ memor fuit nostri: ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus. *Ps.* 135.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Gal.* 1.

DEdit semetipsum Dóminus noster Jesus Christus pro peccátis nostris, † ut eriperet nos de præsenti século nequam, * secundum voluntátem Dei & Patris.

℣. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; ℟. Quóniam loquétur pacem in plebem suam. *Ps.* 84.

AD NONAM.

LECTIO. *Tit.* 2.

APpáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, † erúdiens nos, ut abnegantes impietátem & seculária desidéria, * sóbriè, & justè, & piè vivámus in hoc século.

℣. Vidérunt omnes términi terræ, ℟. Salutáre Dei nostri. *Ps.* 97.

AD II. VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

Ant. Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus sanctórum: ex útero ante lucíferum génui te.

II. *Ps.* 110. Confitébor... in concílio. *pag.* 29.

Ant. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo: mandávit in ætérnum testaméntum suum.

III. *Ps.* 111. Beátus vir. *pag.* 29.

Ant. Exortum est in ténebris lumen rectis corde: miséricors, & miserátor, & justus Dóminus.

IV. *Ps.* 131. Memento Dómine David. *cum suâ divisione, pag.* 160.

Ant. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

LECTIO. *I. Joan.* 4.

IN hoc appáruit cáritas Dei in nobis, † quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, * ut vivámus per eum.

℟. *br.* Notum fecit Dóminus * Salutáre suum. ℟. Notum. ℣. In conspectu géntium revelávit justítiam suam, * Salutáre. ℣. Glória. ℟. Notum. *Ps.* 97.

HYMNUS. *C.*

JESU Redemptor ómnium,
Summi Parentis única,
Qui solus ante sécula
Patri Deo par náisceris:

Tu nostra pax & glória,
Spes una tu mortálium,
Intende quas tibi preces
De cordis arâ fúndimus.

Qui córporis nostri volens,
Nascendo formam súscipis,
Divinitátis nos simul
Das esse consórtes tuæ.

Ad illud evectos decus
Tuére fratres ; dégener
Ne vita sontes prístinam
In vilitátem déprimat.

Hoc sancta te poscit dies,
Ortûs dies tui memor,
Quâ lúcido surgens thoro
Sol verus orbem vísitas.

Nunc ergo terra, nunc polus,
Vastique tractus æquoris,
Qui te dedit, festis Patrem
Laudáre certant cánticis.

Et nos, perennis ô quibus
Salútis autor násceris,
Faustum triumpháli juvat
Ornáre concentu diem.

¶ Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sécula.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia ad omnes horas dicitur usque ad Epiphaniam.*

℣. Hic est Deus, Deus noster in æternum: ℟. Ipse reget nos in sécula. *Ps.* 47.

Ad Magníficat. *Ant.* Fílius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum, & simus in vero Fílio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna. *I. Joan.* 5.

Pro Commemoratione S. Stephani, Ant. Mitto ad vos Prophétas & sapientes ; & ex illis occidétis & flagellábitis in synagógis vestris, & persequémini, ut véniat super vos omnis sanguis justus qui effúsus est super terram. *Matth.* 23.

℣. Misit Deus ante eos virum : ℟. Elóquium Dómini inflammávit eum. *Ps.* 104.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 280.

Die XXVI. Decemb.

S. STEPHANI,
DIACONI
ET PROTOMARTYRIS.

Festivitas II. Classis.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum, quem vidit Stéphanus stantem à dextris Dei, *Venite adorémus. *Act.* 7.

HYMNUS. *S. V.*

O, Qui tuo, dux Mártyrum,
Præfers corónam nómine,
Non de cadúcis flóribus
Tibi corónam néctimus.

Tuo cruenta sánguine
Quàm saxa fulgent púlcriùs
Aptáta sacro vértici !
Non sic micárent sídera.

Quot facta fronti vúlnera,
Tot tela lucis émicant ;
Et Angelo monstrat parem
Quod prodit è vultu jubar.

Tu prima Christo víctimæ

Vitam rependis victima,
Primusque testis, æmulo
Deum fatéris funere.

Te confitémur, ô Pater;
Te, Nate, teque, Spiritus,
Certáre qui das fortiter,
Feliciterque vincere.
Amen.

Ant. & ℣. I. & II. Noct. ut in Comm. unius Mart.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Cap. 3.

QUapropter sicut dicit Spíritus sanctus: Hódiè si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secundùm diem tentatiónis in deserto, ubi tentavérunt me patres vestri. Vidéte, fratres, ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis, discedendi à Deo vivo: sed adhortámini vosmetipsos per síngulos dies, donec hódiè cognominátur, ut non obdurétur quis ex vobis falláciâ peccáti. Partícipes enim Christi effecti sumus: si tamen inítium substántiæ ejus usque ad finem firmum retineámus.

℟. Per Christum máxima & pretiósa nobis promissa donávit Deus: * Ut per hæc efficiámini divínæ consortes natúræ: fugientes ejus quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem. ℣. Vocávit nos própriâ glóriâ & virtúte. * Ut. *II. Petr. 1.*

LECTIO II. *Cap. 3. & 4.*

DUm dicitur: Hódiè si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, quemádmodum in illâ exacerbatióne. Quidam enim audientes exacerbavérunt: sed non univérsi qui profecti sunt ex Ægypto per Móysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? nonne illis, qui peccavérunt, quorum cadávera prostráta sunt in deserto? Quibus autem jurávit non introíre in réquiem ipsíus, nisi illis qui incréduli fuérunt? Et vidémus, quia non potuérunt introíre propter incredulitátem. Timeámus ergo ne fortè relictâ pollicitatióne introeundi in réquiem ejus, existimétur áliquis ex vobis deesse. Etenim & nobis nuntiátum est quemádmodum & illis. Sed non prófuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis quæ audiérunt.

℟. Nolíte induráre cervíces vestras, sicut patres vestri: * Servíte Dómino Deo patrũ vestrórũ. ℣. Liberáti à peccáto, servi facti estis justítiæ. * Servíte. *II. Paral. 30. Rom. 6.*

LECTIO III.

INgrediémur enim in réquiem, qui credídimus, quemádmodum dixit: Si

urávi in irâ meâ : si
ibunt in réquiem meã:
idem opéribus ab in-
ióne mundi perfectis.
enim in quodam loco
e séptimâ sic : Et re-
it Deus die séptimâ
nnibus opéribus suis.
ı isto rursùm : Si in-
ınt in réquiem meam.
ıiam ergo superest in-
: quosdam in illam,
quibus prióribus an-
átum est, non introié-
propter incredulitá-
íterum términat diem
ıdam, Hódiè, in Da-
icendo, post tantum
oris, sicut suprà di-
est : Hódiè si vocem
ıudiéritis, nolíte ob-
e corda vestra. Nam
Jesus réquiem præsti-
, nunquam de áliâ lo-
tur, posthac, die.
Peregríni sumus, co-
e, Dómine, & ád-
sicut patres nostri.
es nostri quasi umbra
terram, & nulla est
. ℣. In hoc ingemís-
s, habitatiónem no-
ı, quæ de cœlo est, su-
dui cupientes. * Dies.
ıral. 29. *II. Cor.* 5.

ECTIO IV.

que relínquitur sab-
tismus pópulo Dei.
enim ingressus est in
em ejus ; étiam ipse
évit ab opéribus suis,
à suis Deus. Festiné-
ergo íngredi in illam
réquiem : ut ne in idipsum quis íncidat incredulitátis exemplum. Vivus est enim sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti : & pertingens usque ad divisiónem ánimæ ac spíritûs, compágum quoque ac medullárum, & discrétor cogitatiónum & intentiónum cordis. Et non est ulla creatúra invisíbilis in conspectu ejus : ómnia autem nuda & aperta sunt óculis ejus, ad quem nobis sermo.

℟. Exeámus ad Jesum extra castra impropérium ejus portantes ; * Non enim habémus hìc manentem civitátem, sed futúram inquírimus. ℣. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam. * Non. ℣. Glória. * Non. *Hebr.* 13. *Ps.* 114.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Sermóne tértio sancti Fulgéntii Epíscopi de sancto Stéphano. *Nov. Edit. n.* 1. *&* 3.

HEri celebrávimus temporálem sempitérni Regis nostri Natálem : hódie celebrámus triumphálem mílitis passiónem. Necessárium nobis est, fratres caríssimi, agnóscere quibus armis præcinctus Stéphanus, sævítiam Judæórum pótuit superáre, ut ita meruísset felíciter triumpháre. Procul dúbio

munímine régio septus, nullátenus est ab adversáriis superátus. Quóniam Rex noster, cùm sit Altíssimus, pro nobis húmilis venit, sed inánis veníre non pótuit. Adtulit namque donum caritátis, quo perdúceret hómines ad consórtium deitátis. Cáritas ergo quæ de cœlo ad terras depósuit Christum, ipsa Stéphanum de terrâ elevávit ad cœlum. O admiranda ubíque poténtia Salvatóris! O prædicanda indesinenter grátia Redemptóris!

℟. Ego replétus sum fortitúdine Spíritûs Dómini, judício & virtúte. * Ut annúntiem Jacob scelus suum. ℣. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum. * Ut. *Mich.* 3. *III. Reg.* 19.

LECTIO VI.

STéphanus, ut nóminis sui corónam meruísset accípere, caritátem pro armis habébat, & per ipsam ubíque vincébat. Per caritátem Dei, sæviéntibus Judæis non cessit; per caritátem próximi, pro lapidántibus intercessit. Per caritátem arguébat errantes, ut corrigeréntur; per caritátem pro lapidántibus orábat, ne puniréntur. Caritátis virtúte subníxus, vicit Saulum crudéliter sævientem, & quem hábuit in terrâ persecutórem, in cœlo méruit habére consortem.

℟. Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam; & super inimícos tuos tabescébam? * Perfécto ódio óderam illos; & inimíci facti sunt mihi. ℣. Deféctio ténuit me pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam. * Perfécto. *Ps.* 138 & 118.

LECTIO VII.

Ex Sermóne trecentésimo décimo octávo sancti Augustíni Epíscopi. *De Mart. Steph. Edit. Bened. n.* 1.

STéphani corpus usque ad ista témpora látuit: nuper autem appáruit, sicut solent apparére sanctórum córpora Mártyrum, revelatióne Dei, quando plácuit Creatóri. Præcedéntibus enim signis locus demonstratus est; & quómodo fúerat revelátum, sic & inventum est: multi inde relíquias accepérunt, quia Deus vóluit, & huc venérunt. Commendátur ergo caritáti vestræ & locus & dies: utrumque celebrandum in honórem Dei, quem conféssus est Stéphanus. Nos enim in isto loco non aram fécimus Stéphano, sed de relíquiis Stéphani aram Deo. Grata sunt Deo hujúsmodi altária.

℟. Multæ tribulatiónes

stórum, & de ómnibus is liberábit eos Dóminus. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum; unum ex his non conterétur. ℣. Vidi subtus altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter testimónium quod habébant. Custódit. *Ps.* 33. *Apoc.* 6.

LECTIO VIII.

Ex Libro vigésimo secundo ejusdem de Civitáte Dei. *Edit. Bened. Cap.* 8. *n.* 10 & 11.

AD aquas Tibilitánas Epíscopo afferente prajecto relíquias mártyris gloriosíssimi Stéphani, ad ejus Memóriam veniébat magnæ multitúdinis concursus & occursus. Ibi cæca múlier, ut ad Epíscopum portantem ducerétur orávit: flores quos ferébat dedit, recépit, óculis admóvit, prótinus vidit. Stupéntibus qui áderant, præíbat exsultans, viam carpens, & viæ ducem ultériùs non requírens. Memoráti Memóriam Mártyris, quæ pósita est in castello Sinitensi, quod Hipponensi colóniæ vicínum est, ejusdem loci Lucillus Epíscopus, pópulo præcedente atque sequente portábat. Fístula, cujus moléstiâ jam diu laboráverat, & familiaríssimi súi médici, qui eam secáret, opperiebátur manus, illíus piæ sárcinæ vectatióne, repentè sanáta est: nam deinceps eam in suo córpore non invénit.

℟. Ego consolábor vos, & in Jerúsalem consolabímini. Vidébitis, & gaudébit cor vestrum; * Et ossa vestra quasi herba germinábunt, & † Cognoscétur manus Dómini servis ejus. ℣. Sicut sócii passiónum estis, sic éritis & consolatiónis. * Et ossa. ℣. Glória. † Cognoscétur. *Isai.* 66. *II. Cor.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Cantica; Ant. & ℣. de Communi unius Mart.

LECTIO IX.

Ex Áctibus Apostolórum. *Cap.* 6.

CRescente número discipulórum, factum est murmur Græcórum advérsùs Hebræos, eo quòd despicerentur in ministério quotidiáno víduæ eórum. Convocantes autem duódecim multitúdinem discipulórum dixérunt: Non est æquum nos derelínquere verbum Dei, & ministráre mensis. Consideráte ergo, fratres, viros ex vobis boni testimónii septem, plenos Spíritu sancto, & sapiéntiâ, quos constituámus super hoc opus. Nos verò oratióni, & ministério verbi instantes érimus. Et plácuit ser-

mo coram omni multitúdine. Et elegérunt Stéphanum, virum plenum fide & Spíritu sancto, & Philíppum, & Próchorum, & Nicánorem, & Timónem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochénum. Hos statuérunt ante conspéctum Apostolórum: & orantes imposuérunt eis manus.

℟. Statues Levítas in conspéctu Aaron, & filiórum ejus; * Et consecrábis oblátos Dómino, ac separábis de médio filiórum Israel, ut sint mei. ℣. Hi probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes. * Et. *Num.* 8. *I. Tim.* 3.

LECTIO X.

ET verbum Dómini crescébat, & multiplicabátur númerus discipulórum in Jerúsalem valde: multa étiam turba sacerdótum obediébat fidei. Stéphanus autem plenus grátiâ & fortitúdine faciébat prodígia & signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de synagógâ, quæ appellátur Libertinórum, & Cyrenénsium, & Alexandrinórum, & eórum qui erant à Cilíciâ, & Asiâ, disputantes cum Stéphano: & non póterant resístere sapiéntiæ, & Spirítui, qui loquebátur. Tunc summisérunt viros, qui dícerent se audivisse eum dicentem verba blasphémiæ in Móysen, & in Deum.

℟. Ego dedi te in colúmnam férream & in murum æreum: * Bellábunt advérsum te, & non prævalébunt, quia ego tecum sum. ℣. Ne formides à fácie eórum; nec enim timére te fáciam vultum eórum. * Bellábunt. *Jerem.* 1.

LECTIO XI.

COmmovérunt ítaque plebem, & Senióres, & Scribas: & concurrentes rapuérunt eum, & adduxérunt in concílium, & statuérunt falsos testes, qui dícerent: Homo iste non cessat loqui verba advérsùs locum sanctum, & legem. Audívimus enim eum dicentem: Quóniam Jesus Nazarénus hic, déstruet locum istum, & mutábit traditiónes, quas trádidit nobis Móyses. Et intuentes eum omnes, qui sedébant in concílio, vidérunt fáciem ejus tamquàm fáciem Angeli.

℟. Durâ cervíce, & incircumcísis córdibus & áuribus, vos semper Spirítui sancto resístitis, * Sicut patres vestri, ita & vos. ℣. Mittébat eis Deus Prophétas, ut reverteréntur ad Dóminum, quos protestantes illi audíre nolébant. * Sicut. *Act.* 7. *II. Paral.* 24.

LECTIO XII. *Cap.* 7.

CUm autem esset plenus Spíritu Sancto, intendens in cœlum, vidit glóriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce vídeo cœlos apertos, & Fílium hóminis stantem à dextris Dei. Exclamantes autem voce magnâ continuérunt aures suas, & ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejicientes eum extra civitátem lapidábant; & testes deposuérunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocantem & dicentem: Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. Pósitis autem génibus, clamávit voce magnâ, dicens: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixisset, obdormívit in Dómino.

℟. Lapidábant Stéphanum invocantem, & dicentem: * Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. ℣. In manus tuas commendo spíritum meum: redemisti me Dómine Deus veritátis: * Dómine. ℣. Glória. * Dómine. *Act.* 7. *Ps.* 30.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 23.

DIcébat Jesus Scribis & Pharisæis: Ecce ego mitto ad vos Prophétas, & sapientes, & Scribas, & ex illis occidétis, & crucifigétis, & ex eis flagellábitis in synagógis vestris, & persequémini de civitáte in civitátem: ut véniat super vos omnis sanguis justus, qui effúsus est super terram, à sánguine Abel justi usque ad sánguinem Zacharíæ filii Barachíæ, quem occidistis inter templum & altáre. Amen dico vobis, vénient hæc ómnia super generatiónem istam. Jerúsalem, Jerúsalem, quæ occídis Prophétas, & lápidas eos qui ad te missi sunt, quóties vólui congregáre filios tuos, quemádmodum gallína cóngregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquétur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me vidébitis ámodò, donec dicátis: Benedictus qui venit in nómine Dómini.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. STéphanus plenus grátiâ & fortitúdine, faciébat prodígia & signa magna in pópulo. *Act.* 6.

II. Surrexérunt quidam de synagógâ, disputantes cum Stéphano; & non póterant resístere sapiéntiæ & Spirítui qui loquebátur. *Act.* 6.

III. Cùm esset plenus Spíritu sancto, intendens in cœlum vidit glóriam

Dei, & Jesum stantem à dextris Dei. *Act.* 7.

IV. Ecce video cœlos apertos, & Filiū hóminis stantem à dextris Dei. *Act.* 7.

V. Exclamantes voce magnâ, continuérunt aures suas, & impetum fecérunt unanimiter in eum; & ejicientes eum extra civitátem, lapidábant. *Act.* 7.

LECTIO. *Luc.* 11.

SApiéntia Dei dixit: † Mittam ad illos Prophétas & Apóstolos, & ex illis occídent & persequentur, * ut inquirátur sánguis ómnium Prophetárum, qui effúsus est à constitutióne mundi, à generatióne istâ.

℟. *br.* Filii hóminum, * Usquequò gravi corde. ℟. Filii. ℣. Ut quid diligitis vanitátem, & quæritis mendácium? * Usquequò. ℣. Glória. ℟. Filii. *Ps.* 4.

HYMNUS. *S. V.*

MIris probat sese modis
Suos in hostes cáritas;
Et blándiens & íncrepans,
Amíca semper cáritas.

Dum saxa corpus ópprimunt,
Ad astra mens attóllitur:
O Christe, dixit, súscipe
Quem pono pro te spíritum.

Qui stans perorábat sibi;
Cadens & exspírans humi,
Linguâ diserti sánguinis
Suis perórat hóstibus.

Audivit è cœlo Deus
Supréma verba Mártyris;
Dux Saulus, & testis necis,
Necis fit ipse præmium.

Quid non, Deus, si réspicis,
Humána possunt péctora?
Cujus triumphum pángimus,
Fac nos & exemplum sequi.

Qui natus es de Vírgine,
JESU, tibi sit glória
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Tu, Dómine, susceptor meus es, ℟. Glória mea, & exaltans caput meum. *Ps.* 3.

Ad Benedictus. *Ant.* Ecce in cœlo testis meus, & cónscius meus in excelsis. *Job.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DA nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus & inimícos dilígere; † quia ejus natalítia celebrámus, * qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui.

Pro Commemoratione Natalis Domini, Ant. Glória in altíssimis Deo, & in terrâ pax homínibus bonæ voluntátis. *Luc.* 2.

℣. Benedictus qui ve-

nit in nómine Dómini : ℟. Deus Dóminus, & illúxit nobis. *Ps.* 117.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

PRæsta, quæsumus, Dómine Deus noster, sacramentum hoc in Ecclésiis tuis indifferenter intélligi; † ut unus Christus in Dei atque hóminis veritáte, * nec à nostrâ divísus natúrâ, nec à tuâ discrétus adorétur esséntiâ : Qui tecum vivit.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Epístolâ sancti Cœlestíni Papæ ad Clerum Constantinopolitánum. *An.* 431.

PAtiéntiæ vobis atque constántiæ forma, Stéphanus primus Christi testis existat. Plebs in hunc prædicantem strídvit perfidórum : nec tamen idóneus Christi comes tácuit, quod vidébat.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Luc.* 21.

DAbo vobis os & sapiéntiam, † cui non póterunt resístere * & contradícere omnes adversárii vestri.

℣. Dóminus mihi adjútor; ℟. Et ego despíciam inimícos meos. *Ps.* 117.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Matth.* 10.

AD præsides & ad reges ducémini propter me, in testimónium illis & géntibus. † Cùm autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini; * dábitur enim vobis in illâ horâ quid loquámini.

℣. Providébam Dóminum in conspectu meo semper; ℟. Quóniam à dextris est mihi, ne commóvear. *Ps.* 15.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Pet.* 3.

NOn reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; † sed è contrário benedicentes; * quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hæreditáte possideátis.

℣. Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus : ℟. Cùm loquébar illis impugnábant me gratis. *Ps.* 119.

AD VESPERAS.

Psalmi & Antiphonæ ut in Natali Domini, pag. 272.

LECTIO. *Matth.* 5.

DIlígite inimícos vestros, † benefácite his qui odérunt vos; * & oráte pro persequéntibus & calumniántibus vos.

℟. *br.* Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * Ego autem orábam. ℟. Pro eo. ℣. Posuérunt adversùm me mala pro bonis, & ódium pro dile-

ctióne meâ. * Ego. ℣. Glória. ℟. Pro eo. Pſ. 108.

Hymnus, Miris probat ſeſe modis. *ſuprà ad Laudes, pag.* 280.

℣. Si réddidi retribuéntibus mihi mala, ℟. Décidam méritò ab inimícis meis inánis. Pſ. 7.

Ad Magníficat. *Ant.* Pósitis génibus, clamávit voce magnâ: Dómine, ne ſtátuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormívit in Dómino. *Act.* 7.

Pro Commemoratione S. Joannis, Ant. Amantíſſimus Dómini habitábit confidenter in eo; quaſi in thálamo totâ die morábitur, & inter húmeros illíus requieſcet. *Deut.* 33.

℣. In velamento alárum tuárum exſultábo, Dómine: ℟. Adhæſit ánima mea poſt te. Pſ. 62.

Collecta, Præſta, quæſumus, *ut infrà ad Laudes, pag.* 290.

Pro Commemoratione Natalis Domini, Ant. Non miſit Deus Fílium ſuum in mundum, ut júdicet mundum; ſed ut ſalvétur mundus per ipſum. *Joan.* 3.

℣. Hic eſt Deus, Deus noſter in æternum: ℟. Ipſe reget nos in ſǽcula. Pſ. 47.

Collecta, Præſta, quæſumus. *ut ſuprà ad Laudes, pag.* 281.

DIE XXVII. DECEMB.

SANCTI JOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Feſtivitas III. Claſſis.

AD OFFICIUM NOCT.

In Pſ. Veníte. *Ant.* Jeſum, in cujus ſinu recúbuit Joannes, * Veníte, adorémus. *Joan.* 13.

HYMNUS. *S. V.*

O Dilecte Deo, lúmine ſpléndidum
Cui Numen propiùs ſe dedit áſpici:
Tu ſecréta Dei, mentis & íntimæ
Rimáris penetrália.

Ceu pennis aquilæ raptus in æthera,
Cœlum mente petis, sídera tránſvolas;
Nil obſtant utili fulgura lúminis
Nudo Númine páſcèris.

Æterno genitum de Patre Fílium,
Demptâ nube vides, èque Deo Deum;
Deſcendiſſe ſacros de patrio ſinu,
Caſtæ Vírginis in ſinus.

In nos hoc potuit tantus amor Dei!
Terris ipſe ſui núminis ímmemor,

Nobis factus homo, se facit exsulem,
Ut cœlo trahat éxsules.
Per te sacra patent ábdita Vátibus;
Quæ lux in tenebris fúlgeat, índicas.
A quo vita fluit, princípium petis,
Et primórdia lúminis.
Sit laus summa Patri, summaque Fílio,
Sit par Sancte tibi glória, Spíritus:
Hæc est certa fides, fóntibus è tuis
Quam divínitùs háusimus. Amen.

Antiphone I. & II. Noct. de Communi Apostolorum.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Cap.* 5.

NEc quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tamquàm Aáron. Sic & Christus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fieret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum & in álio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundùm órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum fácere à morte, cum clamóre válido & lácrymis ófferens, exaudítus est pro suâ reveréntiâ: & quidem cùm esset Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam: & consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi, causa salútis ætérnæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchísedech.

℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum; * Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech. ℣. Christus, non secundùm legem mandáti carnális factus est sacerdos, sed secundùm virtútem vitæ insolúbilis: contestátur enim: * Tu es. *Ps.* 109. *Hebr.* 7.

LECTIO II.

DE quo nobis grandis sermo, & ininterpretábilis ad dicendum: quóniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cùm deberétis magistri esse propter tempus: rursum indigétis ut vos doceámini quæ sint elementa exórdii sermónum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non sólido cibo. Omnis enim qui lactis est párticeps, expers est sermónis justítiæ: párvulus enim est. Perfectórum autem est sólidus cibus: eórum qui pro consuetúdine exercitátos habent sensus ad discretiónem boni ac mali.

℞. Non pótui vobis loqui quasi spirituálibus: sed quasi carnálibus: * tamquàm párvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poterátis. ℣. Créscite verò in grátiâ, & in cognitióne Dómini nostri & Salvatóris Jesu Christi. * Tamquàm. *I. Cor.* 3. *II. Petr.* 3.

LECTIO III. *Cap. 6.*

QUapropter intermittentes inchoatiónis Christi sermónem, ad perfectióra ferámur, non rursum jacientes fundamentũ pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, & fídei ad Deum, baptísmatum doctrínæ, impositiónis quoque mánuũ, & resurrectiónis mortuórum, & judícii æterni. Et hoc faciémus, si quidem permíserit Deus. Impossíbile est enim eos, qui semel sunt illumináti, gustavérunt étiam donum cœleste, & partícipes facti sunt Spíritûs sancti, gustavérunt nihilóminus bonum Dei verbum, virtutésque sǽculi ventúri, & prolapsi sunt; rursus renovári ad pœniténtiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Fílium Dei, & osténtui habentes.

℞. Voluntáriè peccántibus post acceptam notítiam veritátis, * Jam non relínquitur pro peccátis hóstia; terríbilis autem quædam exspectátio judícii, & ignis æmulátio, quæ consumptúra est adversários. ℣. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ullâ miseratióne móritur: quantò magìs putátis deterióra meréri supplícia, qui spíritu grátiæ contuméliam fécerit? * Jam. *Hebr.* 10.

LECTIO IV.

TErra enim sæpè veniéntem super se bibens imbrem, & génerans herbam opportúnam illis, à quibus cólitur; áccipit benedictiónem à Deo. Próferens autem spinas ac tríbulos réproba est, & maledícto próxima: cujus consummátio in combustiónem. Confídimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra, & viciniora salúti: tametsi ita lóquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, & dilectiónis quam ostendistis in nómine ipsíus, qui ministrastis sanctis, & ministrátis. Cúpimus autem unumquemque vestrûm eamdem ostentáre sollicitúdinem ad expletiónem spei usque in finem: ut non segnes efficiámini, verùm imitatóres eórum, qui fide, & patiéntiâ hæreditábunt promissiónes.

℞. Nolíte amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem: * Patiéntia enim

ıecessária est, ut
tem Dei faciéntes,
is promissiónem.
fatigémini ánimis
deficientes; * Pa-
℣. Glória. * Pa-
Hebr. 10. & 12.

. NOCTURNO.

ECTIO V.

logo sancti Hieró-
Presbyteri in Com-
ários super Mat-
m. *Edit. Bened.*

ıgelistárum últimus
ınnes Apóstolus &
listа, quem Jesus
plúrimùm, qui su-
tus Dómini recum-
puríssima doctriná-
lentа potávit, & qui
le cruce méruit au-
Ecce mater tua. Is
let in Asiâ, & jam
æreticórum sémina
rent Cerinthi, Ebió-
cæterórum qui ne-
Christum in carne
(quos & ipse in
lâ suâ antichristos
, & Apóstolus Pau-
equenter pércutit)
s est ab ómnibus
ınc Asiæ Epíscopis &
ũ Ecclesiárum lega-
us, de divinitáte Sal-
s áltiùs scríbere; &
um, ut ita dicam,
rbum, non tam au-
quàm felíci temeri-
rorúmpere. Et Eccle-
a narrat história,
à frátribus cogeré-
scríberet; ita factú-
rum se respondísse, si in-
dícto jejúnio in commúne
omnes Deum precaréntur:
quo expléto, revelatióne
saturátus, in illud proœ-
mium cœlo véniens eructá-
vit: In princípio erat Ver-
bum, & Verbum erat apud
Deum, & Deus erat Ver-
bum: hoc erat in princí-
pio apud Deum.

℟. Vita manifestáta est & vídimus, & testámur, & * Annuntiámus vobis vitam ætérnam quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis. ℣. Non doctas fábulas secúti, notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem, & præséntiam, sed speculatóres facti illíus magnitúdinis, * Annuntiámus. *I. Joan. 1. II. Petr. 1.*

LECTIO VI.

Ex Libro ejúsdem de Scriptóribus Ecclesiásticis. *Edit. Bened. Cap. 9.*

QUarto décimo ígitur anno, secúndam post Nerónem persecutiónem movénte Domitiáno, in Patmos ínsulam relegátus, scripsit Apocalypsim quam interpretátur Justínus martyr, & Irenæus. Interfécto autem Domitiáno, & actis ejus, ob nímiam crudelitátem, à Senátu rescíssis, sub Nervâ príncipe rédiit Ephesum: ibíque usque ad Trajánum príncipem persevérans, totas Asiæ fundá-

vit rexitque Ecclésias : & confectus sénio, sexagésimo octávo post passiónem Dómini anno mórtuus, juxta eamdem urbem sepultus est.

℟. Fui in spíritu in Domínicâ die, & audívi post me vocem magnam tamquàm tubæ dicentis : * Quod vides, scribe in libro. ℣. Oportet te íterum prophetáre géntibus, & pópulis, & linguis, & régibus multis ; * Quod. *Apoc.* 1. & 10.

LECTIO VII.

Ex Libro tértio Commentariórum ejusdem in Epístolam ad Gálatas. *Edit. Bened. Cap.* 6.

BEátus Joannes Evangelista, cùm Ephesi morarétur usque ad últimam senectútem ; & vix inter discipulórum manus ad Ecclésiam deferrétur ; nec posset in plura vocum verba contéxere, nihil áliud per síngulas solébat proferre Collectas, nisi hoc : Filíoli, dilígite altérutrum. Tandem discípuli, & fratres, qui áderant, tædio affecti quòd éadem semper audírent, dixérunt : Magister, quare semper hoc lóqueris ? Qui respondit dignam Joanne senténtiam : Quia præceptum Dómini est ; & si solum fiat, sufficit.

℟. Hæc est annuntiátio quam audístis ab inítio, * Ut diligátis altérutrum. ℣. Omnis lex in uno sermóne implétur. * Ut. *I. Joan.* 3. *Galat.* 5.

LECTIO VIII.

Ex Libro primo sancti Augustíni Epíscopi de consensu Evangelistárum. *Cap.* 4.

TRes primi Evangelistæ in his rebus máximè diversáti sunt, quas Christus per humánam carnem temporáliter gessit : porrò autem Joannes ipsam máximè divinitátem Dómini, quâ Patri est æquális, intendit, eamque præcípuè suo Evangélio, quantùm inter hómines sufficere crédidit, commendáre curávit. Itaque longè à tribus istis supériùs fertur ; ita ut hos vídeas quodámmodo in terrâ cum Christo hómine conversári ; illum autem transcendisse nébulam, quâ tégitur omnis terra & pervenisse ad líquidum cœlum, unde ácie mentis acutíssimâ atque firmíssimâ vidéret, in princípio Verbum Deum apud Deum, per quē facta sunt ómnia ; tamquàm qui de péctore ipsíus Dómini, super quod discúmbere in ejus convívio sólitus erat, secrétum divinitátis ejus ubériùs, & quodámmodo familiáriùs bíberit.

℟. Hic est discípulus ille

Ille, qui testimónium pérhibet de his, & scripsit hæc; * Et † Scimus quia verum est testimónium ejus. ℣. Qui vidit, testimónium perhíbuit. * Et scimus. ℣. Glória. † Scimus. *Joan.* 21 & 19.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. de Communi Apostolorum.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Joánnis Apóstoli. *Cap.* 4.

CAríssimi, nolíte omni spirítui crédere, sed probáte spíritus si ex Deo sint: quóniam multi pseudoprophétæ exiérunt in mundum. In hoc cognóscitur spíritus Dei: omnis spíritus qui confitétur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spíritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est antichristus, de quo audistis quóniam venit, & nunc jam in mundo est. Vos ex Deo estis, filíoli, & vicistis eum, quóniam major est qui in vobis est, quàm qui in mundo. Ipsi de mundo sunt: ídeò de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognóscimus spíritum veritátis, & spíritum erróris.

℟. Nos vídimus & testificámur quóniam * Pater misit Filium suum Salvatórem mundi. ℣. Ut remittat nobis peccáta nostra, & emundet nos ab omni iniquitáte. * Pater. *I. Joan.* 4 & I.

LECTIO X.

CAríssimi, diligámus nos ínvicem: quia cáritas ex Deo est. Et omnis, qui díligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non díligit, non novit Deum: quóniam Deus cáritas est. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Filium suum Unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est cáritas: non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior diléxit nos, & misit Filium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. Caríssimi, si sic Deus diléxit nos: & nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit unquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & cáritas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognóscimus quóniam in eo manémus & ipse in nobis: quóniam de Spíritu suo dedit nobis.

℟. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. * Qui non díligit manet in morte. ℣. Hoc

Quidquid faris, Amor, sic amor ímperat:
Vix sese capiens æstuat, & suis
Pectus rúmpitur ígnibus.
Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Par, sit Sancte, tibi glória, Spíritus:
Hæc est certa fides, fontibus è tuis
Quam divínitus háusimus. Amen.

℣. Veritátem dilexísti, Dómine, ℟. Incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi. *Ps.* 50.

Ad Benedictus. *Ant.* Erat recumbens unus ex discípulis ejus in sinu Jesu quem diligébat Jesus. *Joan.* 13.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus; † ut excelléntiam Verbi tui, quam beátus Evangelista Joannes adséruit, & conveniénter intellígere valeámus, * & veráciter confitéri: Per eumdem.

Pro Commemoratione Natalis Domini. Ant. In hoc appáruit Fílius Dei, ut dissolvat ópera diáboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccátum non facit. *I. Joan.* 3.

℣. Benedictus qui venit in nómine Dómini; ℟. Deus Dóminus, & illuxit nobis. *Ps.* 117.

Collecta. *Sacr. Leon.*

COncéde, quæsumus, Dómine Deus noster, † ut qui ad destructiónem diáboli, & remissiónem natus est peccatórũ, * & à culpárum subreptióne nos éxpiet, & ab hóstium incursióne defendat: Qui tecum.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Epístolâ sancti Cœlestíni Papæ, ad Concílium Ephesínum. *An.* 431.

VOs hortor, fratres beatíssimi, respiciátur illa diléctio, in quâ útique, secundùm vocem Joannis Apóstoli, cujus relíquias præsentes venerámini, manére debémus.

AD TERTIAM.

Lectio. *I. Joan.* 1.

QUod vídimus & audívimus annuntiámus vobis; † ut & vos societátem habeátis nobiscum, * & sócietas nostra sit cum Patre, & cum Fílio ejus Jesu Christo.

℣. Testimónia tua, Dómine, ℟. Credibília facta sunt nimis. *Ps.* 92.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Joan.* 11.

HOc est testimónium, † quóniam vitam ætérnam dedit nobis Deus; &

hæc vita in Fílio ejus est. * Qui habet Fílium, habet vitam; qui non habet Fílium, vitam non habet.

℣. In generatiónem & generatiónem, ℟. Annuntiábo veritátem tuam in ore meo. *Ps.* 88.

A D N O N A M.

Lectio. *I. Joan.* 4.

DEum nemo vidit unquam. † Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, * & cáritas ejus in nobis perfecta est.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quam abscondísti timéntibus te! *Ps.* 30.

AD VESPERAS.

Psalmi & Antiphonæ ut in Natali Domini, pag. 272.

Lectio. *Apoc.* 1.

EGo Joannes frater vester & párticeps in tribulatióne, & regno, & patiéntiâ in Christo Jesu, † fui in ínsulâ quæ appellátur Patmos propter verbū Dei, * & testimónium Jesu.

℟. *br.* Usque nunc, Dómine, * Pronuntiábo mirabília tua. ℟. Usque nunc. ℣. Et usque in senectam & sénium. * Pronuntiábo. ℣. Glória. ℟. Usque nunc. *Ps.* 70.

Hymnus. O dilecte Deo. *ut suprà ad Offic. Noct. pag.* 282.

℣. Tribuísti ei, Dómine, longitúdinem diérum in sǽculum. ℟. Magna est glória ejus in salutári tuo. *Ps.* 20.

Ad Magníficat. *Ant.* Dóminus Deus spírituum Prophetárum misit Angelum suum osténdere servis suis quæ oportet fieri citò. Beátus qui custódit verba prophetíæ libri hujus. *Apoc.* 22.

Commemoratio SS. Innocentium, Ant. Vox in excelso audita est lamentatiónis, luctûs, & fletûs Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolári super eis, quia non sunt. *Jerem.* 31.

℣. Captábunt in ánimam justi, ℟. Et sánguinem innocentem condemnábunt. *Ps.* 93.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 299.

Commemoratio Natalis Domini, Ant. Dedit eis potestátem filios Dei fieri, his qui credunt in nómine ejus. *Joan.* 1.

℣. Hic est Deus, Deus noster in æternum: ℟. Ipse reget nos in sǽcula. *Ps.* 47.

Collecta, Concéde quǽsumus. *suprà ad Laudes.*

Die XXVIII. Decemb.
SANCTORUM
INNOCENTIUM.
Festivitas III. Classis.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum complexantem & benedicentem párvulos, * Veníte, adorémus. *Marc.* 10.

Hymnus. *Prudent.*

Salvéte, flores Mártyrum,
In lucis ipso límine
Quos sævus ensis méssuit,
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi víctima,
Grex immolatórum tener,
Aram sub ipsam símplices
Palmâ & corónis lúditis.
Quid próficit tantum nefas?
Quid crimen Heródem juvat?
Unus tot inter fúnera
Impúnè Christus tóllitur.
Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sǽcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Sónitus terróris semper in áuribus ímpii, & cùm pax sit, insídias suspicátur. *Job.* 15.

II. Justórum occidérunt infantes uno liberáto. *Sap.* 18.

III. Sínite párvulos ad me veníre; tálium est enim regnum cœlórum. *Matth.* 19.

IV. Párvuli sunt quos donávit mihi Deus. *Gen.* 33.

V. Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. *Joan.* 6.

VI. Ego vitam ætérnam do óvibus meis & non períbunt in ætérnum, & non rápiet eas quisquam de manu meâ. *Joan.* 10.

℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die: ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis. *Ps.* 43.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Cap.* 6.

Abrahæ namque promittens Deus, quóniam néminem hábuit, per quē juráret, majórem, jurávit per semetipsum, dicens: Nisi benedícens benedícam te, & multíplicans multiplicábo te. Et sic longanímiter ferens, adeptus est repromissiónem. Hómines enim per majórem suî jurant: & omnis controvérsiæ eórum finis, ad confirmatiónem est juramentum. In quo abundántiùs volens Deus osténdere pollicitatiónis hærédibus immobilitátem consílii sui, interpósuit jusjurandum;

ut per duas res immóbiles, quibus impossíbile est mentíri Deum, fortíssimũ solátium habeámus, qui confúgimus ad tenendam propósitam spem, quam sicut ánchoram habémus ánimæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interióra velâminis, ubi præcursor pro nobis introívit Jesus, secundùm órdinem Melchísedech póntifex factus in æternum.

℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum; * Tu es sacerdos in ætérnum secundùm órdinem Melchísedech. ℣. Christus non secundùm legem mandáti carnális factus est sacerdos, sed secundùm virtútem vitæ insolúbilis: contestátur enim: * Tu es. *Ps.* 109. *Hebr.* 7.

LECTIO II. *Cap.* 8.

TAlem habémus Pontíficem, qui consédit in déxterâ sedis magnitúdinis in cœlis, sanctórum miníster, & tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, & non homo. Omnis enim póntifex ad offerendum múnera, & hóstias constitúi ur: unde necesse est & hunc habére áliquid, quod ófferat: si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cùm essent qui offerrent secundùm legem múnera, qui exemplári & umbræ desérviunt cœléstium. Sicut respónsum est Móysi, cùm consummáret tabernáculum: Vide, inquit, ómnia fácito secundùm exemplar, quod tibi osténsum est in monte. Nunc autem mélius sortítus est ministérium, quantò & melióris testamenti mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est.

℟. In repromissióne Dei non hæsitávit Abraham diffidéntiâ; sed confortátus est fide, dans glóriam Deo: * Pleníssimè sciens quia quæcumque promísit, potens est & fácere. ℣. Contra spem in spem crédidit, ut fieret pater multárum géntium. * Pleníssimè. *Rom.* 4.

LECTIO III.

NAm si illud prius culpâ vacasset, non útique secundi locus inquirerétur. Vitúperans enim eos dicit: Ecce dies vénient, dicit Dóminus: & consummábo super domũ Israel, & super domum Juda testamentum novum, non secundùm testaméntum quod feci pátribus eórum, in die quâ apprehendi manum eórum ut edúcerem illos de terrâ Ægypti, quóniam ipsi non permansérunt in testaménto meo & ego neglexi eos, dicit Dóminus.

℟. Lex per Móysen data est; * Grátia & véritas

per Jesum Christum facta est. ℣. Legem mandávit Móyses in præceptis justitiárum. * Grátia. *Joan.* 1. *Eccli.* 24.

LECTIO IV.

QUia hoc est testamentum, quod dispónam dómui Israel post dies illos, dicit Dóminus: Dando leges meas in mentem eórum, & in corde eórum superscríbam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in pópulum: & non docébit unusquisque próximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dóminum: quóniam omnes scient me à minóre usque ad majórem eórum: quia propítius ero iniquitátibus eórum, & peccatórum eórum jam non memorábor. Dicendo autem novum, veterávit prius. Quod autem antiquátur, & senescit, prope intéritum est.

℟. Non docébit ultrà vir próximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dóminũ: * Omnes enim cognoscent me à mínimo eórum usque ad máximum, ait Dóminus. ℣. Est scriptum in Prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei. * Omnes. ℣. Glória. * Omnes. *Jerem.* 31. *Joan.* 6.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. In paucis vexáti, in multis bene disponentur; quóniam Deus invénit illos dignos se. *Sap.* 3.

II. Quasi holocausti hóstiam accépit illos, & in témpore erit respectus illórum. *Ibid.*

III. Sapiéntia apéruit os mutórum, & linguas infántiũ fecit disertas. *Sap.* 10.

IV. Rapti sunt, ne malítia mutáret eos, aut ne fíctio decíperet ánimam illórum. *Sap.* 4.

V. Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace. *Sap.* 3.

VI. Lætítia sempiterna super caput eórum, gáudium & lætítiam obtinébunt. *Is.* 35.

℣. Dóminus non derelinquet sanctos suos: ℟. In ætérnum conservabuntur. *Ps.* 36.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris ad plebem Thíbari consistentem. *Epist.* 56. *Edit. Baluz.*

CHristi Natívitas à martyriis Infántium statim cœpit, ut ob nomen ejus à bimátu & infrà qui fúerant, necarentur. Ætas necdum hábilis ad pugnam, idónea éxstitit ad corónam: ut apparéret innocentes esse qui propter Christum necantur, infántia ínnocens ob nomen ejus occísa est. Ostensum est néminem esse à perículo persecutiónis immúnem, quan-

do & tales martyria fecérunt.

℟. Adimplétum est quod dictum est per Jeremíam prophétam, dicentem: * Vox in Rama audíta est: plorátus & ululátus multus: Rachel plorans fílios suos, & nóluit consolári, quia non sunt. ℣. Invocábant Dóminum, ut vocem sánguinis ad se clamantis audíret, memorarétur quoque iniquíssimas mortes parvulórum innocéntum. * Vox. *Matth.* 2. *II. Mach.* 8.

LECTIO VI.

Ex Sermóne trecentésimo septuagésimo tértio sancti Augustíni Epíscopi. *De Epiphania Dom. I. Edit. Bened. n.* 3.

NEcat Heródes párvulos multos, dum vult ad uníus mortem perveníre. Et cùm sæviéntissimam & cruentíssimam cædem in tot innocéntibus perfécit; seípsum tantâ iniquitáte prímitùs interfécit. Intérea Rex noster Christus Verbum infans, Magis illum adorántibus, párvulis pro illo moriéntibus, sive jacébat, sive sugébat; & nondum locútus, credentes inveniébat; & nondum passus, étiam mártyres faciébat.

℟. Properávit edúcere illos de médio iniquitátum; * Quóniam grátia Dei & misericórdia est in sanctos ejus, & respectus in electos illíus. ℣. Omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti; * Quóniam. *Sap.* 4. *Rom.* 8.

LECTIO VII.

O Párvuli beáti, modò nati, nunquam tentáti, nondum luctáti, jam coronáti! Ille de vestrâ corónâ dubitáverit in passióne pro Christo, qui étiam baptismum párvulis prodesse non exístimat Christi. Non habebátis quidem ætátem, quâ in Christum passúrum crederétis: sed habebátis carnem, in quâ pro Christo passúro passiónem sustinerétis. Absit, absit, ut ad liberandos hómines véniens, de illórum præmio qui pro eo interficerentur nihil égerit, qui pendens in ligno pro eis à quibus interficiebátur orávit.

℟. Non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, * Sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit. ℣. Benedictus Dóminus qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum; * Sed. *Tit.* 3. *Ps.* 123.

LECTIO VIII.

Ex Sermóne séptimo sancti Leónis Papæ in Epiphániâ Dómini. *Serm.* 36. *Edit. Paris. Cap.* 3. *&* 4.

AMat Christus infántiam, quam primùm & ánimo suscépit: & córpore. Amat Christus infan-

tiam, humilitátis magistram, innocéntiæ régulam, mansuetúdinis formam. Amat Christus infántiam, ad quam majórum dirigit mores, ad quam senum redúcit ætátes; & eos ad suum inclínat exemplum, quos ad regnum sublímat ætérnum. Hanc vobis, dilectíssimi, humilitátis formam adorátus à Magis Puer Salvátor insínuat: qui ut imitatóribus suis quid glóriæ paráret, osténderet, ortus sui témpore éditos martyrio consecrávit: ut in Béthlehem, ubi Christus natus est, géniti, per communiónem ætátis consortes fierent passiónis. Amétur igitur humílitas, & omnis à fidélibus vitétur elátio. Alter álterum sibi præferat, & nemo quod suum est quærat, sed quod altérius: ut cùm in ómnibus abundáverit afféctus benevoléntiæ, in nullo virus inveniátur invídiæ.

℟. Angelus faciéi Dómini salvábit eos: * In dilectióne suâ, & in indulgéntiâ suâ ipse redémit eos. ℣. Secundùm propósitum ejus qui operátur ómnia secundùm consílium voluntátis suæ. * In dilectióne. ℣. Glória. * In dilectióne. *Isai.* 63. *Ephes.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. de Comm. plur. Martyrum.

LECTIO IX.

Ex Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *Cap.* 6.

Vidi subtus altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter testimónium, quod habébant, & clamábant voce magnâ, dicentes: Usquequo, Dómine, (sanctus & verus) non júdicas, & non víndicas sánguinem nostrũ de iis qui hábitant in terrâ? Et datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ: & dictum est illis ut requiéscerent adhuc tempus módicum, donec compleantur conservi eórum, & fratres eórum, qui interficiendi sunt sicut & illi.

℟. Justum est apud Deũ retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant. * Et vobis qui tribulámini, réquiem in revelatióne Dómini Jesu. ℣. Sánguinem servórum suórum ulciscétur, & vindictam retríbuet in hostes eórum. * Et vobis. *II. Thess.* 1. *Deut.* 32.

LECTIO X. *Cap.* 7.

Unus de senióribus dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venérunt de tribulatióne magnâ, & lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideò sunt ante thronum Dei, &

servíunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno, habitábit super illos: non esúrient, neque sítient ámpliùs, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam Agnus qui in médio throni est, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum, & abstergent Deus omnem lácrymam ab óculis eórum.

℣. Quiescat vox tua à plorátu, & óculi tui à lácrymis: quia est merces óperi tuo, & est spes novissimis tuis: * Lætáberis in fíliis tuis, quóniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dóminũ. ℣. Non audiétur ultrà vox fletûs, & vox clamóris. * Lætáberis. *Jerem.* 31. *Tob.* 13. *Isai.* 65.

LECTIO XI. *Cap.* 14.

ET vidi: Et ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quátuor míllia habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis. Et audívi vocem de cœlo, tamquàm vocem aquárum multárũ, & tamquàm vocem tonítrui magni: & vocem quam audívi, sicut citharœdórum citharizántium in cítharis suis.

℟. Vidi stantes ante thronum Dei, & in conspectu Agni; amictistolis albis, & palmæ in mánibus eórum; * Et clamábant voce magnâ, dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno. ℣. Módico nunc dolóre sustentáto, sub testamento ætenæ vitæ effecti sunt. * Et. *Apoc.* 7. *II. Mach.* 7.

LECTIO XII.

ET cantábant quasi cánticum novum, ante sedem, & ante quátuor animália, & senióres: & nemo póterat dícere cánticum, nisi illa centum quadraginta quátuor míllia, qui empti sunt de terrâ. Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti: vírgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque íerit. Hi empti sunt ex homínibus primítiæ Deo & Agno, & in ore eórum non est inventum mendácium: sine máculâ enim sunt ante thronum Dei.

℟. Non inquinavérunt vestimenta sua: & * Ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt. ℣. Lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni. * Ambulábunt. ℣. Glória. * Ambulábunt. *Apoc.* 3 & 7.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 2.

ANgelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge & áccipe pue-

rum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi: futúrum est enim ut Heródes quærat púerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accépit púerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur quod dictum est à Dómino, per Prophétam dicentem: Ex Ægypto vocávi Fílium meum. Tunc Heródes videns quóniam illúsus esset à Magis, irátus est valde, & mittens occídit omnes púeros qui erant in Béthlehem, & in ómnibus fínibus ejus, à bimátu & infrà, secúndum tempus quod exquisíerat à Magis. Tunc adimplétum est quod dictum est per Jeremíam Prophétam dicentem: Vox in Rama audíta est, plorátus & ululátus multus; Rachel plorans fílios suos, & nóluit consolári, quia non sunt.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. MAgi, responso accepto in somnis, ne redírent ad Heródem, per áliam viam reversi sunt in regiónem suam. *Matth.* 2.

II. Heródes videns quóniam illúsus esset à Magis, irátus est valde. *Matth.* 2.

III. Mittens Heródes occídit omnes púeros qui erant in Béthlehem & in ómnibus fínibus ejus, à bimátu & infrà. *Matth.* 2.

IV. Jussit milítibus interfícere, nec párcere: fiébant ergo natórum extermínia, & parvulórum neces. *II. Machab.* 5.

V. Tunc adimplétum est quod dictum est per Jeremíam Prophétam dicentem: Vox in Rama audíta est, plorátus & ululátus multus. *Matth.* 2.

LECTIO. *Sap.* 4.

GRátia Dei & misericórdia est in sanctos ejus, & respectus in electos illíus; † condemnat autem justus mórtuus vivos ímpios, * & juventus celériùs consummáta longam vitam injusti.

℟. *br.* Laudáte, púeri, Dóminum; * Laudáte nomen Dómini. ℟. Laudáte. ℣. Humília réspicit in cœlo & in terrâ. * Laudáte. ℣. Glória. ℟. Laudáte, púeri. *Ps.* 112.

HYMNUS. *Brev. Paris.*

MOlles in agnos ceu lupus
Amens tyrannus írruit,
Et déstinat promíscuâ
In strage Christum pérdere.

Cunæ redúndant sánguine;
Sed in Deum frustra furit:
Unum petit tot mórtibus;
Mortes tot unus éffugit.

Matres, querélis párcite;
Quid rapta fletis pígnora?
Agnum salútis óbsidem
Denso sequuntur ágmine.

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Réprobat Dóminus consília príncipum; ℟. Consílium autem Dómini in æternum manet. *Ps.* 32.

Ad Benedictus. *Ant.* Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge & áccipe púerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & esto ibi usque dum dicam tibi. Futúrum est enim, ut Heródes quærat púerum ad perdendum eum. *Matth.* 2.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

Deus, cujus hódiernâ die præcónium Innocentes mártyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt; † ómnia in nobis vitiórum mala mortífica, * ut fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur, étiam móribus vita fateátur: Qui vivis.

Pro Commemoratione Natalis Domini, Ant. Vitam æternam dedit nobis Deus; & hæc vita in Fílio ejus est. *I. Joan.* 5.

℣. Benedictus qui venit in nómine Dómini: ℟. Deus Dóminus, & illuxit nobis. *Ps.* 117.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

Omnípotens, sempiterne Deus, creátor humánæ reformatorque natúræ, quam Unigénitus tuus in útero perpétuæ virginitátis assumpsit: † réspice nos propítius; * ut Fílii tui Incarnatióne susceptâ, inter ipsius mereámur membra numerári: Qui tecum.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Illyrico.
An. 365. *In Epist. Imperat. Valentis & Valentiniani ad Asianos Ep.*

Confitémur ut est in fidei fórmulâ Nicææ éditâ, consubstantiálem Dei Patris Fílium sumpsisse carnem ex sanctâ Vírgine, inter hómines habitasse, implevisséque omnem pro nobis œconómiam, nascendo, patiendo, resurgendo, & in cœlos ascendendo: ventúrum quoque dénuò, ut in die judícii, prout quisque se gessit in vitâ, reddat cuíque; carni universæ visum fore: divínam suam demonstratúrum poténtiã: Deum carne indútum, non hóminem indútum divinitáte. Illis autem, qui contrária séntiunt, anáthema denuntiámus.

AD TERTIAM.

Lectio. *I. Cor.* 1.

Scriptum est: † Perdam sapiéntiam sapientiũ, * & prudéntiam prudéntium reprobábo.

℣. Qui hábitat in cœlis, irridébit eos, ℟. Et Dóminus subsannábit eos. *Ps.* 2.

AD SEXTAM.

LECTIO. *II. Tim.* 1.

DEus nos liberávit, & vocávit vocatióne suâ sanctâ, † non secundùm ópera nostra, * sed secundùm propósitum suum, & grátiam.

℣. Ecce quómodo computáti sunt inter filios Dei, ℟. Et inter sanctos sors illórum est. *Sap.* 5.

AD NONAM.

LECTIO. *Ephes.* 1.

PRædestinávit nos Deus in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, † secundùm propósitum voluntátis suæ * in laudem glóriæ grátiæ suæ, in quâ gratificávit nos in dilecto Filio suo.

℣. Dómini est assúmptio nostra, ℟. Et Sancti Israel Regis nostri. *Ps.* 88.

AD VESPERAS.

Psalmi & Antiph. ut in Natali Domini, pag. 272.

LECTIO. *Jerem.* 31.

HÆc dicit Dóminus: † Quiescat vox tua à plorátu, & óculi tui à lácrymis: quia est merces óperi tuo, ait Dóminus: & revertentur de terrâ inimíci: * & est spes novíssimis tuis, ait Dóminus: & revertentur filii ad términos suos.

℟. *br.* Anima nostra sicut passer erepta est * De láqueo venántium. ℟. Anima. ℣. Láqueus contrítus est, & nos liberáti sumus. * De. ℣. Glória. ℟. Anima. *Ps.* 123.

Hymnus, Salvéte, flores Mártyrum. *ut suprà ad Offic. Noct. pag.* 292.

℣. Hæréditas eórum in ætérnum erit: ℟. Non confundentur in témpore malo. *Ps.* 36.

Ad Magníficat. *Ant.* Convertam luctum eórum in gáudium, & consolábor eos, & lætificábo à dolóre suo. *Jerem.* 31.

Collecta suprà ad Laudes.

Pro Commemoratione Natalis Domini, Ant. Misit Deus Filium suum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque à nequitiâ suâ. *Act.* 3.

℣. Hic est Deus, Deus noster in ætérnum: ℟. Ipse reget nos in sécula. *Ps.* 47.

Collecta, Omnípotens, sempitérne Deus. *ut suprà ad Laudes.*

DOMINICA

INTRA OCTAVAM

NATALIS DOMINI.

AD I. VESPERAS.

Psalmi, Antiphona, Lectio, ℟. br. & Hymnus, ut in die Natalis Domini ad II. Vesp. pag. 272.

℣. Tu es ipse Rex meus & Deus meus ; ℟. Qui mandas salútes Jacob. *Ps.* 43.

Ad Magníficat. *Ant.* Ecce nos vénimus ad te : tu enim es Dóminus Deus noster : verè in Dómino Deo nostro salus Israel. *Jerem.* 3.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 305.

Non fit Commemoratio de Octavâ Natalis Domini.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christum Dóminum infantem, * Veníte adorémus. *Luc.* 2.

Hymnus, ut in die Natalis Domini, pag. 261.

Antiphonæ, & ℣. I. & II. Nocturni de Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones cum ℟℟. de Scripturâ occurrente, infra juxta diem mensis.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Sermóne quinto sancti Leónis Papæ in Nativitáte Dómini. *Serm.* 24. *Edit. Paris. Cap.* 5.

NIsi Verbum Dei caro fieret & habitáret in nobis, & vetustátem humánam ad novum princípium suâ nativitáte revocáret : regnáret mors ab Adam usque in finem, & super omnes hómines condemnátio insolúbilis permanéret, cùm de solâ conditióne nascendi, una cunctis esset causa pereundi. Solus itaque inter filios hóminum Dóminus Jesus innocens natus est : quia solus sine carnális concupiscéntiæ pollutióne conceptus.

℟. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, * Hoc erat in princípio apud Deum. ℣. Egressus ejus ab inítio à diebus æternitátis. * Hoc. *Joan.* 1. *Mich.* 5.

LECTIO VI.

FActus est homo nostri géneris, ut nos divínæ natúræ possímus esse consortes. Oríginem, quam sumpsit in útero Vírginis, pósuit in fonte baptísmatis. Dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim Altíssimi, & obumbrátio Spíritûs sancti quæ fecit ut María páreret Salvatórem, eádem facit ut regéneret unda credentem.

℟. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis ; * Et vídimus glóriam ejus quasi Unigéniti à Patre. ℣. In terris visus est & cum homínibus conversátus est. * Et vídimus. *Joan.* 1. *Baruch,* 3.

LECTIO VII.

Ex Sermóne sexto ejusdem in Nativitáte Dómini. *Serm.* 25. *Edit. Paris. Cap.* 2.

DUm Salvatóris nostri adorámus ortum, invenímur nos nostrum co-

lebráre princípium. Generátio enim Christi, origo est pópuli christiáni; & natális cápitis, natális est córporis. Hábeant licèt singuli quique vocatórum órdinem suum, & omnes Ecclésiæ filii témporum sint successióne distíncti, univérsa tamen summa fidélium, fonte orta baptísmatis, sicut cum Christo in passióne crucifixi, in Resurrectióne resuscitáti, in Ascensióne ad déxteram Patris collocáti, ita cum ipso sumus in hâc Nativitáte congéniti.

℞. Nusquam Angelos apprehendit Christus, sed semen Abrahæ apprehendit; * Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fieret, & fidélis póntifex ad Deum, ut repropitiáret delicta pópuli. ℣. Venit quærere & salvum fácere quod períerat. *Unde. *Hebr.* 2. *Luc.* 19.

LECTIO VIII.

QUisquis enim hóminũ, in quâcumque mundi parte credéntium regenerátur in Christo, intercíso originális trámite vetustátis, transit in novum hóminem renascendo; nec jam in propágine habétur carnális patris, sed in gérmine Salvatóris, qui ídeò filius hóminis est factus, ut nos filii Dei esse possímus. Nisi enim ille ad nos hâc humilitáte descénderet, nemo ad illum ullis suis méritis perveníret.

℞. Primus homo de terrâ, terrénus: secundus homo de cœlo cœlestis. * Igitur sicut portávimus imáginem terréni, portémus & imáginem cœlestis. ℣. Qualis terrénus, tales & terréni; & qualis cœlestis, tales & cœlestes: * Igitur. ℣. Glória. * Igitur. *I. Cor.* 15.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Natali Domini, p. 266.

LECTIO IX.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 7.

AN ignorátis, fratres, (sciéntibus enim legẽ loquor) quia lex in hómine dominátur quanto témpore vivit? Nam quæ sub viro est múlier, vivente viro, alligáta est legi: si autem mórtuus fúerit vir ejus, solúta est à lege viri. Igitur, vivente viro, vocábitur adúltera si fúerit cum álio viro: si autem mórtuus fúerit vir ejus, liberáta est à lege viri: ut non sit adúltera si fúerit cum álio viro. Itaque, fratres mei, & vos mortificáti estis legi per corpus Christi: ut sitis altérius, qui ex mórtuis resurrexit, ut fructificémus Deo. Cùm enim essémus in carne, passiónes peccatórum,

quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificárent morti. Nunc autem solúti sumus à lege mortis, in quâ detinebámur, ita ut serviámus in novitáte spíritûs, & non in vetustáte lítteræ.

℟. O Dómine, quia ego servus tuus; ego servus tuus & filius áncillæ tuæ; * Dirupisti víncula mea; tibi sacrificábo hóstiã laudis. ℣. Lex spíritûs vitæ in Christo Jesu liberávit me à lege peccáti & mortis. *Dirupisti. *Ps.* 115. *Rom.* 8.

LECTIO X.

QUid ergo dicémus: Lex peccátum est? Absit. Sed peccátum non cognóvi, nisi per legem: nam concupiscéntiam nesciébam, nisi lex díceret: Non concupisces. Occasióne autem acceptâ, peccátum per mandátum operátum est in me omnem concupiscéntiam. Sine lege enim peccátum mórtuum erat. Ego autem vivébam sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandátum, peccátum revixit. Ego autem mórtuus sum: & inventum est mihi mandátum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccátum occasióne acceptâ per mandátum, seduxit me, & per illud occídit.

℟. Christus nos redémit de maledicto legis factus pro nobis maledictum; *Ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem. ℣. Non sumus ancillæ filii, sed líberæ: quâ libertáte Christus nos liberávit. * Ut. *Galat.* 3 & 4.

LECTIO XI.

ITaque lex quidem sancta, & mandátum sanctum, & justum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccátum, ut appárcat peccátum, per bonum operátum est mihi mortem: ut fiat supra modum peccans peccátum per mandátum. Scimus enim quia lex spirituális est: ego autem carnális sum, venúndatus sub peccáto. Quod enim óperor, non intélligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud fácio. Si autem quod nolo, illud fácio: consèntio legi, quóniam bona est. Nunc autem jam non ego óperor illud, sed quod hábitat in me peccátum.

℟. Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt;*De necessitátibus meis érue me, Dómine; vide humilitátem meam & labórem meum. ℣. Caro concupiscit adversùs spíritum; spíritus autem adversùs carnem. *De. *Ps.* 24. *Galat.* 5.

LECTIO XII.

SCio enim quia non hábitat in me, hoc est, in carne meâ, bonum. Nam

velle ádjacet mihi: perfícere autem bonum, non invénio. Non enim quod volo bonum, hoc fácio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud fácio, jam non ego óperor illud, sed quod hábitat in me, peccátum. Invénio ígitur legem, volenti mihi fácere bonum, quóniam mihi malum ádjacet: condelector enim legi Dei secundùm interiórem hóminem: vídeo autem áliã legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccáti, quæ est in membris meis. Infélix ego homo, quis me liberábit de córpore mortis hujus? Grátia Dei per Jesum Christum Dóminum nostrum. Igitur ego ipse mente sérvio legi Dei; carne autem legi peccáti.

℟. Dóminus robur meũ & salvátor meus; Deus fortis, sperábo in eum: * Salvátor meus, de iniquitáte liberábis me. ℣. Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? * Salvátor. ℣. Glória. * Salvátor. *II. Reg.* 22. *Ps.* 12.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 2.

ERant Joseph & María mater Jesu mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Símeon: & dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam, & in resurrectiónem multórum in Israel; & in signum, cui contradicétur: & tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut revelentur ex multis córdibus cogitatiónes. Et erat Anna Prophetissa, fília Phánuel, de tribu Aser: hæc procésserat in diébus multis, & víxerat cum viro suo annis septem à virginitáte suâ. Et hæc vídua usque ad annos octoginta quátuor: quæ non discedébat de templo: jejúniis & obsecratiónibus sérviens nocte ac die. Et hæc, ipsâ horâ supervéniens, confitebátur Dómino: & loquebátur de illo ómnibus, qui exspectábant redemptiónem Israel. Et ut perfecérunt ómnia secundùm legem Dómini, reversi sunt in Galilæam in civitátem suam Názareth. Puer autem crescébat, & confortabátur plenus sapiéntiâ: & grátia Dei erat in illo.

Collecta infra.

AD LAUDES.

Antiphonæ, Lectio, ℟. br. & Hymnus, ut in die Natalis Domini, pag. 270.

℣. Dómine, quid est homo, quia innotuisti ei? ℟. Aut filius hóminis, quia réputas eum? *Ps.* 143.

Ad Benedictus. *Ant.* Ecce pósitus est hic in ruínam & in resurrectiónem multórum in Israel, & in signum cui contradicétur. *Luc.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

OMnípotens sempiterne Deus, † dirige actus nostros in beneplácito tuo;* ut in nómine dilecti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre: Per eumdem.

AD HORAS, *Antiphonæ ut ad Laudes Festi, pag.* 270.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Parisiensi primo. *An.* 360.

SImilitúdinem Fílii ad Deum Patrem non invíti audímus: quippe cùm imágo invisíbilis Dei sit. Sed eam solùm similitúdinem dignam ad Patrem intelligentes, quæ veri Dei sit ad Deum verum. Ita ut non únio divinitátis, sed únitas intelligátur: quia únio sit singuláris, únitas verò secundùm nativitátis veritátem plenitúdo nascentis sit. Máximè cùm Dóminus ipse Jesus Christus ad discípulos suos sit professus dicens: Ego, & Pater unum sumus. Quo non solùm caritátem quæ ad Patrem est, sed & divinitátem quæ Dei ex Deo est significat.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Petr.* 2.

COntinet Scriptúra: Ecce pono in Sion lápidem summum, anguláré, electum, pretiósum. Et qui credíderit in eum, non confundétur. † Vobis ígitur honor credéntibus: non credéntibus autem, lapis quem reprobavérunt ædificantes, hic factus est in caput ánguli; * & lapis offensiónis, & petra scándali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & pósiti sunt.

℣. A Dómino factum est istud; ℟. Et est mirábile in óculis nostris. *Ps.* 117.

AD SEXTAM.

LECTIO. *II. Petr.* 1.

PEr Christum máxima & pretiósa nobis promissa donávit Deus: † ut per hæc efficiámini divínæ consortes natúræ, * fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem.

℣. Benedictiónem dabit legislátor: ℟. Ibunt de virtúte in virtútem. *Ps.* 83.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Joan.* 3.

OMnis qui facit peccátum, & iniquitátem facit: † & peccátum est iníquitas; & scitis quia ille appáruit ut peccáta nostra tólleret; & peccátum in eo

non est. * Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognóvit eum.

℣. Deus Israel ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ; ℟. Benedictus Deus. *Ps.* 67.

AD VESPERAS.

Psalmi, Antiphonæ, Lectio, ℟. br. & Hymnus, ut in die Natalis Domini, pag. 272.

℣. Benedixisti, Dómine, terram tuam: ℟. Avertisti captivitátem Jacob. *Ps.* 84.

Ad Magníficat. *Ant.* Anna vídua confitebátur Dómino, & loquebátur de illo ómnibus qui exspectábant redemptiónem Israel. *Luc.* 2.

Non fit Commemoratio de Octava Natalis Domini.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. ad Veníte, *& Hymnus, ut in Die, pag.* 262.

IN I. NOCTURNO.

Ant. & ℣. ut in Psalterio; Lectiones cum suis ℟℟. habentur infrà pro unâquâque die.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *II. Cor.* 8.

SCitis grátiam Dómini nostri Jesu Christi, quóniam propter vos egénus factus est; cùm esset dives, ut illíus inópiâ vos dívites essétis.

℣. Dómine, quid est homo, quia innotuisti ei? ℟. Aut filius hóminis quia réputas eum. *Ps.* 143.

Collecta singulis diebus propria.

Ad reliquas Horas, omnia ut in Die, Antiphonæ ad Benedictus, *&* Magníficat, *& Collecta, singulis diebus propria.*

DIE XXIX. DECEMB.

DE OCTAVA

NATALIS DOMINI.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Cap. 9.

HAbuit quidem & prius Testamentum justificatiónes cultúræ, & Sanctum seculáre. Tabernáculum enim factum est primum, in quo erant candelábra, & mensa, & propósitio panum, quæ dícitur Sancta. Post velamentum autem secundum, tabernáculum, quod dícitur Sancta sanctórum; áureum habens thuríbulum & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in quâ urna áurea habens manna, & virga Aáron, quæ frondúerat, & tábulæ testamenti, superque

eam erant Chérubim glóriæ obumbrántia Propitiatórium : de quibus non est modò dicendum per síngula. ¶ His verò ita compósitis : in prióri quidem tabernáculo semper introíbant sacerdótes, sacrificiórum officia consummantes : in secundo autem semel in anno solus póntifex, non sine sánguine, quem offert pro suâ & pópuli ignorántiâ: hoc significante Spíritu sancto, nondum propalátam esse sanctórum viam, adhuc prióre tabernáculo habente statum.

LECTIO II.

QUæ parábola est témporis instantis : juxta quam múnera, & hóstiæ offeruntur, quæ non possunt juxta consciéntiam perfectum fácere servientem, solúmmodo in cibis, & in pótibus, & váriis baptismátibus, & justitiis carnis usque ad tempus correctiónis impósitis. ¶ Christus autem adsistens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum non manufactum, id est, non hujus creatiónis ; neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætrernâ redemptióne inventâ.

℟. I. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. * Hæc autem in figúrâ facta sunt nostri. ℣. Omnia in figúris contingébant illis ; scripta sunt autem ad correptiónem nostram, in quos fines seculórum devenérunt. * Hæc. *Hebr.* 13. *I. Cor.* 10.

℟. II. Secundùm legem, sine sánguinis effusióne non fit remissio : * Necesse est ergo exemplária quidem cœléstium his mundári : ipsa autem cœléstia melióribus hóstiis quàm istis. ℣. Locútus est Dóminus : Ego dedi sánguinem vobis, ut super altáre in eo expiétis pro animábus vestris. * Necesse est. *Hebr.* 9. *Levit.* 17.

℟. III. Ex opéribus legis non justificábitur omnis caro coram Deo ; * Nunc autem sine lege justítia Dei manifestáta est ; testificáta à lege & Prophétis. ℣. Multórum nobis & magnórum, per legem & Prophétas, sapiéntia demonstráta est ; * Nunc. *Rom.* 3. *Eccli. prolog.*

℟. IV. Si sanguis hircórum, & taurórum, & cinis vítulæ adspersus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis ; * Quantò magìs † Sanguis Christi qui per Spíritum sanctum semetipsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab

opéribus mórtuis. ℣. Omnia penè in sánguine secundùm legem mundantur. * Quantò. ℣. Glória. † Sanguis. *Hebr. 9.*

LECTIO III.

Ex Libro sancti Hippólyti Epíscopi & Mártyris contra Noétum. *Edit. Fabric. ex Græco. II. Sec. n. 17.*

CRedámus, fratres, secundùm traditiónem Apostolórum, quòd Deus Verbum è cœlis descendit in sanctam Vírginem Maríam, ut ex eâ incarnátus sumptâ ánimâ humánâ, ratiónis, inquam, partícipe, factus ómnia quæcumque homo est, excepto peccáto, salváret Adam qui cecíderat, & immortalitátem homínibus largirétur iis qui créderent in nómine ejus. In ómnibus ígitur demonstrátum est nobis verbum veritátis quòd unus est Pater, cujus adest Verbum, per quod ómnia fecit, quod posterióribus tempóribus misit Pater ad salútem hóminum. Hoc per legem & Prophétas prædicátum est ventúrum esse in mundum. Sicut ígitur prædicátum est, sic præsens seipsum manifestum fecit ex Vírgine & Spíritu sancto novus homo factus, habens cœleste, quod Paternum erat, tamquàm Verbum; terrénum verò tamquàm ex vétere Adam per Vírginem incarnátus. Sic in mundum egressus Deus corporátus appáruit, egressus perféctus homo. Non enim per fictiónem, aut mutatiónem, sed verè factus est homo. Sic ígitur humána sua non recúsat qui demonstrabátur esse Deus, cùm ésurit & labórat, & defatigátus sitit, & super pulvínum dormit, qui natúram habet insomnem ut Deus: cùm in anxietáte sudat, & ab Angelo roborátur, qui eos, qui in eum credunt róborat; & ópere dócuit mortem contémnere. Hæc enim ómnia nobis operátus est, qui propter nos factus est sicut nos. Ipse enim infirmitátes nostras suscépit, & languóres nostros portávit. Hic Deus & homo propter nos factus, cui ómnia subjécit Pater.

℟. Christus nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: * Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fieret, & fidélis póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli. ℣. In terris visus est, & cum homínibus conversátus est. * Unde. ℣. Glória. * Unde. *Hebr. 2. Baruch, 3.*

Ad Benedictus. *Ant.* Ego sum lux mundi: qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. *Joan. 8.*

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui in Dómini nostri Jesu Christi Filii tui Nativitáte tribuisti totíus Religiónis inítium perfectionemque constáre; † da nobis, quæsumus, in ejus portióne censéri, * in quo totíus salútis humánæ summa consistit: Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Nicæno primo. *An.* 325. *Ex Symb.*

CRédimus in unum Dóminum Jesum Christum, Filium Dei, ex Patre natum, unigénitum, id est, ex substántiâ Patris; Deum ex Deo, lumen ex lúmine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum, consubstantiálem Patri, per quem ómnia facta sunt, & quæ in cœlo, & quæ in terrâ.

Ad Magníficat. *Ant.* Ex Deo processi & veni; neque enim à meipso veni: sed ille me misit. *Joan.* 8.

DIE XXX. DECEMB.

DE OCTAVA

NATALIS DOMINI.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Cap. 10.

VOluntáriè peccántibus nobis post acceptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóstia, terríbilis autem quædam exspectátio judícii, & ignis æmulátio, quæ consumptúra est adversários. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ullâ miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur: quantò magìs putátis deterióra meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testamenti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, & spirítui grátiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retríbuam. Et íterum: Quia judicábit Dóminus pópulum suum. Horrendum est incídere in manus Dei viventis.

LECTIO II.

REmemorámini autem prístinos dies, in quibus illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum: & in áltero quidem, oppróbriis & tribulatiónibus spectáculum facti: in áltero autem sócii táliter conversántium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepistis, cognoscentes vos habére meliórem & manentem substántiam. ¶ Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária

est : ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet, & non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit : quòd si subtráxerit se, non placébit ánimæ meæ. Nos autem non sumus subtractiónis filii in perditiónem, sed fidei in acquisitiónem ánimæ.

℟. I. Deus æmulátor, & ulciscens Dóminus ; & irascens ipse inimícis suis. * Ante fáciem indignatiónis ejus quis stabit? ℣. Horrendum est incídere in manus Dei viventis. * Ante. *Nahum.* 1. *Hebr.* 10.

℟. II. Servíte Dómino in timóre, & exsultáte ei cum tremóre ; * Apprehéndite disciplínã ne quando irascátur Dóminus, & pereátis de viâ justâ. ℣. Nolíte erráre ; Deus non irridétur. * Apprehéndite. *Ps.* 2. *Galat.* 6.

℟. III. Non injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, & dilectiónis quam ostendistis in nómine ipsius. * Propter quod remissas manus, & solúta génua erígite, & gressus rectos fácite pédibus vestris. ℣. Dabit vobis Dóminus mercédem in témpore suo. * Propter. *Hebr.* 6. & 12. *Eccli.* 51.

IV. Cúpimus ut non segnes efficiámini, verùm * Imitatóres eórum qui fide & patiéntiâ hæreditábunt promissiónes. ℣. Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen, adspicientes in auctórem fidei, & consummatórem Jesum. * Imitatóres. ℣. Glória. * Imitatóres. *Hebr.* 6 & 12.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Cyrilli Alexandríni ad Nestórium de Excommunicatióne. *Apud Concilium Ephes. Edit. Labbe.*

Sanctórum Patrum confessiónes, quas sancto in ipsis loquente Spíritu edidérunt, sectantes, scopumque ac sensum quem in iis tenuérunt, studiósè observantes, & régiâ quasi viâ incedentes, ipsum Unigénitum Dei Verbum ex Patris substántiâ natum, Deum verum de Deo vero, lumen de lúmine, per quem ómnia & quæ in cœlo, & quæ in terris facta consistunt, salútis nostræ causâ descendisse seque ad exinanitiónem demisso, incarnátum & hóminem factum, hoc est, carne ex sacrâ Vírgine sumptâ, eâdemque sibi appropriátâ, in útero more nostro génitum, hominemque ex muliere in lucem éditum dícimus. Id ínterim quod suâpte natúrâ erat non abjíciens ; sed hoc ipsum quod erat, hoc est, verus naturalisque

ralíſque Deùs, licèt car-
:m & ſánguinem aſſump-
ſet, conſtanter manens;
que carnem in divinitá-
, natúrám verſam, nec
ntra rursùm ineffábilem
am natúram in carnis
bſtántiam tranſmutátam
sérimus. Eſt enim immu-
bilis, nullíque alteratió-
obnóxius, ſemper idem,
îque símilis, ut ſcriptum
t, manens. Etenim cùm
m visíbilis factus eſſet
fantumque more fáſciis
lhuc involverétur, ac
írginis matris grémio
iamnum foverétur, om-
:m implébat creatúram
: Deus, paríque cum Pa-
e poteſtáte regnábat: sí-
uidē divínitas quantitátis
: molis expers eſt, nec ullis
mítibus circumſcríbitur.

℟. Vita manifeſtáta eſt,
: vídimus, & annuntiá-
ıus vobis vitam æternam,
Quæ erat apud Patrem,
: appáruit nobis. ℣. Sci-
ıus quóniam Fílius Dei
enit & dedit nobis ſen-
ım, ut cognoſcámus ve-
ım Deum, & ſimus in
ero Fílio ejus. Hic eſt ve-
ıs Deus & vita æterna,
Quæ. ℣. Glória. * Quæ.
Joan. 1 *&* 5.

Ad Benedíctus. *Ant.*
)mnis qui credit quóniam
:ſus eſt Chriſtus, ex Deo
atus eſt. Et omnis qui dí-
git eum qui génuit, díli-
it & eum qui natus eſt
x eo. *I. Joan.* 5.

Collecta. *Sacr. Leon.*

DA, quæſumus, Dómine, pópulo tuo inviolábilem fídei firmitátem; † ut qui Unigénitum tuum in tuâ tecum glóriâ ſempitérnum in veritáte noſtri córporis natum de Matre Vírgine confiténtur, * & à præſéntibus liberéntur adverſis, & mansúris gáudiis inſerántur; Per eumdem.

Canon.

Ex Concílio Nicæno primo. *An.* 325. *Ex Symb.*

EOs qui dicunt: Erat aliquando quando non erat Jeſus Chriſtus, & ántequàm naſcerétur, non erat; & quia ex iis quæ non ſunt, factus eſt; aut ex áliâ ſubſtántiâ vel eſſéntiâ dicunt eſſe, vel creátum, vel mutábilem, vel convertíbilem Fílium Dei; anathematízat Cathólica & Apoſtólica Eccléſia.

Ad Magníficat. *Ant.* Chriſtus Jeſus factus eſt nobis ſapiéntia à Deo, & juſtítia, & ſanctificátio, & redémptio. *I. Cor.* 1.

Die XXXI. Decemb.

DE OCTAVA *NATALIS DOMINI.*

Lectio I.

Ex Epíſtolâ beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos. *Cap.* 11.

EST autem fides ſperandárum ſubſtántia rerum, argumentum non ap

paréntium. In hâc enim testimónium consecúti sunt senes. Fide intellígimus aptáta esse sécula verbo Dei: ut ex invisibílibus visibília fierent. Fide plúrimam hóstiam Abel, quàm Caïn, óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc lóquitur. ¶ Fide Henoch translátus est ne vidéret mortem, & non inveniebátur; quia tránstulit illum Deus: ante translatiónem enim testimónium hábuit placuisse Deo. Sine fide autem impossíbile est placére Deo. Crédere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquiréntibus se remunerátor sit. Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, métuens aptávit arcam in salútem domûs suæ, per quam damnávit mundum; & justítiæ, quæ per fidem est, hæres est institútus.

LECTIO II.

Fide qui vocátur Abraham obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem: & éxiit, nésciens quò iret. Fide demorátus est in terrâ repromissiónis, tamquàm in aliénâ, in cásulis habitando, cum Isaac & Jacob cohærédibus repromissiónis ejusdem. Exspectábat enim fundamenta habentem civitátem: cujus ártifex & cónditor Deus. Fide & ipsa Sara stérilis virtútem in conceptiónem séminis accépit, étiam præter tempus ætátis: quóniam fidélem crédidit esse eum, qui repromíserat. ¶ Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissiónibus, sed à longè eas adspicientes, & salutantes, & confiténtes quia peregríni & hóspites sunt super terrâ. Qui enim hæc dicunt, signíficant se pátriam inquírere. Et si quidem ipsíus meminissent de quâ exiérunt, habébant útique tempus revertendi. Nunc autem melióren áppetunt, id est, cœlestem. Ideò non confúnditur Deus vocári Deus eórum: parávit enim illis civitátem.

℟. I. Filii Sanctórum sumus, & vitam illam exspectámus, * Quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. ℣. Nos spíritu ex fide, spem justítiæ exspectámus. * Quam. *Tob.* 2. *Galat.* 5.

℟. II. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetipso: * Justus autem in fide suâ vivet. ℣. Sine fide impossíbile est placére Deo. * Justus. *Habac.* 2. *Hebr.* 11.

℟. III. Scientes quòd non justificátur homo nisi per fidem Jesu Christi,

* Et nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi. ℣. Crédidit Abraham Deo; & reputátum est illi ad justítiam; * Et nos. *Galat.* 2. *Genes.* 15.

℟. IV. Exeámus ad Jesum extra castra, impropérium ejus portantes; * Non enim habémus hìc manentem civitátem, sed futúram inquírimus. ℣. Peregríni sumus coram te, Dómine, & ádvenæ, sicut omnes patres nostri. * Non enim. ℣. Glória. * Non. *Hebr.* 13. *I. Paral.* 29.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Dionysii Alexandríni Epíscopi, ad sanctum Dionysium Papam. *Epist. Rom. Pont. Edit. Bened. Sec. III.*

NOn erat tempus, quando non erat Pater. cùm Fílius sit splendor lucis æternæ, prorsus & ipse æternus est; luce enim semper existente, manifestum est & splendórem semper exístere: eo quippe lux esse intellígitur, quòd spléndeat, ac fieri nequit, ut lux non lúceat. Deus autem æterna lux est, quæ neque incœpit, neque defíciet unquam: ipsi ergo prælúcet ac coëxistit æternus splendor, qui sine inítio existens & semper génitus, ante eum émicat, quique est ea sapiéntia quæ dicit: Ego eram quâ gaudébat, & delectábar quotídie ante fáciem ejus omni témpore. Cùm ergo æternus sit Pater, æternus est & Fílius, lumen de lúmine; ubi enim est génitor, est & proles. Si autem proles non est, quómodò & cujus potest esse génitor? Atqui ambo sunt, & semper sunt. Cùm ígitur Deus sit lux, Christus est splendor. Cùm autem Spíritus sit, Spíritus enim, inquit, est Deus; congruenter rursùm Christus vapor dícitur: est enim, inquit, vapor virtútis Dei. Plúribus explícui quæ verióra erant váriis excogitátis argumentis: quæ & tibi in áliâ Epístolâ expósui, in quibus mendácii convíci étiam illud quod adversùm me próferunt crimen, me scílicet non assérere Christum esse Deo consubstantiálem. Tametsi enim me nusquam in Scriptúris sacris hoc vocábulum vel invenisse vel legisse dico, ália tamen argumenta quæ subinde adjunxi, quæque illi tacuérunt, ab hâc intelligéntiâ nihil discrepant. Verbum est mentis emanátio; &, ut humáno more loquar, ex corde per os emíttitur. Mens verò quæ per linguam prósilit, ália est à verbo quod in corde existit. Hoc enim, postquàm illam præmísit, rémanet, estque quale ánteà erat;

illa verò præmissa ávolat & circumquáque fertur: & sic utrumque in utróque est; tametsi áliud ab áltero; & unum sunt, licèt duo sint. Sic namque Pater & Fílius unum esse, & in se ínvicèm esse dicti sunt.

℟. Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum; * Ex útero ante lucíferum génui te. ℣. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu. * Ex útero. ℣. Glória. * Ex útero. *Ps.* 109 & 2.

Ad Benedictus. *Ant.* Recordátus est Dóminus pópuli sui, ac misertus est hæreditátis suæ. *Esther.* 10.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DEus, qui humánum genus, à suo príncipe letháliter sauciátum, Christi tui Nativitáte salváre dignáris; † præsta, quæsumus, ut non hæreámus in perditiónis autóre, * sed ad Redemptóris nostri consórtia transferámur; Per eumdem.

Fit Commemoratio S. SYLVESTRI PAPÆ, *ut in Communi Pontificum. Collecta*, Deus, qui pópulis. *pag.* xxxvj.

CANON.

Ex Concílio Toletáno undécimo. *An.* 675.

ÆQuális per ómnia Fílius Deo Patri: quia nec nasci cœpit aliquando, nec désiit, sic étiam uníus cum Patre substántiæ créditur; propter quod, & Homoúsios Patri dícitur, hoc est, ejusdem cum Patre substántiæ créditur.

DIE I. JANUARII.

IN CIRCUMCISIONE *DOMINI*, ET OCTAVA NATALIS EJUS.

Solemnitas II. Classis.

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. PArvulus natus est nobis, & Fílius datus est nobis, & factus est principátus super húmerum ejus. *Isai.* 9.

II. Vocábitur nomen ejus, Admirábilis, Consiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri séculi, Princeps pacis. *Isai.* 9.

III. Super sólium David, & super regnum ejus sedébit; ut confírmet illud, & corróboret in justítiâ, usque in sempitérnum. *Isai.* 9.

IV. Israel salvátus est in Dómino salúte ætérnâ: nõ confundémini, usque in séculum séculi. *Isai.* 45.

LECTIO. *Rom.* 8.

QUod impossíbile erat legi, in quo infirmabátur per carnem: † Deus Fílium suum mittens in similitúdinem carnis peccáti, & de peccáto damnávit peccátum

peccátum in carne, * ut justificátio legis implerétur in nobis, qui non secundùm carnem ambulámus, sed secundùm spíritum.

℟. *br.* Lætábimur * In salutári tuo, Dómine. ℟. Lætábimur. ℣. Et in nómine Dei nostri magnificábimur. * In. ℣. Glória. ℟. Lætábimur. *Ps.* 19.

HYMNUS. *B.*

DEbilis cessent elementa legis:
Sat diu mentes timor occupávit;
Fœdus æterni stabilíre JESUS
Cœpit amóris.

Sole de vero radius, paterni
Lúminis purus sine nube splendor,
Probra peccáti puer ecce tinctus
Sánguine præfert.

Stillat excísos pueri per artus
Efficax noxas abolére sanguis:
Obligat morti pretiósa totum
Stilla cruórem.

Hæc dies nomen tibi comparávit,
O Puer, pronus quod adóret orbis;
Et simul dici, simul ipse JESUS
Incipis esse.

Summa laus Patri; simul æqua Nato,
Qui suo mundum redimit cruóre;
Par sit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

℣. Propter nomen tuum, Dómine, ℟. Vivificábis me in æquitáte tuâ. *Ps.* 142.

Ad Magníficat. *Ant.* Propter nímiam caritátem suam, quâ diléxit nos Deus, convivificávit nos in Christo, cujùs grátiâ estis salváti, non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. *Ephes.* 2.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 323.

AD OFFICIUM NOCT.

In *Ps.* Veníte. *Ant.* Fílium Dei factum ex muliere, factum sub lege, * Veníte, adorémus. *Gal.* 4.

HYMNUS. *B.*

FElix dies, quam próprio
JESUS cruóre cónsecrat!
Felix dies quâ géstiit
Opus salútis ággredi!

Vix natus, ecce lácteum
Profundit infans sánguinem;
Libámen est hoc fúneris,
Amóris hoc prælúdium.

Intrans in orbem, jam Patris
Mandáta promptus éxequi,
Statum præóccupat diem,
Et quà potest fit víctima.

Amóre se facit reum,
Pœnasque solvit ínnocens;
Sub lege factus légifer,
A lege nos ut éximat.

Quo Christus ictu læditur,

Lex abrogáta cóncidit ;
Et íncipit lex sánctior
Mansúra semper cáritas.
Tu, Christe, quod non est tuum,
Nostro recíde péctore :
Inscríbe nomen, íntimis
Inscríbe legem córdibus.
Te nostra, Jesu, vox sonet,
Nostríque mores éxprimant ;
Te corda nostra díligant,
Nunc & per omne séculum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Deus glóriæ appáruit Patri nostro Abrahæ, & dedit illi testamentum circumcisiónis. *Act.* 7.

II. Dixit ei Deus : Ego sum ; & pactum meum tecum : erisque pater multárum géntium. *Gen.* 17.

III. Infans octo diérum circumcidétur, ut sit in signum fœderis inter me & vos. *Ibid.*

IV. In carne ejus stare fecit testamentum. *Eccli.* 44.

V. Non cum pátribus nostris íniit pactum : sed nobiscum qui inpræsentiárum sumus & vívimus. *Deut.* 5.

VI. Circumcísio cordis in spíritu, non lítterâ ; cujus laus non ex homínibus, sed ex Deo est. *Rom.* 2.

℣. In Deo salutáre meũ,
℟. Et glória mea. *Ps.* 61.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 17.

DIxit ad Abrahã Deus : Ego sum, & pactum meum tecum, erisque pater multárum géntium. Nec ultrà vocábitur nomen tuũ Abram : sed appelláberis Abraham : quia patrem multárum géntium constítui te. Faciamque te créscere vehementíssimè, & ponam te in géntibus, regesque ex te egredientur. Et státuam pactum meum inter me & te, & inter semèn tuum post te in generatiónibus suis, fœdere sempiterno : ut sim Deus tuus, & séminis tui post te. Dabóque tibi & sémini tuo terram peregrinatiónis tuæ, omnem terram Chánaan in possessiónem ætérnam, eróque Deus eórum.

℟. Dóminus Deus noster : * Memor fuit in séculum testamenti sui, verbi quod dispósuit ad Abraham ; & státuit Jacob in præceptum, & in testamentum æternum. ℣. Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisiónis propter veritátem Dei, ad confirmandas promissiónes patrum. * Memor. *Ps.* 104. *Rom.* 15.

LECTIO II.

DIxit íterum Deus ad Abraham : Et tu ergo custódies pactum meum, & semen tuum post te in

generatiónibus suis. Hoc est pactum meum quod observábitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidétur ex vobis omne masculínum: & circumcidéris carnem præpútii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, & vos. Infans octo diérum circumcidétur in vobis, omne masculínum in generatiónibus vestris: tam vernáculus, quàm emptítius circumcidétur, & quicumque non fúerit de stirpe vestrâ: eritque pactum meum in carne vestrâ in fœdus æternum. Másculus, cujus præpútii caro circumcísa non fúerit, delébitur ánima illa de pópulo suo: quia pactum meum írritum fecit.

℟. Nos spíritu ex fide, spem justítiæ exspectámus; * Nam in Christo Jesu, neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium; sed fides quæ per caritátem operátur. ℣. Finis legis Christus ad justítiam omni credenti; dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. *Nam. *Galat.* 5. *Rom.* 10.

LECTIO III.

Ex Libro Deuteronómii. *Cap.* 10.

ET nunc Israel, quid Dóminus Deus tuus petit à te, nisi ut tímeas Dóminum Deum tuum, & ámbules in viis ejus, & díligas eum, ac sérvias Dómino Deo tuo in toto corde tuo, & in totâ ánimâ tuâ: custodiásque mandáta Dómini, & cæremónias ejus, quas ego hódie præcípio tibi, ut bene sit tibi? En Dómini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli; terra, & ómnia quæ in eâ sunt; & tamen pátribus tuis conglutinátus est Dóminus, & amávit eos, elegítque semen eórum post eos, id est, vos, de cunctis géntibus, sicut hódie comprobátur.

℟. Nováte vobis novále & nolíte sérere super spinas; circumcidímini Dómino: * Et auferte præpútia córdiũ vestrórum. ℣. In Christo edocti estis depónere vos véterem hóminẽ, qui corrúmpitur secundùm desidéria erróris. Renovámini autem spíritu mentis vestræ. * Et auferte. *Jerem.* 4. *Eph.* 4.

LECTIO IV.

CIrcumcídite ígitur præpútium cordis vestri, & cervícem vestram ne indurétis ámpliùs: quia Dóminus Deus vester ipse est Deus deórum, & Dóminus dominántium, Deus magnus & potens, & terríbilis, qui persónam non áccipit, nec múnera: facit judícium pupíllo & víduæ, amat peregrínum, & dat ei victum atque vestítum.

Et vos ergo amáte peregrínos, quia & ipsi fuistis ádvenæ in terrâ Ægypti. Dóminum Deum tuum timébis, & ei soli sérvies : ipsi adhærébis, jurabisque in nómine illíus. Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnália & terribília quæ vidérunt óculi tui.

℟. Circumcídet Dóminus Deus tuus cor tuum & cor séminis tui, * Ut díligas Dóminum Deum tuum in toto corde tuo, & in totâ ánimâ tuâ. ℣. Circumcísio nihil est, sed obsevátio mandatórum Dei, * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Deut.* 30. *I. Cor.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Redemptor noster, Dóminus exercítuum nomen illíus, Sanctus Israel. *If.* 47.

II. Christus non venit, sólvere legem, sed adimplére. *Matt.* 5.

III. Finis legis Christus, ad justítiam omni credenti. *Rom.* 10.

IV. Nos promissiónis filii sumus, filii non ancillæ, sed líberæ ; quâ libertáte Christus nos liberávit. *Gal.* 4.

V. In Christo nova creatúra : vétera transiérunt ; ecce facta sunt ómnia nova. *II. Cor.* 5.

VI. Omnia ex Deo, qui nos reconciliávit sibi per Christum, & dedit nobis ministérium reconciliatiónis. *Ibid.*

℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi : ℟. Psalmum dicat nómini tuo. *Ps.* 65.

LECTIO V.

Ex Diálogo sancti Justíni Mártyris cum Tryphóne Judæo. *Edit. Bened. II. Sec. n.* 23.

SI nec ante Abraham circumcisióne, nec ante Móysen sábbato, fériis & munéribus opus erat ; neque étiam simíliter opus est, postquàm secundùm voluntátem Patris, absque peccáto, ex Vírgine ab Abraham oriundâ, génitus est Fílius Dei Jesus Christus. Nam & ipse Abraham, cùm in præpútio esset, propter fidem, quâ crédidit Deo, justificátus & benedictus est, ut Scriptúra demonstrat. Circumcisiónem autem in signum, non ad justítiam accépit, ut Scriptúræ & res ipsæ nos cogunt confitéri.

℟. Novus homo renovátur in agnitiónem secundùm imáginem ejus qui creávit illum : * Ubi non est Gentílis & Judæus ; circumcísio & præpútium, Bárbarus & Scytha, servus & liber ; sed ómnia & in ómnibus Christus. ℣. Dicit Dóminus Deus, quæ pri-

érunt, ecce vené-
nova quoque ego
io. * Ubi. *Coloss.* 3.
2.

io VI. *n.* 24 & 44.

uis circumcisiónis il-
obsolévit, sánguini
i credídimus: áliud
œdus, ália ex Sion
lex. Jesus Christus
qui volúerint cir-
dit, ut olim prædi-
fuit, cultris lapí-
ut fiat gens justa,
as servans fidem, ré-
veritátis, custódiens
. Nemo enim, ne ex
idem sémine Abra-
quidquam accípere
, præter eos qui áni-
similáti fúerint Abra-
lei, & mystéria óm-
nóverint, id est, ália
um præcepta ad Dei
n & justítiæ obser-
nem esse data; ália
a præcepta & ópera,
l Christi mystérium,
o durítiam cordis pó-
estri simíliter esse de-
a.

Nos sumus circum-
qui spíritu servímus
* Et gloriámur in
to Jesu, & non in
fidúciam habentes.
ientes, quòd non ju-
itur homo ex opéribus
; nisi per fidem Jesu
ti; & nos in Christo
crédimus. * Et gloriá-
Philip. 3. *Gal.* 2.

LECTIO VII.

Ex Libro quarto sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris. *Edit. Bened. Sec. II. Cap.* 16.

QUóniam & Circumcisiónem non quasi consummatrícem justítiæ, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscíbile persevéret genus Abrahæ, ex ipsâ Scriptúrâ díscimus. In signo ergo data sunt hæc; sed secundùm carnem circumcísio circumcisiónem significábat spiritálem. Et quia non per hæc justificabátur homo, sed in signo data sunt pópulo, ostendit, quòd ipse Abraham sine circumcisióne, & sine observatióne sabbatórum, crédidit Deo, & reputátum est illi ad justítiam & amícus Dei vocátus est. Sed & réliqua autem omnis multitúdo eórum, qui ante Abraham fuérunt justi, & eórum Patriarchárum, qui ante Móysen fuérunt, & sine his quæ prædicta sunt, & sine lege Móysi justificabantur.

℞. An Judæórum Deus tantùm? nonne & Géntium? Immò & Géntium: * Quóniam quidem unus est Deus qui justíficat circumcisiónem ex fide, & præpútium per fidē. ℣. Justítia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum:

[illegible]
* Quoniam. Rom. 3.

LECTIO VIII.

Ex Sermone secundo Sancti Bernardi Abbatis in Circumcisione Domini. Edit. Bened. n. 3.

MErito sane dum circumciditur Puer qui natus est nobis, Salvator vocatur: quod videlicet ex hoc jam cœperit operari salútem nostram, immaculátum illum pro nobis sanguinem fundens. Neque enim jam quærere est Christiánis, cur volúerit Dóminus Christus circumcídi. Propter hoc siquidem circumcísus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed ómnia propter electos. Nec in peccáto génitus, nec a peccáto circumcísus, nec mórtuus est pro peccáto suo, magis autem propter delicta nostra.

℟. Ingrédiens mundum dicit: Hóstiam & oblatiónem noluísti, corpus autem aptasti mihi: in cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam; * Deus meus vólui, & legem tuam in médio cordis mei. ℣. Descendi de cœlo, non ut fáciam voluntátem meam; sed voluntátem ejus qui misit me. * Deus. ℣. Glória. * Deus. Hebr. 10. Ps. 39. Joan. 6.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. II. Reg. 22.

[illegible] & fortitudo Deus.

DOminus petra mea, & robur meum, * & salvator meus.

Deus fortis meus; sperábo in eum: * scutum meum, & cornu salútis meæ.

Elevátor meus & refúgium meum: * salvátor meus, de iniquitáte liberábis me.

Laudabilē invocábo Dóminum, * & ab inimícis meis salvus ero.

Vivit Dóminus, & benedictus Deus meus; * & exaltábitur Deus fortis salútis meæ.

Proptéreà confitebor tibi, Dómine, in géntibus; * & nómini tuo cantábo.

II. CANTICUM. I. Paral. 16.

Eximium sacrificium, pia cordis laudatio; celebranda Dei misericordia.

AFferte Dómino, famíliæ populórum; * afferte Dómino glóriam & impérium.

Date Dómino glóriam nómini ejus, leváte sacrifícium & veníte in conspectu ejus: * & adoráte Dóminum in decóre sancto.

Commoveátur à fácie ejus omnis terra: * ipse enim fundávit orbem immóbilem.

Lætentur cœli & exultet terra : * & dicant in natiónibus : Dóminus regnávit.

III. CANTICUM. *Ibid.*

CONfitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Et dícite : salva nos, Deus salvátor noster ; * & cóngrega nos, & érue de géntibus.

Ut confiteámur nómini sancto tuo, * & exultémus in carmínibus tuis.

Benedíctus Dóminus Deus Israel, * ab æterno usque in æternum.

Et dicat omnis pópulus : Amen, * & hymnum Dómino.

Ant. Cantáte Dómino, quóniam magnificè fecit : confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus. *Is.* 12.

℣. Filii Sion exultent in Rege suo : ℟. Laudent nomen ejus in choro. *Ps.* 149.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 4.

QUid ergo dicémus invenisse Abraham patrem nostrum secundùm carnem ? Si enim Abraham ex opéribus justificâtus est, habet glóriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptúra ? Crédidit Abraham Deo : & reputátum est illi ad justítiam. Ei autem, qui operátur, merces non imputátur secundùm grátiam, sed secundùm débitum. Ei verò, qui non operátur, credenti autem in eum, qui justíficat ímpium, reputátur fides ejus ad justítiam secundùm propósitum grátiæ Dei.

℟. Quóniam in lege nemo justificátur apud Deum, manifestum est * Quia justus ex fide vivit. ℣. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetipso. * Quia. *Gal.* 3. *Habac.* 2.

LECTIO X.

SIcut & David dicit beatitúdinem hóminis, cui Deus accepto fert justítiam sine opéribus : Beáti quorum remissæ sunt iniquitátes, & quorum tecta sunt peccáta. Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum. Beatitúdo ergo hæc in circumcisióne tantùm manet, an étiam in præpútio ? Dícimus enim quia reputáta est Abrahæ fides ad justítiam. Quómodò ergo reputáta est ? In circumcisióne, an in præpútio ? Non in circumcisióne, sed in præpútio.

℟. Scriptum est : Abraham crédidit Deo, & reputátum est illi ad justítiam. * Cognóscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii

sunt filii Abrahæ. ℣. Reputáta est Abrahæ fides ad justítiam. * Cognóscite. *Galat.* 3. *Rom.* 4.

LECTIO XI.

ET signum accépit circumcisiónis, signáculum justítiæ fidei, quæ est in præpútio: ut sit pater ómnium credéntium per præpútium, ut reputétur & illis ad justítiam: & sit pater circumcisiónis non iis tantùm qui sunt ex circumcisióne, sed & iis, qui sectantur vestígia fidei, quæ est in præpútio patris nostri Abrahæ. Non enim per legem promíssio Abrahæ, aut sémini ejus, ut hæres esset mundi: sed per justítiam fidei. Si enim qui ex lege, hærédes sunt: exinaníta est fides, abolíta est promíssio. Lex enim iram operátur. Ubi enim non est lex: nec prævaricátio.

℟. Próvidens Scriptúra, quia ex fide justíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes gentes. * Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fidéli Abraham. ℣. Dixit ei Dóminus: Benedícam tibi, & benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ, quia obedísti voci meæ. * Igitur. *Galat.* 3. *Gen.* 22.

LECTIO XII.

IDeò ex fide, ut secundùm grátiam firma sit promíssio omni sémini, non ei, qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est ómnium nostrûm, (sicut scriptum est: Quia patrem multárum géntium pósui te) ante Deum, cui crédidit, qui vivíficat mórtuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquàm ea quæ sunt. Qui contra spem in spem crédidit, ut fieret pater multárum géntium, secundùm quod dictum est ei: Sic erit semen tuum.

℟. Non est distínctio Judæi & Græci; nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum: * Omnis enim quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. ℣. Dicit Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. * Omnis. ℣. Glória. * Omnis. *Rom.* 10.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 2.

POstquàm consummáti sunt dies octo ut circumciderétur Puer; vocátum est nomen ejus JESUS, quod vocátum est ab Angelo, priusquam in útero conciperétur.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. ANgelus Dómini appáruit Joseph: dicens: Páriet María fílium:

& vocábis nomen ejus Jesum. *Matth.* 1.

II. Consummáti sunt dies octo ut circumciderétur Puer. *Luc.* 2.

III. Vocátum est nomen ejus Jesus; quod vocátum est ab Angelo, priusquam in útero conciperétur. *Luc.* 2.

IV. Omnis qui invocáverit nomen Dómini salvus erit. *Joel.* 2.

V. Omnes Prophétæ testimónium pérhibent remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. *Act.* 10.

LECTIO. *Tit.* 2.

SAlvátor noster Jesus Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum.

℟. *br.* Beáta gens, * Cujus est Dóminus Deus ejus. ℟. Beáta. ℣. Pópulus, quem elégit in hæreditátem sibi. * Cujus est. ℣. Glória. ℟. Beáta. *Ps.* 32.

HYMNUS. *B.*

NOxium Christus simul introívit
Innocens orbem: Pater, inquit, adsum;
Quas petis vindex, venio parátus,
Sólvere pœnas.

Non placet fusus cruor hostiárum:
Quod mihi aptasti, Pater, ecce corpus;
Agnus implébo móriens figúras
Verus inánes.

Dixit; & Patris venerátus iram,
Sústinet vulnus sílicis cruentæ:
Et jugum legis subit ipse, servis
Ut juga demat.

Jam nihil carnem spoliáre prodest;
Sed malas cordis resecáre fibras,
Hoc opus: tali nova sanciuntur
Fœdera lege.

Summa laus Patri; simul æqua Nato,
Qui suo mundum rédimit cruóre:
Par sit ambórum tibi laus per omne,
Spiritus, ævum.
Amen.

℣. Apud Dóminum misericórdia; ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 129.

Ad Benedictus. *Ant.* Cùm mórtui essétis, in delictis, & præpútio carnis vestræ, convivificávit vos cum Christo, donans vobis ómnia delicta. *Coloss.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

OMnípotens Deus, cujus Unigénitus hodiernâ die corporálem suscépit circumcisiónem, † spirituáli circumcisióne mentes no-

stras ab ómnibus vitiórum incentívis expurga, * & fac nos perseveráre in novitáte virtútum; Per eumdem.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Florentíno. *An.* 1439. *Eugenii IV. Decret. pro Jacobinis.*

SAcrosáncta Romána Ecclésia firmiter credit, profitétur, & docet, legália véteris Testamenti, seu Mosáicæ legis, quæ dividuntur in cæremónias, sacra, sacrifícia, sacramenta, quia significandi alicújus futúri grátiâ fúerant institúta, licèt divíno cúltui illâ ætáte congrúerent, significáto per illa Dómino nostro Jesu Christo adveniente cessasse, & novi Testamenti sacramenta cœpisse. Quemcumque étiam post passiónem in legálibus spem ponentem, & illis velut ad salútem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis salváre non posset, peccasse mortáliter.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Coloss.* 2.

IN Christo circumcísi estis, circumcisióne non manufactâ in exspoliatióne córporis carnis, † sed in circumcisióne Christi; * consepulti ei in baptismo.

℣. In eo lætábitur cor nostrum; ℟. Et in nómine sancto ejus sperávimus. *Ps.* 32.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Ephes.* 1.

GRatificávit nos Deus in dilecto Fílio suo, † in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum,* secundum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; sed nómini tuo da glóriam, ℟. Super misericordiâ tuâ & veritáte tuâ. *Ps.* 113.

AD NONAM.

LECTIO. *Rom.* 10.

DIcit Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. † Non enim est distínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium dives in omnes qui invocant illum. * Omnis enim quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℣. Sperent in te qui novérunt nomen tuum; ℟. Quóniam non dereliquísti quærentes te, Dómine. *Ps.* 9.

AD II. VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

Ant. Christum Jesum propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus. *Rom.* 3.

II. *Ps.* 110. Confitébor. *pag.* 29.

Ant. Redémit nos de maledicto legis; ut in géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Christo Jesu. *Galat.* 3.

III. *Ps.* 111. Beátus vir. *pag.* 29.

Ant. Ipse est pax nostra, legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hóminem. *Ephes.* 2.

IV. *Ps.* 137. Confitébor tibi .... quóniam. *pag.* 54.

Ant. Nemo potest dícere: Dóminus Jesus, nisi in Spíritu sancto. *I. Cor.* 12.

LECTIO. *Rom.* 7.

CUm essémus in carne, passiónes peccatórum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificárent morti. † Nunc autem solúti sumus à lege mortis, in quâ detinebámur, * ita ut serviámus in novitáte spíritûs, & non in vetustáte litteræ.

℟. *br.* Cantáte Dómino, * Et benedícite nómini ejus. ℟. Cantáte. ℣. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus. * Et. ℣. Glória. ℟. Cantáte. *Ps.* 95.

HYMNUS.

VIctis sibi cognómina
Sumant tyranni géntibus;
Tu, Christe, quantò dígnius
Ab his capis quos líberas!
Non álterum mortálibus
Ægris datum quod ínvocent,
Resúrgerent quo mórtui,
Perennè per quod víverent.
Tanti quod illi cónstitit,
Toto quod emptum sánguine,
Nostró-ne rursum crímine,
Insána gens, delébimus?
Sacro pati pro nómine,
Summi sit instar múneris:
Amára non mors ámpliùs,
Fit mors per hoc amábilis.
Tu, qui vocári sústines,
JESU, salus mortálium
Audi, vocantes nos tuo
Qui gloriámur nómine.
Qui natus es de Vírgine
JESU tibi sit glória
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Salvávit eos propter nomen suum, ℟. Ut notam fáceret poténtiam suam. *Ps.* 105.

Ad Magníficat. Ant. Vitam ætérnam dedit nobis Deus; & hæc vita in Fílio ejus est. Ut sciátis quóniam vitam habétis æternam qui créditis in nómine Fílii Dei. *I. Joan.* 5.

IN FERIIS
INTER
CIRCUMCISIONEM
ET VIGILIAM EPIPHANIÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

In Psalm. Veníte. *Ant.* Christum Jesum Salvató-

rem nostrum; * Venite, adorémus. *Tit.* 1.

Hymnus; Felix dies. *suprà pag.* 315.

Antiphonæ & ℣. ut in Psalterio.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *Hebr.* 3.

FRatres sancti, vocatiónis cœlestis partícipes, considerate Apóstolum & Pontíficem confessiónis nostræ Jesum; qui fidélis est ei qui fecit illum, sicut & Móyses in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iste præ Móyse dignus est hábitus, quantò ampliórem honórem habet domûs, qui fabricávit illam.

℣. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, ℟. Et mirabília ejus filiis hóminum. *Ps.* 106.

Collecta infra ad Laudes.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Isai.* 43.

ANte me non est formátus Deus, & post me non erit; ego sum Dóminus, & non est absque me Salvátor, dicit Dóminus.

℟. *br. & Hymnus*, Noxium. *ut in Circumcisione; suprà, pag.* 323.

℣. A solis ortu usque ad occásum, ℟. Laudábile nomen Dómini. *Ps.* 112.

Ad Benedictus. *Ant.* Tu Dómine Pater noster: à século nomen tuum. *Is.* 63.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris † ut pópulus tuus qui te factóre cónditus, teque est reparátus autóre * te étiam júgiter operante salvétur: Qui vivis.

AD HORAS, *Antiphonæ ut in Psalterio.*

AD PRIMAM, *Canon Feriæ occurrentis.*

AD TERTIAM.

LECTIO. *II. Tim.* 2.

FIrmum fundamentum Dei stat, habens signáculum hoc; † cognóvit Dóminus qui sunt ejus, * & discédat ab iniquitáte omnis qui nóminat nomen Dómini.

℣. Benedícam te, Dómine in vitâ meâ. ℟. Et in nómine tuo levábo manus meas. *Ps.* 62.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Philip.* 2.

DEus exaltávit illum, † & donávit illi nomen quod est super omne nomen; * ut in nómine Jesu omne genu flectátur cœléstium, terréstrium & infernórum.

℣. Exaltátum est nomen ejus solíus. ℟. Conféssio ejus super cœlum & terram. *Ps.* 148.

AD NONAM.

LECTIO. *Act.* 4.

NOn est in álio áliquo salus ; † nec enim aliud nomen est sub cœlo datum homínibus ; * in quo opórteat nos salvos fieri.

℣. In eo lætábitur cor nostrum, ℟. Et in nómine sancto ejus sperávimus. *Ps.* 32.

AD VESPERAS.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Coloss.* 3.

OMne quodcumque fácitis in verbo aut in ópere † ómnia in nómine Dómini Jesu Christi,* grátias agentes Deo & Patri per ipsum.

℟. *br. Hymnus*, Victis. & ℣. *suprà, pag.* 325.

Ad Magníficat. *Ant.* In Christo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ. *Coloss.* 1.

DOMINICA

INTER

CIRCUMCISIONEM

ET VIGILIAM EPIPHANIÆ.

PRIDIE, *ad Vesperas, Antiphona de Psalterio.*

Lectio, Omne quodcumque. *ut suprà.*

℟. *br. Hymnus*, Débilis. & ℣. *ut in Circumcisione, ad I. Vesp. pag.* 315.

Ad Magníficat. *Ant.* Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens : Surge, & áccipe púerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. *Matth.* 2.

Collecta infrà ad Laudes Dominicæ.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum in cujus nómine omne genu fléctitur ; * Veníte, adorémus. *Philip.* 2.

Hymnus, Felix dies. *ut in Circumcisione, pag.* 315.

Antiphonæ, & ℣. I. & II. Nocturni ut in Psalterio.

Lectiones I. Noct. cum ℟℟. de Scripturâ occurrente. II. & III. & Evangelium ut in Vigiliâ Epiphaniæ quando in Dominicâ venerit, infrà p. 337.

In III. Noct. Cant. Ant. & ℣. ut in Circumcisione Domini, pag. 320.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Psalterio. Lectio ut suprà in Feriis post Circumcisionem. ℟. *br. Hymnus*, Noxium. & ℣. *ut in Circumcisione, pag.* 323.

Ad Benedictus. *Ant.* Erat Jesus in Ægypto, usque ad óbitum Heródis. *Matth.* 2.

COLLECTA. *Brev. Parif.*

DEus, qui pro nobis homo factus, circumcídi, & Salvatóris nomen accípere voluisti; † concéde propítius, ut carnis renuntiantes opéribus, * salútis ætérnæ præmium per invocatiónem sancti tui nóminis consequámur: Qui vivis.

AD HORAS, *Antiphonæ ut in Psalterio. Lectiones & ℣℣. ut in Feriis post Circumcisionem, pag.* 326.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Lugdunensi secundo. *An.* 1274. *Can.* 25.

QUod generáliter scríbitur: In nómine JESU omne genu flectátur, singuli singuláriter in seipsis impléntes, præcípuè dum aguntur Missárum sacra mystéria, glorióſum illud nomen quandocumque recólitur, flectant génua cordis sui, quod vel cápitis inclinatióne testentur.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominicâ. Ant. Lect. ℟. *br. Hymnus,* Victis. *&* ℣. *ut in Circumcisione ad II. Vesp. p.* 324.

Ad Magníficat. *Ant.* Dictum est à Dómino, per Prophétam: Ex Ægypto vocávi Fílium meũ. *Matth.* 2.

DIE II. JANUARII.

AD OFFIC. NOCT. *ut suprà, pag.* 325.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Cap. 11.

FIde óbtulit Abraham Isaac, cùm tentarétur, & unigénitum offerébat, qui suscéperat repromissiónes; ad quem dictum est: Quia in Isaac vocábitur tibi semen: árbitrans quià & à mórtuis suscitáre potens est Deus: unde eum & in parábolam accépit. Fide & de futúris benedixit Isaac & Esaü. Fide Jacob, móriens, síngulos filiórum Joseph benedixit: & adorávit fastígium virgæ ejus. Fide Joseph, móriens, de profectióne filiórum Israel memorátus est, & de óssibus suis mandávit. ¶ Fide Móyses, natus, occultátus est ménsibus tribus à paréntibus suis, eo quòd vidissent elegantem infantem, & non timuérunt regis edictum. Fide Móyses, grandis factus, negávit se esse filium fíliæ Pharaónis, magìs éligens afflígi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem, majóres divítias æstimans thesauro Ægyptió-

rum, impropérium Christi: adspiciébat enim in remuneratiónem. Fide relíquit Ægyptum, non véritus animositátem regis: invisíbilem enim tamquàm videns sustínuit.

Responsoria ut suprà Die XXXI. Decembris pag. 312.

LECTIO II.

ET quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gédeon, Barac, Samson, Jephte, David, Sámuel, & Prophétis: qui per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum. Accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos. Alii autem distenti sunt non suscipientes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. ¶ Alii verò ludíbria, & vérbera experti, ínsuper & víncula, & cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, afflicti: quibus dignus non erat mundus; in solitudínibus errantes, in móntibus, & speluncis, & in cavernis terræ. Et hi omnes testimónio fidei probáti, non accepérunt repromissiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

LECTIO III.

Ex Sermóne secundo sancti Bernardi Abbátis, in Circumcisióne Dómini. *Ed. Ben. n.* 3. & 4.

VOcátum est nomen ejus JESUS; vocátum est planè, non impósitum, nempe hoc ei nomen est ab æterno. A natúrâ própriâ habet ut sit Salvátor: innátum est ei nomen hoc, non índitum ab humánâ vel Angélicâ creatúrâ. Sed quid dícimus. Quod Egrégius ille Prophéta hunc ipsum púerum multis nomínibus appellandum fore prædicens, hoc unum tacuisse vidétur, quod solum ut præmónuit Angelus vocátum est nomen ejus? Exultávit Isáias, ut vidéret diem hunc, & vidit, & gavísus est. Dénique & loquebátur gratulabundus & laudans Deum: Puer natus est nobis, & factus est principátus super húmerum ejus: & vocábitur nomen ejus: Admirábilis, Consiliárius, Deus fortis, Pater futúri séculi, Princeps pacis. Magna quidem

magnam habet remuneratiónem. * Patiéntia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissiónem. ℣. Patientes igitur estóte, & confirmate corda vestra: * Patiéntia. *Hebr.* 10. *Jac.* 5.

℟. IV. Adhortámini vosmetipsos per singulos dies, ut non obdurétur quis ex vobis fallaciâ peccati; * Partícipes enim Christi effecti sumus. ℣. Vidéte, ne forte sit in aliquo vestrúm cor malum incredulitátis, discedendi à Deo vivo: * Partícipes. ℣. Glória. * Partícipes. *Hebr.* 3.

LECTIO III.

Ex Sermóne secundo sancti Bernardi Abbatis in Circumcisióne Dómini. *Ed. Ben. n.* 5.

NUmquid non verè Admirabilem Jesum singuli sumus experti in mutatióne útique voluntátum nostrárum? Hoc nempe est salvatiónis nostræ princípium, cum incípimus respúere quod diligebámus, dolére unde lætabámur, amplecti quod timebámus, sequi quod fugiebámus, optáre quod contemnebámus. Admirábilis planè qui hæc operátur mirabília. Sed nihilóminùs & Consiliárium sese exhíbeat necesse est in electióne pœniténtiæ, & vitæ ordinatióne: ne fortè sit nobis absque sciéntiâ zelus, & voluntati bonæ prudéntia desit. Sanè opus est ut Deum quoque probémus in remissióne vidélicet priórum delictórum, quia nec sine hâc salus nobis constáre potest; & nemo potest dimittere peccáta nisi solus Deus. Verùm ne id quidem sufficit ad salútem; nisi Fortem quoque experiamur in expugnando impugnantes nos, ne ab eisdem rursum concupiscéntiis superémur, & fiant novíssima nostra pejóra prióribus. Videtur-ne jam áliquid deesse Salvatóri? Planè deesset quod máximum est, nisi & Pater esset futúri séculi, ut per eum scílicet in immortalitátem resurgerémus, qui per præsentis séculi patrem generámur ad mortem. Neque hoc satis. Si non étiam Princeps pacis Patri nos reconciliáret, cui traditúrus est regnum: ne fortè sicut filii perditiónis útique non salútis, resurrectúri viderémur ad pœnam. Multiplicábitur sane ejus impérium, ut méritò Salvátor dicátur étiam pro multitúdine salvandórum: & Pacis non erit finis, ut veram nóveris esse salútem, quæ non possit timére defectum.

℟. Deus fortis meus, sperábo in eum, scutum meum, & cornu salútis meæ; elevátor meus, &

refugium meum : * Salvátor meus, de iniquitáte liberábis me. ℣. Tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. * Salvátor. ℣. Glória. * Salvátor. *II. Reg.* 22. *Joan.* 11.

AD LAUDES ET HORAS, *ut suprà, pag.* 326.

CANON.

Ex Concílio Turonensi. *Serm. Arnulphi Lexov. An.* 1163.

QUæ sunt Dómini nómina ? Jesus Christus. Jesus interpretátur Salvátor ; Christus Unctio : ubi únctio, ibi suávitas. Manifestè nomen illud Christus suavitátem rédolet unctiónis, Jesus salútis grátiam repromittit.

DIE IV. JANUARII.

AD OFFICIUM NOCT. *ut suprà, pag.* 325.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Cap.* 12.

NOn accessistis ad tractábilem montem, & accensíbilem ignem, & túrbinem, & calíginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verbórum, quam qui audiérunt, excusavérunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portábant quod dicebátur : Et si béstia tetígerit montem, lapidábitur. Et ita terríbile erat quod videbátur. Móyses dixit : Extérritus sum, & tremebundus. ¶ Sed accessistis ad Sion montem, & civitátem Dei viventis, Jerúsalem cœlestem, & multórum míllium Angelórum frequéntiam, & Ecclésiam primitivórum, qui conscripti sunt in cœlis, & júdicem ómnium Deum, & spíritus justórum perfectórum, & testamenti novi mediatórem Jesum, & sánguinis adspersiónem méliùs loquentem quàm Abel.

LECTIO II. *Cap.* 12. & 13.

VIdéte ne recusétis loquentem. Si enim illi non effugérunt, recusantes eum, qui super terram loquebátur : multò magìs nos, qui de cœlis loquentem nobis avértimus. Cujus vox movit terram tunc : nunc autem repromittit, dicens : Adhuc semel ; & ego movébo non solùm terram, sed & cœlum. Quòd autem, Adhuc semel dicit : declárat mobílium translatiónem, tamquàm factórum, ut máneant ea, quæ sunt immobília. Itaque regnum immóbile suscipientes, habémus grátiam : per quam serviámus placentes Deo, cum metu & reveréntiâ. Etenim Deus noster ignis consúmens est. ¶ Cáritas fraternitátis máneat in vobis. Et hospitalitátem no-

líte oblivísci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hospítio receptis. Mementóte vinctórum, tamquàm simul vincti; & laborántium, tamquàm & ipsi in córpore morantes. Sint mores sine avarítiâ; contenti præséntibus: ipse enim dixit: Non te déseram, neque derelinquam. Ita ut confidenter dicámus: Dóminus mihi adjútor: non timébo quid fáciat mihi homo.

℟. I. Non accepistis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepistis * Spíritum adoptiónis filiórum. ℣. Quóniam estis filii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra. * Spíritum. *Rom.* 8. *Gal.* 4.

℟. II. Habentes Pontíficem magnum Jesum Fílium Dei; * Adeámus cum fidúciâ ad thronum grátiæ: ut misericórdiam consequámur in auxílio opportúno. ℣. Hunc propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus: * Adeámus. *Hebr.* 4. *Rom.* 3.

℟. III. Hódie si vocem ejus audiéritis, * Nolíte obduráre corda vestra. ℣. Vidéte, ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis, discedendi à Deo vivo. * Nolíte. *Ps.* 94. *Hebr.* 3.

℟. IV. Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, * Et † Considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis, & bonórum óperum. ℣. Dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes. * Et. ℣. Glória. † Considerémus. *Hebr.* 10. *Galat.* 6.

LECTIO III.

Ex Sermóne primo sancti Bernardi Abbátis in Epiphániâ Dómini. *Edit. Ben. n.* 3.

UNum est in quo convéniunt Apóstolus & Angeli qui de Christi nativitáte loquuntur, id est, in nómine Salvatóris. Bene dulce nomen nullus ex ipsis tácuit, quia hoc mihi máximè necessáriũ fuit. Alióquin quid ágerem áudiens Dóminum veniente͂? Numquid non fúgerem, sicut Adam qui à fácie ejus fugit, sed non effúgit? Nonne desperárem, áudiens quia venit ille cujus legem sic prævaricátus sum, cujus pœniténtiâ sic abúsus sum, cujus beneficio tam ingrátus inventus sum? Quæ verò major consolátio póterat esse, quàm in dulci vocábulo, in nómine consolatório? Proptérea & ipse dixit, quia non venit Fílius ut júdicet mundum: sed ut salvétur mundus per ipsum. Jam confidenter accédo, jam súpplico fiduciáliter. Quid enim tímeam, quando Salvátor venit in domum meam? Ei soli peccavi;

ri, donátum erit quid-
id indúlserit ille; útique
m licet ei quod vult fá-
e. Deus est qui justífi-
, quis est qui condem-
:? Aut quis accusábit ad-
sùs eléctos Dei? Pro-
rea gaudére nos oportet
òd in nostra vénerit;
nc enim fácilis ad indul-
ntiam erit.

℟. Non est sanctus ut Dóminus, neque enim álius extrà. & * Non fortis sicut Deus noster. Soli Deo Salvatóri nostro, per Jesum Christum Dóminum nostrum, glória magnificéntia, impérium & potestas ante omne séculum, & nunc, & in ómnia sécula seculórum. * Non est. ℣. Glória. * Non. *Reg. 2. Jud.*

AD LAUDES ET HORAS, *suprà, pag. 326.*

CANON.

x Concílio Ephesíno primo. *Part. 1. Cap. 4. An. 431.*

QUalis, grátia, aut cujusnam Dei grátia apáruit nobis? Planum est, quòd illíus Dei & Dómini, qui juxta beátum David, luxit nobis, cujusque gloriósam manifestatiónem e cœlis exspectámus. Magnus hic Deus ipse Salvátor noster Jesus Christus, qui óbtulit semetipsum pro nobis, quò ab omni peccáto absolútos sibi constitúeret adoratóres. Cùm ergo beátus Paulus Salvatórem nostrum Jesum Christum magnum Deum prædicet, quis Emmanuélem verum Deum esse inficiári áudeat?

DIE V. JANUARII.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ DOMINI.

Si hæc Vigilia venerit in Dominicâ, Officium fit ut sequitur.

SABBATO.

AD VESPERAS.

Antiphona ut in Psalterio.

LECTIO. *Isai. 2.*

ERit in novíssimis diébus præparátus mons domûs Dómini in vértice móntium; † & elevábitur super colles * & fluent ad eum omnes gentes.

℟. *br.* Omnes gentes * Pláudite mánibus. ℟. Omnes. ℣. Jubiláte Deo in voce exsultatiónis. * Pláudite. ℣. Glória. ℟. Omnes. *Ps. 46.*

Hymnus, Victis sibi. *ut in Circumcisione, pag. 325.*

℣. Erípies me de contradictiónibus pópuli: ℟. Constítues me in caput géntium. *Ps. 17.*

Ad Magníficat. *Ant.* Ibunt pópuli multi & dicent: Veníte, & ascendámus ad montem Dómini, & ad

domum Dei Jacob, & docébit nos vias suas, & ambulábimus in sémitis ejus. *Isai.* 2.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 343.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum Christum Príncipem regum terræ, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 1.

Hymnus, Felix dies. *ut in Circumcisione, pag.* 315.

Antiphonæ & ℣. I. & II. Nocturni, ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Cap. 13.

MEmentóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuentes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, & hódie: ipse & in sécula. Doctrínis váriis, & peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátiâ stabilíre cor, non escis: quæ non profuérunt ambulántibus in eis. ¶ Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infertur sanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portantes: Non enim habémus hìc manentem civitátem; sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem & communiónis nolíte oblivísci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus.

Responsoria ut heri, pag. 334.

LECTIO II.

OBedíte præpósitis vestris, & subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri; ut cum gáudio hoc fáciant, & non gementes: hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis: confídimus enim quia bonam consciéntiam habémus in ómnibus bene volentes conversári. Ampliùs autem déprecor vos hoc fácere, quò celériùs restítuar vobis. ¶ Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis pastórem magnum óvium, in sánguine testamenti æterni, Dóminum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem: fáciens in vobis quod pláceat coram se per Jesum

Christum: cui est glória in sécula seculórum. Amen. Rogo autem vos, fratres, ut sufferátis verbum solátii. Etenim perpaucis scripsi vobis. Cognóscite fratrem nostrum Timótheum dimissum: cum quo (si celérius vénerit) vidébo vos. Salutáte omnes præpósitos vestros, & omnes sanctos. Salútant vos de Itáliâ fratres, Grátia cum ómnibus vobis. Amen.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Athanásii Epíscopi ad Epictétum. *Edit. Bened. & apud Concil. Ephes. I. n. 2.*

QUo pacto viri qui dicuntur Christiáni, vel ambígere ausi sunt, sitne Dóminus qui ex Maríâ natus est, substántiâ & natúrâ suâ Fílius Dei; secundùm carnem verò ex sémine David & ex carne sanctæ Maríæ ortus? Quinam verò eâ temeritáte fuérunt, ut dícerent, Christum qui carne passus & crucifíxus est, non esse Dóminum & Salvatórem ac Deum, Filiumque Patris? Aut quómodo Christiáni volunt nuncupári, qui dicunt in sanctum hóminem, perinde atque in unum ex Prophétis, venisse Verbum, nec ipsum hóminem factum fuisse, ex Maríâ corpus assumendo, sed álium esse Christum, & álium Dei Verbum, quod ante Maríam & ante sécula Fílius erat Patris? Aut quâ, quæso, ratióne Christiáni fúerint, qui dicunt álium esse Fílium, & álium Dei Verbum.

℟. Scimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscámus verum Deum, & simus in vero Fílio ejus: * Hic est verus Deus & vita ætema. ℣. Hic est Deus noster in æternum, & in séculum séculi: ipse reget nos in sécula. * Hic. *I. Joan. 5. Ps. 47.*

LECTIO VI. *n. 5.*

SEmen Abrahæ apprehéndit, ut ait Apóstolus, unde débuit per ómnia frátribus similári, & corpus assúmere nobis símile. Proptérea ígitur adest verè María, ut ab eâ illud assúmat, & tamquàm próprium pro nobis illud ófferat. Illud ipsum corpus octávo die circumcísum est, idem à Simeóne in ulnas susceptum, idipsum puer evásit, crevit, duodecimque annórum factum est, & ad trigésimum usque pervénit annum. Non enim, ut nonnulli suspicáti sunt, ipsa Verbi substántia mutáta, circumcísa est, cùm sit

P 2

invariábilis & immutábilis, sed in córpore circumcíso, gestáto, edente, bibente, laborante, cruci affixo & patiente, erat impatibile & incorpóreum Dei Verbum. Sed quæ córporis erant própria, sibi ipsi incorpóreo exsistenti própria effécit.

℟. Débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fieret, & fidélis Póntifex ad Deum. * Ut repropitiáret delícta pópuli. ℣. Pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm. * Ut. *Hebr.* 2. *Isai.* 53.

LECTIO VII. *n.* 5.

NAm quæ humánum Verbi corpus patiebátur, hæc ipsa Verbum quod córpori conjunctum erat ad se referébat, ut nos Verbi deitátis participes fieri possémus. Ac illud perquàm mirábile fuit, idem fuisse pátiens & non pátiens; pátiens quidem quátenus próprium ipsíus córpus patiebátur, & quátenus in ipso patiente erat: non pátiens autem, quia Verbum cùm natúrâ suâ Deus sit, impassíbile est. Et ipsum quidem incorpóreum in passíbili córpore erat, corpus verò in seipso hábuit Verbum impassíbile, quod ipsíus córporis infirmitátes absúmeret.

℟. Cùm in formâ Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo; * Sed semetipsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo. ℣. Egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis; * Sed. *Philip.* 2. *Mich.* 5.

LECTIO VIII. *n.* 11. & 12.

QUod verò nonnulli comminiscuntur & dicunt: Quemádmodùm in síngulos Prophétas Verbum advénit, ita quoque in quemdam hóminem Mariæ Fílium venisse, inútile est agitáre. Quare enim si ita vénerit, quólibet sanctórum comedente & bibente, laborante & moriente, non dícitur ipsum Verbum comédere & bíbere, laboráre & mori, sed de solo Mariæ Fílio ita dícitur. Quæcumque enim corpus istud passum est, hæc quasi ipso patiente Verbo dicta sunt. Et cùm de áliis ómnibus dictum sit dumtáxat quòd géniti & nati sint, de solo Mariæ Fílio dictum est: Et Verbum caro factum est. Ex quibus osténditur ad réliquos quidem sanctos verbum factum esse ut prophetárent; ex Maríâ autem Verbum carne assumptâ hóminem prodiisse, qui natúrâ qui-

dem & substántiâ Verbum Dei erat, secundùm carnem autem ex sémine David, & ex carne Maríæ homo factus est, ut ait Paulus. Hunc Ariáni quidem abnegárunt, nos verò agnoscentes adorámus, nec Fílium à Verbo dividimus, sed agnóscimus ipsum Verbum esse Fílium per quem facta sunt ómnia, & per quem nos redempti sumus.

℟. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis, * Et † Vídimus glóriam ejus quasi Unigéniti à Patre. ℣. In terris visus est, & cum homínibus conversátus est.* Et. ℣. Glória.† Vídimus. *Joan.* 1. *Baruch.* 3.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Circumcisione Domini, *pag.* 320.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 9.

VEritátem dico in Christo, non méntior, testimónium mihi perhibente consciéntiâ meâ in Spíritu sancto: quóniam tristítia mihi magna est, & contínuus dolor cordi meo. Optábam enim ego ipse anáthema esse à Christo pro frátribus meis, qui sunt cognáti mei secundùm carnem, qui sunt Israelítæ, quorum adóptio est filiórum, & glória, & testamentum, & legislátio, & obséquium, & promissa: quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super ómnia Deus benedictus in sécula. Amen. Non autem quòd excíderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelítæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocábitur tibi semen: id est, non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissiónis, æstimantur in sémine. Promissiónis enim verbum hoc est: Secundùm hoc tempus véniam; & erit Saræ filius.

℟. Ex te, Béthlehem, mihi egrediétur qui sit dominátor in Israel; propter hoc * Dabit eos usque ad tempus in quo partúriens páriet: & relíquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel. ℣. Cœcitas ex parte, cóntigit in Israel, donec plenitúdo géntium intráret, * Dabit. *Mich.* 5. *Rom.* 11.

LECTIO X.

NOn solùm autem illa: sed & Rebecca ex uno concúbitu habens, Isaac patris nostri. Cùm enim nondum nati fuissent, aut áliquid boni egissent, aut

mali, (ut secundùm electiónem propósitum Dei manéret) non ex opéribus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major sérviet minóri, sicut scriptum est: Jacob diléxi, Esaü autem ódio hábui. Quid ergo dicémus? numquid iníquitas apud Deum? Absit. Móysi enim dicit: Miserébor cujus miséreor: & misericórdiam præstábo cujus miserébor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptúra Pharaóni: Quia in hoc ipsum excitávi te, ut osténdam in te virtútem meam: & ut annuntiétur nomen meum in universâ terrâ. Ergo cujus vult miserétur, & quem vult indúrat.

℟. Dixit Dóminus ad Móysen: * Miserébor cui volúero, & clemens ero in quem mihi placúerit. ℣. Nonne frater erat Esaü Jacob, dicit Dóminus? & diléxi Jacob; Esaü autem ódio hábui. * Miserébor. *Exod.* 33. *Malach.* 1.

LECTIO XI.

DIcis ítaque mihi: Quid adhuc quéritur? voluntáti enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respóndeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecísti sic? Annon habet potestátem figulus luti ex eâdem massâ fácere áliud quidem vas in honórem, áliud verò in contuméliam? Quòd si Deus volens osténdere iram, & notam fácere poténtiam suam, sustínuit in multâ patiéntiâ, vasa iræ, apta in intéritum, ut osténderet divítias glóriæ suæ in vasa misericórdiæ, quæ præparávit in glóriam. Quos & vocávit nos non solùm ex Judæis, sed étiam ex Géntibus, sicut in Osee dicit: Vocábo non plebem meam, plebem meam: & non diléctam, diléctam: & non misericórdiam consecútam, misericórdiam consecútam. Et erit: In loco ubi dictum est eis: Non plebs mea vos; ibi vocabúntur fílii Dei vivi.

℟. Quis dícere potest: Cur ita facis? Deus cujus iræ nemo resístere potest, & sub quo curvántur qui portant orbem. * Quantus ergo sum ego, ut respóndeam ei? ℣. Operátur ómnia secundùm consílium voluntátis suæ. * Quantus. *Job.* 9. *Ephes.* 1.

LECTIO XII.

ISaías autem clamat pro Israel: Si fúerit númerus filiórum Israel tamquàm aréna maris, relíquiæ salvæ fient. Verbum enim consúmmans, & abbrévians in æquitáte: quia

verbum breviátum fáciet Dóminus super terram: & sicut prædixit Isaías: Nisi Dóminus Sábaoth reliquisset nobis semen, sicut Sódoma facti essémus, & sicut Gomorrha símiles fuissémus. Quid ergo dicémus? Quòd Gentes quæ non sectabantur justítiam: apprehendérunt justítiam: justítiam autem quæ ex fide est. Israel verò sectando legem justítiæ, in legem justítiæ non pervénit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex opéribus.

℟. Israel in legem justítiæ non pervénit; offendérunt enim in lápidem offensiónis; sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lápidem offensiónis, & petram scándali: * Et † Omnis qui credit in eum, non confundétur. ℣. Dixit Dóminus: Erit in láqueum & in ruínam habitántibus Jerúsalem; & offendent ex eis plúrimi, & cadent; * Et omnis. ℣. Glória. † Omnis. *Rom.* 9. *Isai.* 8.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 2.

DEfuncto Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & áccipe Púerum & matrem ejus, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærébant ánimam Púeri. Qui consurgens, accépit Púerum & matrem ejus, & venit in terram Israel. Audiens autem quòd Archélaus regnáret in Judæâ pro Heróde patre suo, tímuit illò ire: & admónitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth: ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur.

Collecta infrà ad Laudes.

AD LAUDES ET HORAS. *Ant. &c. ut infrà.*

Si Vigilia occurrat in Feriis, Officium fit ut sequitur.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum Christum Príncipem regum terræ, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 1.

Hymnus, Felix dies. *ut in Circumcisione, pag.* 315.

Antiphonæ & ℣. Nocturnorum, de Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones I. & II. de Scripturâ cum ℟℟. ut suprà, pag. 336.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Leónis Papæ ad Flaviánum.

Cap. 3. *Epist.* 24. *Ed. Paris.*

IN íntegrâ veri hóminis perfectâque natúrâ verus natus est Deus, totus

in suis, totus in nostris. Nostra autem dícimus, quæ in nobis ab inítio Creátor cóndidit, & quæ reparanda suscépit. Nam illa, quæ deceptor íntulit, & homo deceptus admísit, nullum habuére in Salvatóre vestígium. Nec quia communiónem humanárum súbiit infirmitátum, ídeo nostrórum fuit párticeps delictórum. Assumpsit formam servi sine sorde peccáti, humána augens, divína non mínuens: quia exinanítio illa, quâ se invisíbilis visíbilem præbuit, & Creátor ac Dóminus ómnium rerum unus vóluit esse mortálium, inclinátio fuit miseratiónis, non deféctio potestátis. Proinde qui manens in formâ Dei fecit hóminem, idem in formâ servi factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietátem suam útraque natúra; & sicut formam servi Dei forma non ádimit, ita formam Dei, servi forma non mínuit.

℟. Ille appáruit ut peccáta nostra tólleret, * Et † Peccátum in eo non est. ℣. Ecce qui tollit peccátum mundi. *Et.℣. Glória. † Peccátum. *I. Joan.* 3. *Joan.* 1.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *Tob.* 14.

RElinquent gentes idóla sua, & vénient in Jerúsalem, & inhabitábunt in eâ, & gaudébunt in eâ omnes reges terræ, adorantes Regem Israel.

℣. Dómini est regnum; ℟. Et ipse dominábitur géntium. *Ps.* 21.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. MAgnificábor, & sanctificábor; & notus ero in óculis multárum géntium, & scient quia ego Dóminus. *Ezech.* 38.

II. Vénient ab extrémis terræ, & dicent: Verè mendácium possedérunt patres nostri, vanitátem quæ eis non prófuit. *Jerem.* 16.

III. Reddam pópulis lábium electum, ut ínvocent omnes in nómine Dómini, & sérviant ei húmero uno. *Sophon.* 3

IV. Notum sit vobis, quóniam géntibus missum est hoc salutáre Dei, & ipsi áudient. *Act.* 28.

V. Mihi flectétur omne genu, & omnis lingua confitébitur Deo. *Rom.* 14.

LECTIO. *Apoc.* 15.

QUis non timébit te, Dómine; & magnificábit nomen tuum? quia solus pius es: quóniam omnes gentes vénient, & adorábunt in conspectu tuo.

℟. *br.* Adorábunt eum * Omnes reges terræ.

℟. Adorábunt. ℣. Omnes gentes sérvient ei. * Omnes. ℣. Glória. ℟. Adorábunt. *Pſ.* 71.

Hymnus, Victis ſibi cognómina. *ut in Circumciſione, pag.* 325.

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine; ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Pſ.* 101.

Ad Benedictus. Ant. Véniens Joſeph habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth; ut adimplerétur quod dictum eſt per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur. *Matth.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

CORda noſtra, quæſumus, Dómine, ventúræ feſtivitátis ſplendor illuſtret; † quo mundi hujus ténebris carére valeámus, * & perveníre ad pátriam claritátis ætérnæ; Per Dóminum.

AD HORAS, *Antiphonæ Laudum.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio ſecundo Conſtantinopolitáno. *Ann.* 553. *Can.* 9.

SI quis in duábus natúris adorári dicit Chriſtum, ex quo duas adoratiónes introdúcunt, ſeparátim Deo Verbo, & ſeparátim hómini: vel, ſi quis, ad interemptiónem, vel ad confuſiónem deitátis & humanitátis, unam natúram, ſive ſubſtántiam eórum quæ convenérunt introdúcens, ſic Chriſtum adórat, ſed non, unâ adoratióne, Deum Verbum incarnátum cum própriâ ipsíus carne adórat, ſicut ab inítio, Dei Eccléſiæ tráditum eſt; talis anáthema ſit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Iſai.* 65.

QUæſiérunt me, qui ante nõ interrogábant: † invenérunt, qui non quæſiérunt me. * Dixi, Ecce ego, ecce ego ad Gentem, quæ non invocábat nomen meum.

℣. Converténtur ad Dóminum univerſi fines terræ; ℟. Et adorábunt in conſpectu ejus univerſæ famíliæ géntium. *Pſ.* 21.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Act.* 15.

SCriptum eſt: Poſt hæc revertar, & reædificábo tabernáculum David, quod décidit; & díruta ejus reædificábo, & érigam illud: † ut requírant cæteri hóminum Dóminum, & omnes gentes, ſuper quas invocátũ eſt nomen meum, dicit Dóminus fáciens hæc. * Notum à ſéculo eſt Dómino opus ſuum.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini; ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Pſ.* 95.

AD NONAM.

LECTIO. *Sophon.* 2.

ADtenuábit Dóminus omnes deos terræ; † & adorábunt eum viri de loco suo, * omnes ínsulæ géntium.

℣. Confundantur omnes qui adórant sculptília, ℟. Et qui gloriantur in simulácris suis. *Ps.* 96.

DIE VI. JANUARII.

IN EPIPHANIA DOMINI.

SOLEMNITAS I. CLASSIS.

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. ECce ego declinábo super Jerúsalem quasi flúvium pacis, & quasi torrentem inundantē, glóriam géntium. *Isai.* 66.

II. Exsurge, & vide collectos filios tuos ab Oriente sole usque ad Occidentem, in verbo Sancti, gaudentes Dei memóriâ. *Baruch.* 5.

III. Diláta locum tentórii tui; ad déxteram enim & ad lævam penetrábis, & semen tuum gentes hæreditábit. *Isai.* 54.

IV. Vidébis, & áfflues; & mirábitur & dilatábitur cor tuum, quando conversa fúerit ad te fortitúdo géntium. *Isai.* 60.

LECTIO. *Num.* 24.

DIxit audítor sermónū Dei, qui novit doctrínam Altíssimi, & visiónem Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet óculos. † Vidébo eum, sed non modò: intuébor illum, sed non propè. * Oriétur stella ex Jacob: & consurget virga de Israel.

℟. *br.* Benedicentur in ipso * Omnes tribus terræ. ℟. Benedicentur. ℣. Omnes gentes magnificábunt eum. † Omnes. ℣. Glória. ℟. Benedicentur. *Ps.* 71.

HYMNUS. *C.*

QUæ stella sole púlchrior
Coruscat? Hæc Regis novi
Revélat ortus: hæc Dei
Præsignat ad cunas iter.

Stat Vátibus priscis fides:
En stella surgit ex Jacob:
Arrectus ad spectáculum
Eóus orbis émicat.

Dum sidus ádmonet foris,
Lux fulget intùs clárior,
Suadetque vi blandâ Magos
Signi datórem quærere.

Segnes

Segnes amor nescit moras:
Labor, perícla nil movent:
Domum, propinquos, pátriam,
Deo vocante, déserunt.

Micante dum nos állicis,
O Christe, stellâ grátiæ;
Ne tarda cœlesti sinas
Obstáre corda lúmini.

Qui lumen est, sit laus Patri;
Qui se revélat Géntibus,
Sit laus perennis Filio:
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Póstula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, ℟. Et possessiónem tuam términos terræ. *Ps.* 2.

Ad Magníficat. *Ant.* Cívitas Dei, luce spléndidâ fulgébis: natiónes ex longinquo ad te vénient; & múnera deferentes, adorábunt in te Dóminum. *Tob.* 13.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 354.

¶ *Doxologia sequens ad Horas diurnas dicitur usque ad diem Octavam:*

Qui te revélas Géntibus,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sécula.
Amen.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Verbum vitæ, quod erat apud Patrem, & appáruit nobis, * Veníte, adorémus. *I. Joan.* 1.

Hymnus. *C.*

Quà lapsu tacito stella loquácibus
Scintillat radiis, hùc óculis Magi,
Huc desideriis, huc rapidis simul
Certant téndere pássibus.

Ut ventum Solymam, non sine númine
Lætam stella facem, proh dolor! ócculit;
Incertosque viæ ceu medio vagam
Cursu destituit ratem.

Illi, nil rabiem príncipis, ínvidas
Nil artes veriti (tanta animis fides!)
Urbis per trepidæ cómpita prædicant
Regem quærere se novum.

Nec vos írrita spes decipiet, Magi:
Quò divína vocat página, téndite:
Illic quem sua plebs réspuit, éxteris
Regem nosse Deum datur.

Sit laus summa Patri, summaque Filio:
Ambórum sit idem Spirítui decus,
Qui, dum stella pedes prævia dírigit,
Dux mentem melior monet. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Circúmspice, Jerúsalem, ad Orientem,

& vide jucunditátem a Deo tibi veniéntem. *Baruch.* 4.

II. Lauda, stérilis quæ non paris; decánta laudem & hinni quæ non pariébas; quóniam multi filii desértæ magis quàm ejus quæ habet virum. *Is.* 54.

III. Noli timére; quia ego tecum sum; ab Oriénte addúcam semen tuum, & ab Occidénte congregábo te. *Is.* 43.

IV. Pelles tabernaculórum tuórum extende; longos fac funículos tuos, & clavos tuos consólida. *Is.* 54.

V. Dicam Aquilóni: da; & Austro: Noli prohibére. *Is.* 43.

VI. Omnem qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam creávi eum: formávi eum, & feci eum. *Is.* 43.

℣. Reges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent: ℟. Reges Arabum & Saba dona addúcent. *Ps.* 71.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 55.

OMnes sitientes, veníte ad aquas: & qui non habétis argentum, properáte, émite, & comédite: veníte, émite absque argento, & absque ullâ commutatióne vinum & lac. Quare appénditis argentum non in pánibus, & labórem vestrum non in saturitáte? Audíte audientes me, & comédite bonum, & delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, & veníte ad me: audíte, & vivet ánima vestra, & fériam vobíscum pactum sempitérnum, misericórdias David fidéles. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. Ecce gentem quam nesciébas, vocábis; & gentes quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, & sanctum Israël, quia glorificávit te.

℟. Scriptum est: Vivo ego, dicit Dóminus, quóniam mihi flectétur omne genu * Et omnis lingua confitébitur Dómino. ℣. Vénient pópuli multi; & gentes robústæ ad quærendum Dóminum exercítuum in Jerúsalem, & deprecandam fáciem Dómini. * Et omnis. *Rom.* 14. *Zach.* 8.

LECTIO II. *Cap.* 60.

SUrge, illumináre, Jerúsalem: quia venit lumen tuum, & glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérient terram, & calígo pópulos: super te autem oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, & reges in splendóre ortûs tui. Leva in circúitu óculos tuos, & vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt

tibi : filii tui de longe vénient, & filíæ tuæ de látere surgent. Tunc vidébis, & ásflues, & mirábitur & dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo géntium vénerit tibi : inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian & Epha : omnes de Saba vénient, aurum & thus deferentes, & laudem Dómino annuntiantes.

℟. Natiónes ex longínquo ad te vénient, * Et múnera deferentes, adorábunt in te Dóminum. ℣. Deus visitávit súmere ex géntibus pópulum nómini suo. * Et. *Tob.* 13. *Act.* 15.

LECTIO III. *Cap.* 61.

GAudens gaudébo in Dómino, & exsultábit ánima mea in Deo meo : quia índuit me vestimentis salútis : & indumento justítiæ circúmdedit me, quasi sponsum decorátum corónâ, & quasi sponsam ornátam monílibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum gérminat, sic Dóminus Deus germinábit justítiam & laudem coram universis géntibus.

℟. Scriptum est : Lætáre, stérilis, quæ non paris; erumpe & clama, quæ non párturis : * Quia multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum. ℣. Dices in corde tuo : Quis génuit mihi istos? Ego stérilis, & non páriens. * Quia. *Galat.* 4. *Isai.* 49.

LECTIO IV. *Cap.* 62.

PRopter Sion non tacébo, & propter Jerúsalem non quiescam ; donec egrediátur ut splendor Justus ejus, & Salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt gentes Justum tuum, & cuncti Reges Inclytum tuum : & vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultrà Derelicta ; & terra tua non vocábitur ámpliùs Desoláta : sed vocáberis Voluntas mea in eâ, & terra tua Inhabitáta. Quia complácuit Dómino in te ; & terra tua inhabitábitur.

℟. Super ipsum continébunt Reges os suum : * Quia quibus non est narrátum de eo, vidérunt ; & qui non audiérunt, contempláti sunt. ℣. An Judæórũ Deus tantùm? Nonne & géntium? Immò & Géntium. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Isai.* 52. *Rom.* 3.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Applicabuntur gentes multæ ad Dóminum.

in die illâ; & erunt mihi in pópulum, & habitábo in médio tuî. *Zach.* 2.

II. Viri sublímes ad te transíbunt & tui erunt: te adorábunt, teque deprecabuntur. *Is.* 45.

III. Congregabuntur omnes gentes in nómine Dómini in Jerúsalem, & non ambulábunt post pravitátem cordis sui péssimi. *Jerem.* 3.

IV. Erit in loco ubi dicétur eis, Non pópulus meus vos; dicétur eis, Fílii Dei viventis. *Os.* 1.

V. Dicam Non pópulo meo: Pópulus meus es tu; & ipse dicet: Deus meus es tu. *Os.* 2.

VI. Replébitur terra ut cognoscant glóriam Dómini, quasi aquæ operientes mare. *Hab.* 2.

℣. Omnes gentes quascumque fecisti, vénient; ℟. Et adorábunt coram te, Dómine. *P.* 85.

LECTIO V.

Ex Sermóne secundo sancti Leónis Papæ, in Epiphániâ Dómini. *Edit. Paris. Cap.* 1.

GAudéte in Dómino, dilectíssimi, iterùm dico, gaudéte: quóniam brevi intervallo témporis post solemnitátem Nativitátis Christi, festívitas Declaratiónis ejus illuxit: & quem in illo die Virgo péperit, in hoc mundus agnóvit. Verbum enim caro factum sic susceptiónis nostræ temperávit exórdia, ut natus Jesus, & credéntibus manifestus, & persequéntibus esset occultus. Jam tunc ergo cœli enarravérunt glóriam Dei, & in omnem terram sonus veritátis exívit, quando & pastóribus exércitus Angelórum Salvatóris éditi annuntiátor appáruit, & Magos ad eum adorandum prævia stella perduxit: ut à solis ortu usque ad occásum veri Regis generátio coruscáret, cùm rerum fidem & regna Orientis per Magos díscerent, & Románum impérium non latéret.

℟. Pópulus qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam; * Habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. ℣. Ténebræ transiérunt, & verum lumen jam lucet. * Habitántibus. *Isai.* 9. *I. Joan.* 2.

LECTIO VI.

NAm & sævítia Heródis, volens primórdia suspecti sibi Regis exstínguere, huic dispensatióni nésciens serviébat: ut dum atróci intentus facínori, ignótum sibi púerum indiscrétâ infántium cæde perséquitur, annuntiátum cœlitus Dominatóris ortum insígnior ubíque fama loquerétur, quam promptió-

rem ad narrandum, diligentioremque faciébat, & supernæ significatiónis nóvitas, & cruentissimi persecutóris impíetas. Tunc autem étiam Ægypto Salvátor illátus est, ut gens antíquis erróribus dédita, jam ad vicínam salútem, per occultam grátiam vocarétur, & quæ nondum ejécerat ab ánimo superstitiónem, jam hospítio recíperet veritátem.

℟. Gentes vénient ab extrémis terræ, & dicent: * Verè mendácium possedérunt patres nostri, vanitátem quæ eis non prófuit. ℣. Numquid fáciet sibi homo deos? & ipsi non sunt dii. * Verè. *Jerem.* 16.

LECTIO VII. *Cap.* 2.

QUantam gratiárum actiónem debeámus Dómino pro illuminatióne Géntium, probat obcæcátio Judæórum. Quid enim tam cæcum, quid tam lucis aliénum, quàm illi sacerdótes & scribæ Israelitárum fuérunt? Qui percontántibus Magis, & Heróde quærente, ubi Christus secundùm Scripturárum testimónium nascerétur, hoc respondérunt de Prophético elóquio, quod indicábat stella de cœlo. Jam ergo ad eruditiónem Géntium Prophéticus sermo transíbat, & prænuntiátum antíquis miráculis Christū alienigenárum corda discébant: cùm Judæórum infidélitas veritátem ore proferret, & mendácium corde retinéret. Noluérunt enim agnóscere óculis, quem de sacris judicábant libris: ut quem non adorábant in infántiæ infirmitáte húmilem, póstea crucifigerent in virtútum sublimitáte fulgentem.

℟. Cæcitas ex parte contígit in Israel; * Donec plenitúdo géntium intráret, & sic omnis Israel salvus fieret. ℣. Dereliquérunt Dóminum; blasphemavérunt Sanctum Israel. * Donec. *Rom.* 11. *Isai.* 1.

LECTIO VIII. *Cap.* 4.

AGnoscámus ergo, dilectíssimi, in Magis adoratóribus Christi, vocatiónis nostræ fideíque primítias, & exsultántibus ánimis beátæ spei inítia celebrémus. Exinde enim in ætérnam hæreditátem cœpimus introíre. Exinde nobis Christū loquéntia Scripturárum arcána patuérunt; & véritas, quam Judæórum obcæcátio non récipit, ómnibus natiónibus lumen suum invexit. Honorétur ítaque à nobis sacratíssimus dies, in quo salútis nostræ Autor appáruit: & quem Magi infántem veneráti sunt in cunábulis, nos omnipoténtem adorémus in cœlis. Ac sicut

illi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt : ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus.

℟. Afferte Dómino, famíliæ populórum ; afferte Dómino glóriam & impérium ; date Dómino glóriam nómini ejus ; * Veníte in conspéctu ejus ; & † Adoráte Dóminum in decóre sancto. ℣. Audíte hæc, omnes gentes ; áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem : Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi. * Veníte. ℣. Glória. † Adoráte. *I. Par. 16. Ps. 48.*

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Isai. 49.*

Gentium vocatio, & Judæorum ad Christi fidem futura congregatio.

LAudáte, cœli ; & exsulta, terra ; * jubiláte, montes, laudem.

Quia consolátus est Dóminus pópulum suum, * & páuperum suórum miserébitur.

Et dixit Sion : Derelíquit me Dóminus, * & Dóminus oblítus est meî.

Numquid oblivísci potest múlier infantem suum, * ut non misereátur fílio úteri sui ?

Et si illa oblíta fúerit, * ego tamen non obliviscar tuî.

Ecce in mánibus meis descrípsi te : * muri tui coram óculis meis semper.

Venérunt structóres tui : * destruentes te & dissipantes a te exibunt.

II. Canticum. *Ibid.*

LEva in circúitu óculos tuos, & vide, * omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi :

Vivo ego, dicit Dóminus, † quia ómnibus his velut ornaménto vestiéris, * & circúmdabis tibi eos quasi sponsa.

Quia desérta tua, & solitúdines tuæ, & terra ruínæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatóribus, * & longè fugabúntur qui absorbébant te.

Adhuc dicent in áuribus tuis fílii sterilitátis tuæ : * Angustus est mihi locus, fac spátium mihi ut hábitem.

Et dices in corde tuo : Quis génuit mihi istos ? * Ego stérilis, & non páriens, transmigráta, & captíva.

Et istos quis enutrívit ? ego destitúta & sola : * & isti ubi erant ?

III. Canticum. *Ibid.*

HÆc dicit Dóminus Deus : Ecce levábo ad gentes manum meam, * & ad pópulos exaltábo signum meum.

Et áfferent fílios tuos in ulnis, * & fílias tuas super húmeros portábunt.

Et erunt reges nutrítii tui, * & regínæ nutríces tuæ:

Vultu in terram demisso adorábunt te, * & púlverem pedum tuórum lingent.

Et scies quia ego Dóminus, * super quo non confundentur qui exspectant eum.

Ant. Cantáte Dómino cánticum novum; laus ejus ab extrémis terræ. *Is.* 42.

℣. Jubiláte Deo, omnis terra: ℟. Cantáte, & exsultáte, & psállite. *Ps.* 97.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Cap. 2.

ET vos, cùm essétis mórtui delíctis, & peccátis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm séculum mundi hujus, secundùm príncipem potestátis áeris hujus, spíritûs, qui nunc operátur in filios diffidéntiæ, in quibus & nos omnes aliquando conversáti sumus in desidériis carnis nostræ, facientes voluntátem carnis, & cogitatiónum, & erámus natúrâ filii iræ, sicut & cæteri: Deus autem qui dives est in misericórdiâ, propter nímiam caritátem suam quâ diléxit nos, & cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, (cujus grátiâ estis salváti) & conresuscitávit, & consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu: ut osténderet in séculis superveniéntibus abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu.

℟. Nunc sine lege justítia Dei manifestáta est, testificáta à lege & Prophétis. Justítia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes qui credunt in eum, * Non enim est distínctio: omnes enim peccavérunt & egent glóriâ Dei. ℣. Est repromíssio ómnibus qui longè sunt, quoscumque advocáverit Dóminus. * Non. *Rom.* 3. *Act.* 2.

LECTIO X.

GRátiâ enim estis salváti per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsius enim sumus factúra creáti in Christo Jesu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus. Propter quod mémores estóte, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicímini præpútium, ab eâ quæ dícitur circumcísio in carne, manu factâ: quia erátis illo in témpore sine Christo, alienáti à conversatióne Israel, & hóspites testamentórum, promissiónis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.

* In. ℣. Glória. ℟. Benedictus. *Ps.* 117.

HYMNUS. *C.*

LInquunt tecta Magi
príncipis urbis,
Et parvæ cupidis mœnia
Bethlem
Votis præcipiunt; jamque
sub imo
Spe subnixa fides corde
triumphat.
O qui lætitiæ sensus, ut
illis
Signans rursùs iter stella
refulsit;
Incumbensque domo lámpade pronâ
Infantem exhibuit Matris
in ulnis!
Non hìc splendet ebur,
non micat aurum:
Non velat rutilans púrpura
corpus:
Horrens hìc stabulum, Régia; nudum
Hìc præsépe, thronus;
púrpura panni.
Reges pompa alios dives adornet:
Regnantem meliùs se probat ipse
In vili paleâ, páupere cultu,
Flectens imperio corda potenti:
Ad cunas humiles, póplite curvo,
Præsens in Puero Numen
adórant:
Et nos ad Puerum, digna
propágo,
Patrum plena fide corda
ferámus.
Regi castus amor pórrigat aurum;
Castigáta Homini córpora,
myrrham;
Instar thuris erunt vota
precesque:
Illo thure Deum ritè fatémur.
Qui fons lúminis est,
glória Patri;
Qui miro recreas lúmine
gentes,
Æquális tibi sit glória,
Nate:
Ambórum similis laus sit
Amóri. Amen.

℣. Pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;
℟. Quia prospexit de excelso sancto suo. *Ps.* 101.

Ad Benedictus. *Ant.* Per víscera misericórdiæ Dei nostri, visitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris & in umbrâ mortis sedent. *Luc.* 1.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui hodiernâ die Unigénitum tuum Géntibus, stellâ duce, revelasti; † concéde propítius, ut qui jam te ex fide cognóvimus, * usque ad contemplandam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur: Per eumdem.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Ephesíno.
An. 431. *Part.* 2. *Act.* 1.

QUóniam Christus Rex & Deus est, & mortem ob passiónis dispensatiónem gustávit, múnera mysteriórum sunt indicia.

Offerunt Magi aurum, recognoscentes ipsum esse Regem: ófferunt thus; nôrunt enim se Deo offerre: ófferunt myrrham, propter mortem in mystério passiónis.

AD TERTIAM.

Lectio. *Ephes.* 3.

Mystériũ Christi quod áliis generatiónibus non est ágnitum filiis hóminum, nunc revelátum est sanctis Apóstolis ejus & Prophétis in Spíritu: Gentes esse cohærédes & concorporáles, & compartícipes promissiónis ejus in Christo Jesu per Evangélium.

℣. In conspectu géntium revelávit justítiam suam; ℟. Recordátus est misericórdiæ suæ. *Ps.* 97.

AD SEXTAM.

Lectio. *Isai.* 49.

Dedi te fœdus pópuli ut suscitáres terram, & possidéres hæreditátes dissipátas; † ut díceres his qui vincti sunt: Exíte; * & his qui in ténebris: Revelámini.

℣. Vidérunt omnes términi terræ ℟. Salutáre Dei nostri. *Ps.* 97.

AD NONAM.

Lectio. *Rom.* 15.

Dico gentes super misericórdiâ honoráre Deum, † sicut scriptum est: Proptérea confitébor tibi in géntibus, Dómine, & nómini tuo cantábo. * Et íterum dicit: Lætámini, gentes, cum plebe ejus.

℣. Confitébor tibi in pópulis, Dómine; ℟. Et psalmum dicam tibi in géntibus. *Ps.* 56.

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Ant.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus, *pag.* 28.

Ant. Mystérium quod abscónditum fuit à sæculis & generatiónibus nunc manifestátum est. *Coloss.* 1.

II. *Ps.* 112. Laudáte, púeri, Dóminum, *pag.* 30.

Ant. Gentes quæ non sectabántur justítiam; apprehendérunt justítiam; justítiam autem quæ ex fide est. *Rom.* 9.

III. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 75.

Ant. Véniens Christus evangelizávit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem iis qui propè. *Ephes.* 2.

IV. *Ps.* 137. Confitébor.... quóniam. *pag.* 54.

Ant. Non est personárum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum & operátur justítiam, acceptus est illi. *Act.* 10.

Lectio. *Rom.* 9.

Vocávit nos Deus, non solùm ex Judæis, sed étiam ex Géntibus, sicut in Osee dicit: † Vocábo non plebem meam, plebem meam; & non diléctam,

dilectam; * & non misericórdiam consecútam, misericórdiam consecútam.

℟. *br.* Afferte Dómino, pátriæ géntium, * Afferte Dómino glóriam & honórem. ℟. Afferte. ℣. Afferte Dómino glóriam nómini ejus. * Afferte. ℣. Gloria. ℟. Afferte. *Ps.* 95.

HYMNUS. *C.*

HUc vos, ô miseri: surda relínquite,
Quæ cæci colitis, mutaque númina:
Se vobis aperit spléndida cívitas,
Veri Núminis hóspita.

En vestræ præeunt primitiæ Magi:
Vatum dicta patent: exitiálibus
Errórum tenebris óbsita gens diù
Miro lúmine spargitur.

Ambo sic populi, dissociábilis
Quos dudum paries séparat, únicum
In corpus coeunt. Hoc proprium modò.
Ambóbus maneat decus!

O arcána Dei consilia! ô tuo
Deturbáta gradu, primus amor Dei,
Plebs Judæa, tuis glória Géntium
Damnis, vitaque náscitur.

Jam nativa oleæ bráchia décidunt,
Rami degeneres, germen adulterum:
Miraturque novos sémine non suo
Arbor créscere súrculos.

Nos radix oleæ sustinet. Ah! cave,
Qui stas, ne sterili deficias fide.
Tu ramos veteres ínsere dénuò,
Tu serva, Deus, insitos.

Qui nos membra sacri córporis efficit,
Sit laus summa Patri: laus quoque Filio,
Cujus membra sumus: quo vigor ínfluit
Membris, laus tibi, Spíritus. Amen.

℣. Pópuli confitebuntur tibi, Deus, ℟. In ætemum & in séculum séculi. *Ps.* 44.

Ad Magníficat. *Ant.* Manifestè magnum est pietátis sacramentũ, quod manifestátum est in carne, justificátum est in spíritu, appáruit Angelis, prædicátum est géntibus créditum est in mundo. *I. Tim.* 3.

De Dominicâ intra Octavam Epiphaniæ, in quamcumque diem Octava inciderit, fit Officium, ut notatur infrà. Si coincidat in diem Octavam, vel concurrat cum eâ, tunc de Dominicâ nihil fit om-

nino. Si inciderit in diem VII. Januarii, de eâ nulla fit Commemoratio in Vesperis Epiphaniæ.

SABBATO.

AD VESPERAS.

Psalmi feriales, Ant. de II. Vesperis Epiphaniæ.

LECTIO. *Isai.* 45.

COnvertímini ad me, & & salvi éritis, omnes fines terræ; quia ego Deus: & non est álius. † In memetipso jurávi; egrediétur de ore meo justítiæ verbum, * quia mihi curvábitur omne genu, & jurábit omnis lingua.

℟. *br.* Benedicentur.

Hymnus, Quæ stella. *ut in I. Vesp. Epiph. pag.* 344.

℣. Quærite Dóminum, & virtútem ejus; ℟. Quærite fáciem ejus semper. *I. Paral.* 16.

Ad Magníficat. *Ant.* Quærétis me, & inveniétis; cùm quæsiéritis me in toto corde vestro: & invéniar à vobis, ait Dóminus. *Jerem.* 29.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 362.

Non fit Commemoratio Epiphaniæ.

DOMINICA INTRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christum in carne manifestátum, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 3.

Hymnus, Quà lapsu tacito. *ut in Epiphaniâ, pag.* 345.

Antiphonæ & ℣. I. & II. Noct. de Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones I. Nocturni de Scripturâ occurrente, infra secundùm diem Mensis in quâ occurrit Dominica.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Tractátu sancti Ælrédi Rievallensis Abbátis de púero Jesu duodenni. *Inter opera S. Bernardi Abb. Edit. Bened. & Bibliot. Pat. An.* 1166.

CUm factus esset Jesus annórum duódecim, ascendit Jerúsalem. Planè secundùm leges allegóricas, Christus de Názareth ascendit Jerúsalem; quando relictâ Synagógâ, Ecclésiæ Géntium præséntiam suæ pietátis exhibuit. Méritò tunc duodennis erat, quia qui legem non vénerat sólvere, sed adimplére, denárium legis binário áuxerat Evangélicæ perfectiónis: Verbum abbreviátum, sed consummans, & consummátum fáciens super terram, & legem, & Prophétas bipartíto caritátis præcepto conclúdens.

℟. Ipse est pax nostra * Qui fecit útraque unum

& medium parietem maceriæ solvens in carne suâ, ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem faciens pacem. ℣. Filii Sion exsultate, & lætamini in Dómino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ. * Qui. *Ephes. 2. Joel. 2.*

LECTIO VI.

REmansit itaque puer Jesus in Jerusalem, & non cognovérunt parentes ejus. Est adhuc in Ecclesiâ Christus; & Judæi, parentes scilicet ejus secundum carnem, ignórant. Est adhuc in Ægypto Joseph, & linguâ ægyptiacâ non judáicâ dicitur Salvátor mundi, & ipso frumento sapiéntiæ suæ Ægyptiis, idest, Géntibus dividente, fratres ejus inter Chananæos, immundos vidélicet spiritus, verbi Dei fame tabescunt. Existimantes eum esse in comitátu. Quid est hoc? Adhuc ô Judæi, Christum in vestro comitátu præsúmitis; cùm jam secundum Jeremíam vestrum reliquerit domum suam, dimiserit hæreditátem suã: quóniã facta est hæréditas ejus quasi spelunca leænæ? quibus indíciis, quibus mystériis, quibus sacramentis, in vestro est comitátu? ubi templum, ubi juge sacrificium, ubi sacerdótium, ubi altáre illud, quod solum vobis in solâ Jerosólymâ concessum est: ergo aut nihil horum habétis: aut si forte vos ea habére præsúmitis, non secundùm Dei præceptum habétis, ac proinde nec Christum habetis.

℟. Dies multos sedébunt filii Israel sine rege, & sine príncipe, & sine sacrificio, & sine altari; & post hæc reverentur. * Et pavébunt ad Dominum, & ad bonum ejus. ℣. Ambulantes, & flentes properábunt, & Dóminum Deum suũ quærent. * Et. *Osee, 3. Jer. 50.*

LECTIO VII.

O Mira pervérsitas! ô mira cæcitas! Hæc ómnia non attendentes Judæi, adhuc eum esse in suo æstimant comitátu, & requirunt eum inter cognátos & notos. Quem quæritis, ô Judæi, quem quæritis? jam lapis abscissus est de monte sine mánibus, universam implévit fáciem terræ, & adhuc quæritis? ecce úbique terrárum dispersi, úbique Christum offénditis, & adhuc quæritis? úbique inter gentes in láudibus Christi vestrum Amen résonat, vestrum Allelúia cantátur, vestrum Hosanna resultat, & adhuc quæritis? in sole pósuit tabernáculum suum, nec est qui se abscondat à calóre ejus, & adhuc quæritis? quæritis eum inter cognátos & notos. Quæritis apud Móysen:

Móysen: sed usque hódie cum legéritis Móysen; velámen pósitum est super cor vestrum, ídeò non invenítis.

℞. Hæc dicit Dóminus Deus: Spíritum meum ponam in médio vestrî * Et fáciam ut in præceptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis, & operémini. ℣. Edúcam vos de pópulis, & congregábo vos de terris in quibus dispersi estis. * Et. *Ezech.* 36 & 20.

LECTIO VIII.

REgredientes, invenérunt eum post tríduum in templo. Si fúerit númerus filiórum Israel sicut aréna maris relíquiæ convertentur, relíquiæ, inquam Jacob ad Deum fortem. Quando? útique post tríduum. O tempus desiderábile, quando agnoscet Israel Deum suum, & pavébit ad David regem suũ, quando útraque gens fáciet sibi caput unum, & ascendent de terrâ! Quando hoc erit, Jesu bone, quando respícies carnem tuam, doméstìcos sánguinis tui, cùm nemo carnem suam ódio habeat? Quámdiu miser Caïn vagus & prófugus erit super terram tuam, quæ apéruit os suum, & suscépit sánguinem tuum, ô noster Abel, de manu ejus? Scio quia tandem convertentur, & famem patientur ut canes: sed ad vésperam. Post tríduum enim invenérunt eum in templo.

℞. Ero eis Deus, & ipsi erunt mihi pópulus; * Et † Scient gentes quia ego Dóminus sanctificátor Israel, cùm fúerit sanctificátio mea in médio illórum in perpétuum. ℣. Consummábo super domum Israel, & super domum Juda, testamentum novum. * Et. ℣. Glória. † Scient. *Ezech.* 37. *Hebr.* 8.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Epiphaniâ Domini, pag. 350.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ béati Pauli Apóstoli ad Romános. *Cap.* 11.

DIco ergo: Numquid Deus répulit pópulum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex sémine Abraham, de tribu Bénjamin: non répulit Deus plebem suam, quam præscívit. An nescítis in Elia quid dicit Scriptúra: quemádmodum interpellat Deum adversùm Israel? Dómine, Prophétas tuos occidérunt, altária tua suffodérunt: & ego relictus sum solus, & quærunt ánimam meam. Sed quid dicit illi divínum respónsum? Relíqui mihi septem míllia virórum, qui non curvavérunt génua ante Baal. Sic ergo & in

hoc témpore reliquiæ secundum electiónem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem grátia jam non ex opéribus: alióquin grátia jam non est grátia. Quid ergo? Quod quærébat Israel, hoc non est consecútus: eléctio autem consecúta est: cæteri vero excæcáti sunt: sicut scriptum est: Dedit illis Deus spíritum compunctiónis: óculos ut non víděant, & áures ut non áudiant, usque in hodiernum diem.

℟. Israel sectando legem justítiæ, in legem justítiæ non pervénit; quia non ex fide, sed quasi ex opéribus; * Offendérunt enim in lápidem offensiónis. ℣. Dereliquérunt Dóminū, blasphemavérunt sanctum Israel, abalienáti sunt retrorsùm. * Offendérunt. *Rom. 9. Isai. 1.*

LECTIO X.

DIco ergo: Numquid sic offendérunt ut cáderent? Absit. Sed illórum delicto, salus est Géntibus ut illos æmulentur. Quòd si delictum illórum divítiæ sunt mundi, & diminútio eórum divítiæ Géntium: quantò magìs plenitúdo eórum? Vobis enim dico Géntibus: quámdiù quidem ego sum Géntium Apóstolus, ministérium meum honorificábo, si quómodò ad æmulandum próvocem carnem meam, & salvos fáciam áliquos ex illis. Si enim amíssio eórum, reconciliátio est mundi, quæ assúmptio, nisi vita ex mórtuis? Quòd si delibátio sancta est, & massa; & si radix sancta, & rami. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insértus es in illis, & sócius radícis, & pinguédinis olivæ factus es, noli gloriári adversùs ramos. Quòd si gloriáris: non tu radícem portas, sed radix te.

℟. Cæcitas ex parte contigit in Israel * Donec plenitúdo géntium intráret, & sic omnis Israel salvus fieret. ℣. Projecísti, Dómine, pópulum tuum, domum Jacob. * Donec. *Rom. 11. Isai. 2.*

LECTIO XI.

DIces ergo: Fracti sunt rami ut ego ínserar. Bene: propter incredulitátem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sápere, sed time. Si enim Deus naturálibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitátem, & severitátem Dei: in eos quidem qui cecidérunt, severitátem: in te autem bonitátem Dei, si permánseris in bonitáte, alióquin & tu excidéris. Sed & illi, si non permánserint in incredulitáte, inseréntur: potens est enim Deus íterum inserére illos. Nam si tu ex naturáli excísus es

oleastro, & contra natúram insertus es in bonam olívam: quantò magìs ii, qui secundùm natúram inserentur suæ olívæ?

℟. Cóngrega omnes tribus Jacob: ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnália tua, * Et hæreditábis eos, sicut à princípio. ℣. Usque in hodiernum diem, velámen pósitum est super cor eórum; cùm autem conversus fúerit ad Dóminum, auferétur velámen, * Et hæreditábis. *Eccli.* 36. *II. Cor.* 3.

LECTIO XII.

NOlo enim vos ignoráre, fratres, mystérium hoc: (ut non sitis vobisipsis sapientes): quia cæcitas ex parte cóntigit in Israel donec plenitúdo géntium intráret, & sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Véniet ex Sion: qui erípiat, & avertat impietátem à Jacob. Et hoc illis à me testamentum: cùm abstúlero peccáta eórum. Secundùm evangéliũ quidem, inimíci propter vos; secundùm electiónem autem, caríssimi propter patres. Sine pœniténtiâ enim sunt dona & vocátio Dei. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericórdiam consecúti estis propter incredulitátem illórum: ita & isti nunc non credidérunt in vestram misericórdiam, ut & ipsi misericórdiam consequantur. Conclúsit enim Deus ómnia in incredulitáte: ut ómnium misereátur. O altitúdo divitiárum sapiéntiæ & sciéntiæ Dei: quàm incomprehensibília sunt judícia ejus, & investigábiles viæ ejus!

℟. Quis cognóvit sensum Dómini? * Aut † Quis consiliárius ejus fuit? aut quis prior dedit illi & retribuétur ei: ℣. Cum quo íniit consílium, & instruxit eum, & docuit eum sémitam justítiæ? * Aut quis. ℣. Glória. † Quis. *Rom.* 11. *Isai.* 40.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 2.

CUm factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam, secundùm consuetúdinem diéi festi, consummatisque diébus, cùm redírent, remansit puer Jesus in Jerúsalem, & non cognovérunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, & requirébant eum inter cognátos, & notos, & non invenientes, regressi sunt in Jerúsalem requirentes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo, seden-

tem in médio Doctórum, audiéntem illos, & interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntiâ & respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego, doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, & venit Názareth, & erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiébat sapiéntiâ, & ætáte, & grátiâ apud Deum, & hómines.

Collecta infra.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Epiphaniâ, pag. 353.

LECTIO. *Apoc.* 21.

CIvitas non eget sole, neque lunâ, ut lúceant in eâ; nam cláritas Dei illuminávit eam, & lucerna ejus est Agnus. Et ambulábunt gentes in lúmine ejus, & Reges terræ áfferent glóriam suam & honórem in illam.

℟. *br.* Benedictus. *Hymnus*, Linquunt tecta Magi. *ut in Epiph. pag.* 353.

℣. Deus virtútum, convértere: ℟. Réspice de cœlo, & vide, & vísita víneam istam. *Ps.* 79.

Ad Benedictus. *Ant.* Paréntes Jesu requirébant eum inter cognátos & notos; & non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. *Luc.* 2.

COLLECTA. *Miss. Ambr.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui étiam Judáicam perfídiam à tuâ misericórdiâ non repellis; † exáudi preces nostras, quas pro illius pópuli obcæcatióne deférimus; * ut ágnitâ veritátis tuæ luce quæ Christus est, à suis ténebris eruántur: Per eumdem.

AD HORAS *diurnas Antiphonæ, Lectiones & ℣. ut in Epiphaniâ Domini, pag.* 355.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1547. *Sess.* 6. *Cap.* 2.

CŒléstis Pater, Pater misericordiárum, & Deus totíus consolatiónis, Christum Jesum Fílium suum, & ante legem, & legis témpore multis sanctis Pátribus declarátum, ac promíssum, cum venit beáta illa plenitúdo témporis, ad hómines misit; ut & Judæos qui sub lege erant, redímeret, & Gentes quæ non sectabántur justítiam,

justítiam apprehénderent, atque omnes adoptiónem filiórum recíperent. Hunc propósuit Deus propitiatórem per fidem in sánguine ipsíus; non solùm autem pro nostris, sed étiam pro totíus mundi.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominicâ, Antiphonæ de II. Vesperis Epiphaniæ, pag. 355.

Lectio. *Isai.* 19.

IN die illâ erit Israël tértius Ægyptio & Assyrio: benedíctio in médio terræ, cui benedixit Dóminus exercítuum, dicens: † Benedíctus pópulus meus Ægypti, & opus mánuum meárum Assyrio; * hæréditas autem mea Israël.

℟. *br.* Afferte. *Hymnus,* Huc vos, ô míseri. *ut in Epiph. pag.* 356.

℣. Qui sedes super Chérubim, manifestáre, ℟. Coram Ephraïm, Bénjamin & Manasse. *Ps.* 79.

Ad Magníficat. *Ant.* Post tríduum invenérunt illum parentes ejus in templo sedentem in médio Doctórum. *Luc.* 2.

Non fit Commemoratio Epiphaniæ.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Ant. ad Veníte, *& Hymnus, ut in die, pag.* 345.

IN I. NOCTURNO.

Antiphonæ & ℣. ut in Psalterio. Lectiones cum ℟℟. *habentur infrà pro unâquâque die.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio. *I. Petr.* 2.

VOs genus electum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis: ut virtútes annuntiétis ejus, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. Qui aliquando non pópulus, nunc autem pópulus Dei: qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti.

℟. Laudáte Dóminum, omnes gentes: ℟. Laudáte eum, omnes pópuli. *Ps.* 116.

Collecta singulis diebus propria.

Ad reliquas Horas, omnia ut in die, præter Vesperales Psalmos qui dicuntur de Feriâ, & Ant. ad Benedíctus *&* Magníficat, *quæ, sicut & Collecta, habentur singulis diebus propria.*

Die VII. Januarii.

DE OCTAVA *EPIPHANIÆ.*

Lectio I.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Cap. 1.

PAulus Apóstolus non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Je-

sum Christum, & Deum Patrem, qui suscitávit eum à mórtuis; & qui mecum sunt omnes fratres, Ecclésiis Galátiæ. Grátia vobis, & pax à Deo Patre, & Dómino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccátis nostris, ut eriperet nos de præsenti século nequam, secundùm voluntátem Dei & Patris nostri: cui est glória in sécula seculórum. Amen. ¶ Miror quòd sic tam citò transferímini ab eo qui vos vocávit in grátiam Christi, in áliud Evangélium: quod non est áliud, nisi sunt áliqui, qui vos conturbant, & volunt convértere Evangélium Christi. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelízet vobis prætérquàm quod evangelizávimus vobis, anáthema sit. Sicut prædíximus, & nunc íterum dico: si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepistis, anáthema sit. Modò enim homínibus suádeo an Deo? An quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem.

LECTIO II.

NOtum enim vobis fácio, fratres, Evangélium, quod evangelizátum est à me, quia non est secundùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónē Jesu Christi. Audístis enim conversatiónem meam aliquando in judaísmo: quóniam supra modum persequébar Ecclésiam Dei, & expugnábam illam, & proficiébam in Judaísmo supra multos coætáneos meos in génere meo, abundántiùs æmulátor exsistens paternárum meárum traditiónum. ¶ Cùm autem plácuit ei, qui me segregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in Géntibus, contínuò non acquiévi carni & sánguini, neque veni Jerosólymam ad antecessóres meos Apóstolos: sed ábii in Arábiam: & íterum reversus sum Damascum: deinde post annos tres veni Jerosólymam vidére Petrum, & mansi apud eum diébus quíndecim: álium autem Apostolórum vidi néminem, nisi Jacóbum fratrem Dómini. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non méntior.

℟. I. Apud Dóminum misericórdia; & copiósa apud eum redémptio: * Et ipse rédimet Israel ex ómnibus iniquitátibus ejus ℣. Salvátor noster Jesus Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte. * Et *Ps. 129. Tit. 2.*

℟. II. Verbum Dómini manet in ætemum : * Hoc est autem verbum quod evangelizátum est in vos. ℣. Per Christum fidéles estis in Deo, renáti non ex sémine corruptíbili, sed incorruptíbili per verbum Dei vivi & permanentis in ætemum. * Hoc. *I. Petr.* 1.

℟. III. Grátiâ Dei sum id quod sum, * Et grátia ejus in me vácua non fuit. ℣. Priùs blasphémus fui, & persecútor, & contumeliósus; sed misericórdiam Dei consecútus sum. * Et grátia. *I. Cor.* 15. *I. Tim.* 1.

℟. IV. Pósitus sum ego prædicátor, & Apóstolus & magister Géntium : ob quam causam * Pátior, sed non confundor : † Scio enim cui crédidi. ℣. Quámdiù quidem ego sum Géntium Apóstolus, ministérium meum honorificábo, * Pátior. ℣. Glória. † Scio. *II. Tim.* 1. *Rom.* 11.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Ignátii Epíscopi & mártyris ad Ephésios. *Ex Græco apud Cotel. An.* 107. *n.* 18 & 19.

DEus noster Jesus Christus in útero gestátus est à Maríâ juxta dispensatiónem Dei, ex sémine Davídis, Spíritu autem sancto. Qui natus est; & baptizátus est, ut passióne aquam purificáret. Et príncipem hujus mundi látuit Maríæ virgínitas, & partus ipsíus, simíliter & mors Dómini; tria mystéria clamóris quæ in siléntio Dei patráta sunt. Quo modo igitur manifestátus est sǽculis : stella in cœlo fulsit, splendóre exsúperans omnes stellas, & lux illíus ineffábilis erat; & stupórem incussit ipsíus nóvitas. Quare solúta est omnis mágia, & omne vínculum malítiæ est abólitum, ignorántia destrúcta est, vetus regnum est labefactátum; Deo humánitus manifestáto, in novitátem vitæ ætérnæ. Principátum verò accépit id quod à Deo ómnibus suis pártibus absolútum erat. Inde ómnia commovebantur, quòd meditarétur mortis abolitiónem.

℟. Cùm natus esset Jesus in Béthlehem Juda, ecce Magi ab Oriente venérunt Jerosólymam dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæórum ? * Vídimus enim stellam ejus in Oriente : & † Vénimus adoráre eum. ℣. Oriétur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel : de Jacob erit qui dominétur. * Vídimus. ℣. Glória. † Vénimus. *Matth.* 2. *Num.* 24.

Ad Benedictus. *Ant.* Illumináre, Jerúsalem; quia venit lumen tuum, & gló-

ria Dómini super te orta est. *Isai. 60.*

COLLECTA. *Miss. Ambr.*

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris; † & pópulo tuo, quem tibi ex ómnibus géntibus elegisti, * veritátis tuæ lumen ostende: Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Ephesíno. *An.* 431. *Part.* 3. *Cap.* 9. *Theodoti. Ancyræ Ep. Homilia.*

QUi ex Chaldæâ venérunt. Magi, ipsi suis munéribus mystérium monstravérunt. Tríplicem namque múnerum spéciem ásferunt, aurum, thus, & myrrham. Aurum quidem, quia is Rex est qui honorátur: thus, quia Deus erat qui natus est: id enim secundùm consuetúdinem offerébant eis quos ipsi putábant Deos: obtulérunt quoque & myrrham, passiónem, ut árbitror, mortis per hanc annuntiantes. Vides quómodo étiam Magi cognovérunt quia & Deus mansit, & homo factus est, suscípiens mortem.

Ad Magníficat. *Ant.* Vidébunt gentes Justum tuũ, & cuncti reges Inclytum tuum; & vocábitur tibi nomen novum quod os Dómini nominábit. *Isai.* 62.

DIE VIII. JANUARII.

DE OCTAVA

EPIPHANIÆ.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. *Cap.* 1 & 2.

DEinde veni in partes Syriæ, & Cilíciæ. Eram autem ignótus fácie Ecclésiis Judææ, quæ erant in Christo: tantùm autem audítum habébant: quóniam qui persequebátur nos aliquando, nunc evangelízat fidem, quam aliquando expugnábat: & in me clarificábant Deum. ¶ Deinde post annos quatuórdecim, íterum ascendi Jerosólymam cum Bárnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundùm revelatiónem: & cóntuli cum illis Evangélium, quod prædico in Géntibus, seorsùm autem iis; qui videbantur áliquid esse: ne fortè in vácuum cúrrerem, aut cucurissem.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

SEd neque Titus, qui mecum erat, cùm esset Gentílis, compulsus est circumcídi: sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroiérunt exploráre libertátem nostram,

quam habémus in Christo Jesu, ut nos in servitútem redígerent. Quibus neque ad horam céssimus subjectióne, ut véritas Evangélii permáneat apud vos: ab iis autem, qui videbantur esse áliquid, (quales aliquando fúerint, nihil meâ interest. Deus persónam hóminis non áccipit.) Mihi enim qui videbantur esse áliquid, nihil contulérunt. ¶ Sed è contra cùm vidíssent quod créditum est mihi Evangélium præpútii, sicut & Petro circumcisiónis: (qui enim operátus est Petro in Apostolátum circumcisiónis, operátus est & mihi inter gentes:) & cùm cognovíssent grátiam, quæ data est mihi, Jacóbus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dedérunt mihi, & Bárnabæ societátis; ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisiónem: tantùm ut páuperum mémores essémus, quod étiam sollícitus fui hoc ipsum fácere.

LECTIO III.

Ex libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. Sec. II. Cap. 9.*

UNus & idem Deus, qui à Prophétis prædicátus est, & ab Evangélio annuntiátus, & hujus Fílius, qui ex fructu ventris David, id est, ex David Vírgine, & Emmánuel; cujus & stellam Bálaam quidem sic prophetávit: Oriétur stella ex Jacob, & surget Dux in Israel. Matthæus autem Magos ab Oriente venientes, ait dixisse: Vídimus enim stellam ejus in Oriénte, & vénimus adoráre eum: deductósque à stellâ in domum Jacob ad Emmánuel, per ea quæ obtulérunt múnera ostendísse, quis erat qui adorabátur: myrrham quidem, quòd ipse erat, qui pro mortáli humáno génere morerétur & sepelirétur: aurum verò, quóniam Rex, cujus regni finis non est; thus verò, quóniam Deus, qui & notus in Judæâ factus est, & manifestus eis, qui non quærébant eum.

℟. Intrántes domum Magi, invenérunt Púerum cum Maríâ matre ejus, & * Procidentes adoravérunt eum; & apertis thesauris suis, obtulérunt ei múnera, aurum, thus, & myrrham. ℣. De Saba vénient, aurum & thus deferentes, & laudem Dómino annuntiantes. * Procidentes. ℣. Glória. * Procidentes. *Matth.* 2. *Isai.* 60.

Ad Benedictus. *Ant.* Vénient ad te, & adorábunt vestígia pedum tuórum, qui detrahébant tibi. *Isai.* 60.

Collecta. *Sacr. Greg.*

DA, quæsumus, omnipotens Deus; ✝ ut qui nova incarnati Verbi tui luce perfundimur, * hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente: Per eumdem.

CANON.

Ex Concilio Ephesino. *An.* 431. *Part.* 3. *Cap.* 9. *Theodoti Ancyræ Ep. Homilia.*

CUm Deus esset Christus, homo factus est, ut homo fieret Deus, hâc copulatióne ad divinam glóriam elevátus; ut unus idemque sit & diviné glorificátus, & quæ sunt humána perpessus. Et hoc nobiscum confessi sunt Magi, confitentes unitátem divinitátis & humanitátis. Quod enim unitum est, nequáquam duo, sed unum nominátur.

Ad Magníficat. *Ant.* Omnes gentes vénient, & adorábunt in conspectu tuo, Dómine. *Apoc.* 15.

DIE IX. JANUARII.

DE OCTAVA

EPIPHANIÆ.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Cap. 2.

CUm autem venisset Cephas Antiochíam; in fáciem ei réstiti, quia reprehensíbilis erat. Priùs enim quam venirent quidam a Jacóbo, cum Géntibus edébat: cum autem venissent, subtrahébat, & segregábat se, timens eos qui ex circumcisióne erant. Et simulatióni ejus consensérunt cæteri Judæi: ita ut & Barnabas ducerétur ab eis in illam simulatiónem. Sed cùm vidissem quòd non rectè ambulárent ad veritátem Evangélii, dixi Cephæ coram ómnibus: Si tu, cùm Judæus sis, gentíliter vivis, & non judáicè; quómodo Gentes cogis judaizáre? Nos natúrâ Judæi, & non ex Géntibus peccatóres. ¶ Scientes autem quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi, & non ex opéribus legis: propter quod ex opéribus legis non justificábitur omnis caro. Quòd si quærentes justificári in Christo, inventi sumus & ipsi peccatóres, numquid Christus peccáti minister est? Absit. Si enim quæ destruxi, íterum hæc ædífico: prævaricatórem me constítuo.

LECTIO II. *Cap.* 2. *&* 3.

EGo enim per legem, legi mórtuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego; vivit

verò in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & trádidit semetipsum pro me. Non abjício grátiam Dei. Si enim per legem justítia, ergo gratìs Christus mórtuus est. ¶ O insensáti Gálatæ, quis vos fascinávit non obedíre veritáti, ante quorum óculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? Hoc solum à vobis volo díscere: Ex opéribus legis Spíritum accepistis, an ex audítu fidei? Sic stulti estis, ut cùm spíritu cœpéritis, nunc carne consummémini? Tanta passi estis sine causâ? si tamen sine causâ. Qui ergo tríbuit vobis Spíritum, & operátur virtútes in vobis: ex opéribus legis, an ex audítu fidei? Sicut scriptum est: Abraham crédidit Deo, & reputátum est illi ad justítiam. Cognóscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.

℞. I. Super omnes docéntes me intellexi; quia testimónia tua meditátio mea est: * Super senes intellexi; quia mandáta tua quæsívi. ℣. Exístimo ómnia detrimentum esse, propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei. * Super. *Ps.* 118. *Philip.* 3.

℞. II. Justítia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum: * Non enim est distínctio: omnes enim peccavérunt, & egent glóriâ Dei. ℣. Causáti sumus Judæos & Græcos omnes sub peccáto esse. * Non enim. *Rom.* 3.

℞. III. Sciéntes quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi; * Et nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi. ℣. Crédidit Abram Deo; & reputátum est illi ad justítiam; * Et nos. *Galat.* 2. *Genes.* 15.

℞. IV. Próvidens Scriptúra quia ex fide justíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ: Quia benedicéntur in te omnes gentes. * Igitur qui ex fide sunt, benedicéntur cum fidéli Abraham. ℣. Dixit ad Abram Deus: Ego sum, & pactum meum tecum; erísque pater multárum géntium. * Igitur. ℣. Glória. * Igitur. *Galat.* 3. *Gen.* 17.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Athanásii Epíscopi de Incarnatióne Verbi Dei. *n.* 55. *Edit. Bened. Sec. IV.*

ISTud te díscere cónvenit atque ut caput ómnium quæ hactenus dicta sunt habére, ac vehementer mirári quòd post Salvatóris adventum non ámplius créverit idololátria: sed quæ erat, imminúi cœperit

ac paulátim deficiat. Nullos item ámpliùs progressus habet Gentílium sapiéntia : sed pótius quæ ántea erat, sensim evanescit. Néminem quoque jam dæmones præstígiis, oráculis, aut incantamentis decipiunt : sed vel id solum tentantes & aggredientes, signo crucis confunduntur.

℟. Dicit Dóminus : disperdam nómina idolórum de terrâ : * Et † Pseudoprophétas & spíritum immundum áuferam de terrâ. ℣. Nunc judícium est mundi ; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras. * Et. ℣. Glória. † Pseudoprophétas. *Zach.* 13. *Joan.* 12.

Ad Benedictus. *Ant.* Habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. *Isai.* 9.

Collecta. *Sac. Gelas.*

ILlúmina, quæsumus, Dómine, pópulum tuũ, & splendóre grátiæ tuæ cor ejus semper accende; † ut Salvatórem suum & incessanter agnoscat, * & veráciter apprehendat Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum ; Qui tecum.

Canon.

Ex Concílio Ephesíno. *An.* 431. *Part.* 3. *Cap.* 9. *Theodoti Ancyræ Ep. Homilia.*

MAgi ei qui videbátur thus obtulérunt tamquàm Deo, non separantes natúram à natúrâ, neque cogitatióne dividentes quod unitum est, sed semel miráculo eum qui apparébat noscentes Deum, thus obtulérunt, eo múnere divínam dignitátem indicantes.

Ad Magníficat. *Ant.* Applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illâ, & erunt mihi in pópulum. *Zach.* 2.

Die X. Januarii.

DE OCTAVA EPIPHANIÆ.

Lectio I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. *Cap.* 4.

QUóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed fílius : quòd si fílius, & hæres per Deum. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natúrâ non sunt dii, serviebátis. Nunc autem cùm cognovéritis Deum, immò cógniti sitis à Deo : quómodo convertímini íterum ad infirma, & egéna elementa, quibus dénuò servíre vultis? Dies observátis, & menses, & témpora, & annos. Tímeo vos, ne fortè sine causâ laboráverim in vobis. Estóte sicut ego, quia & ego sicut vos ; fratres, óbsecro

vos: nihil me læsistis. ¶ Scitis autem quia per infirmitátem carnis evangelizávi vobis jámpridem: & tentatiónem vestram in carne meâ. Non sprevistis, neque respuistis: sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. Ubi est ergo beatitúdo vestra? Testimónium enim perhíbeo vobis, quia, si fieri posset, óculos vestros eruissétis, & dedissétis mihi. Ergo inimícus vobis factus sum, verum dicens vobis? Æmulantur vos non bene: sed exclúdere vos volunt, ut illos æmulémini. Bonum autem æmulámini in bono semper, & non tantùm cùm præsens sum apud vos. Filíoli mei, quos íterum partúrio, donec formétur Christus in vobis.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

DIcite mihi qui sub lege vultis esse: legem non legistis? Scriptum est enim: Quóniam Abraham duos filios hábuit: unum de ancillâ, & unum de líberâ. Sed qui de ancillâ, secundùm carnem natus est: qui autem de líberâ, per repromissiónem: quæ sunt per allegóriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitútem génerans; quæ est Agar: Sina enim mons est in Arábia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerúsalem, & servit cum filiis suis. Illa autem, quæ sursum est Jerúsalem, líbera est; quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætáre, stérilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non párturis: quia multi filii desertæ magis quàm ejus, quæ habet virum. ¶ Nos autem, fratres, secundùm Isaac promissiónis filii sumus. Sed quómodo tunc is, qui secundùm carnem natus fúerat, persequebátur eum, qui secundùm spíritum: ita & nunc. Sed quid dicit Scriptúra? Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio líberæ. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed líberæ: quâ libertáte Christus nos liberávit.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Athanásii Epíscopi de Incarnatióne Verbi Dei. *n.* 55. *Edit. Bened.*

UT summátim dicam, attende quómodo Salvatóris quidem doctrína per totum terrárum orbem diffundátur: contrà autem, universa idololátria & quidquid Christi fidei adversátur, quotídie decrescat debiliteturque & cadat. Quæ cùm vides, Salvatórem ómnium Dóminum & potentíssimum Dei Verbum adóra: eos autem quos ille deficere & evanéscere

terram; * Exſpoliantes véterem hóminem cum áctibus ſuis, & induentes novum: † Dómino Chriſto ſervite. ℣. Circumcidímini Dómino, & auferte præpútia córdium veſtrórum. * Expoliantes. ℣. Glória. † Dómino. *Coloſſ.* 3. *Jerem.* 4.

LECTIO III.

Ex Libro ſancti Athanáſii Epíſcopi de Incarnatióne Verbi Dei. *n.* 55. *Edit. Bened.*

OLim dæmones divínis honóribus uſurpátis míſeros hómines deludébant: at ubi Dei Verbum in córpore appáruit, & ſuum Patrem notum nobis fecit, tunc dæmonum quidem falláciæ evanéſcere & desínere cœpérunt, hómines autem verum Patris Deum Verbum intuentes, idóla relinquunt, ac verum Deum agnoſcunt. Id porrò certo indício eſt Chriſtum Deum Verbum & Dei virtútem eſſe. Cùm enim ceſſent quæ humána ſunt, & Chriſti verbum conſtanter perſevéret, nemo non videt ea quæ finem habent temporália eſſe, eum autem qui perpétuò pérmanet, Deum Deíque Fílium verum unigénitum Verbum eſſe.

℟. Relinquent gentes idóla ſua, & vénient in Jerúſalem, & inhabitábunt in eâ; * Et † Gaudébunt in eâ omnes reges terræ, adorantes Regem Iſrael. ℣. Ambulábunt gentes in lúmine ejus: & reges terræ áfferent glóriam ſuá & honórem in illam; * Et. ℣. Glória. † Gaudébunt. *Tob.* 14. *Apoc.* 21.

Ad Benedictus. *Ant.* Congregabuntur omnes gentes in nómine Dómini in Jerúſalem; & non ambulábunt poſt pravitátem cordis ſui péſſimi. *Jerem.* 3.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

OMnípotens, ſempiterne Deus, fidélium ſplendor animárum, qui hanc ſolemnitátem electiónis Géntium primítiis conſecraſti; † imple mundum glóriâ tuâ; * & ſûbditis tibi pópulis per lúminis tui appáre claritátem; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Ephésino. *An.* 431. *Part.* 1. *Cap.* 4.

PErfectus Deus cùm eſſet Chriſtus, factus eſt ex voluntáte ſuâ homo: neque quidquam omnino, quod humánæ natúræ cognátum eſſet, præter unam ímpiam malítiam, relíquit: nam etſi infans, Emmánuel tamen eſſe agnoſcebátur. Conſtat namque Magos qui ad illum venérunt, eum ipſum qui apparuérat, adoratióne ſuâ ut Deum agnoviſſe.

Ad Magníficat. *Ant.* Te adorábunt, teque deprecabuntur : tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israel Salvátor. *Isai.* 45.

Die XII. Januarii.

DE OCTAVA *EPIPHANIÆ.*

Lectio I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.
Cap. 6.

FRatres, & si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos, qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans te ipsum, ne & tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, & sic adimplébitis legem Christi. Nam si quis exístimat se áliquid esse, cùm nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantùm glóriam habébit, & non in áltero. Unusquisque enim onus suum portábit. ¶ Commúnicet autem is, qui catechizátur verbo, ei, qui se catechízat, in ómnibus bonis. Nolíte erráre : Deus non irridétur. Quæ enim semináverit homo, hæc & metet. Quóniam qui séminat in carne suâ, de carne & metet corruptiónem : qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitã ætérnam. Bonum autem faciéntes, non deficiámus : témpore enim suo metémus non deficientes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máximè autem ad doméstiços fidei.

Responsoria ut heri.

Lectio II.

VIdéte quálibus lítteris scripsi vobis meâ manu. Quicumque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circumcídi, tantùm ut crucis Christi persecutiónem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem custódiunt : sed volunt vos circumcídi, ut in carne vestrâ gloriéntur. ¶ Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicumque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, & misericórdia, & super Israel Dei. De cætero nemo mihi moléstus sit : ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, cum spíritu vestro, fratres. Amen.

LECTIO III.

Ex Epistolâ sancti Cypriáni ad Demetriánum. *Edit. Baluz. Sec. III.*

FIdem nostram déstrue, disceptatióne, si potes, vince, vince ratióne. Vel si quid diis tuis núminis & potestátis est, ipsi in ultiónem suam surgant, ipsi se suâ majestáte defendant. Aut quid præstáre se coléntibus possunt qui se de non coléntibus vindicáre non possunt? O si audíre eos velles & vidére, quando à nobis adjurantur & torquentur spiritálibus flagris, & verbórum tormentis de obsessis corpóribus ejiciuntur, quando ejulantes & gementes voce humánâ, & potestáte divínâ flagella & vérbera sentientes, ventúrum judícium confitentur! Veni & cognosce vera esse quæ dícimus. Et quia sic deos cólere te dicis, vel ipsis quos colis crede; aut si volúeris & tibi crédere, de teipso loquétur, audiente te, qui nunc tuum pectus obsédit, qui nunc mentem tuam ignorántiæ nocte cæcávit. Vidébis nos rogári ab eis quos tu rogas, timéri ab eis quos tu times, quos tu adóras. Vidébis sub manu nostrâ stare vinctos & trémere captívos quos tu suspícis & veneráris ut dóminos. Certè vel sic confundi in istis erróribus tuis póteris, quando conspéxeris & audíeris deos tuos quid sint interrogatióne nostrâ pródere, &, præséntibus licèt vobis, præstígias illas & fallácias suas non posse celáre. Quæ ergo mentis ignávia est, immò quæ desipiéntium cæca & stulta deméntia ad lucem de ténebris nolle veníre, & mortis ætérnæ láqueis vinctos spem nolle immortalitátis excípere?

℞. Disperdam nómina idolórum de terrâ, & non memorabuntur ultrà: * Et † Pseudoprophétas, & spíritum immundum áuferam de terrâ. ℣. Idóla pénitùs conterentur. * Et. ℣. Glória. † Pseudoprophétas. *Zach.* 13. *Isai.* 2.

Ad Benedictus. *Ant.* Stabit & pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui: & convertentur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ. *Mich.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, illuminátor ómnium géntium, da pópulis tuis perpétuâ pace gaudére, † & illud lumen spléndidum infunde córdibus nostris, * quod trium Magórum méntibus inspirasti, Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Ephesíno. *An.* 431. *Part.* 2. *Act.* 1. *Coll. nov. Baluz.*

DEus Verbum, óptimus ómnium ártifex, vi-

vum, éfficax, qui ordinatióne cóngruâ cuncta compósuit, non cœlesti quâdam córporis assumptâ matériâ ad nos venit: sed in luto magnitúdinem suæ artis ósténdit, córrigens hóminem qui est fictus ex luto, ipse ex vírgine homo novus procédens, generatiónis quidem ratióne dissímilis, áliis veró ómnibus absque peccáto símilis nostrî, natus, panno involútus, lacte nutrítus, infans in præsépio repósitus, natúræ nostræ fragilitátem sústinens propter prióres causas; sed cùm adhuc infans esset, sátanam & ejus perterreféçit exércitum, Magos próvocans ad pœniténtiam, & eos armans ad contemptum ejus qui illos míserat regis.

Die XIII. Januarii.

OCTAVA EPIPHANIÆ, ET BAPTISMUS DOMINI.

Solemnitas III. Classis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. ERit fons patens dómui David, & habitántibus Jerúsalem, in ablutiónem peccatóris. *Zach.* 13.

II. In die illâ, dicit Dóminus exercítuum, dispérdam nómina idolórum de terrâ, & non memorabúntur ultrà. *Zach.* 13.

III. Effundam super vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinamentis vestris; & ab universis idólis vestris mundábo vos. *Ezech.* 36.

IV. Eritis mihi in pópulum, & ego ero vobis in Deum, & salvábo vos. *Ezech.* 36.

Lectio. *Joel.* 3.

ERit Jerúsalem sancta, & aliéni non transíbunt per eam ámpliùs. † Et erit in die illâ, stillábunt montes dulcédinem, & colles fluent lacte; & per omnes rivos Juda, ibunt aquæ: * & fons de domo Dómini egrediétur, & irrigábit torrentem spinárum.

℟. *br.* Dominábitur * A Mari usque ad Mare. ℟. Dóminábitur. ℣. Et à flúmine usque ad términos orbis terrárum. * A Mari. ℣. Glória. ℟. Dominábitur. *Ps.* 71.

Hymnus. *N. T.*

PRomissus ecce jam patet
Fons abluendis córdibus:
Res mira! tíngitur caro,
Mentisque labes tóllitur.
His tincta nam canálibus
Regis suprémi púrpura
Tinctos cruentat, & nivis
Instar dat esse cándidos.

Fœcunda sancto Spíritu
Virgo Deum nobis parit:
Fœcunda sancto Spíritu
Nunc unda nos parit Deo.
¶ Mundi scelus qui diluis,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sǽcula.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia dicitur ad omnes Horas.*

℣. Ponam in mari manum ejus: ℟. Et in flumínibus déxteram ejus. *Ps.* 88.

Ad Magníficat *Ant.* Exíbunt aquæ vivæ de Jerúsalem; & erit Dóminus Rex super omnem terram: in die illâ erit Dóminus unus; & erit nomen ejus unum. *Zach.* 14.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 385.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum, qui baptízat in Spíritu sancto, * Veníte, adorémus. *Luc.* 3.

HYMNUS. *N. T.*

CLamantis ecce vox sonans,
Deserta Judææ quatit;
Mox ad Joannem cónfluunt,
Quos críminum moles gravat.
En ipse permistus reis
Accédit Agnus ínnocens;
Agnus suo qui sánguine
Piábit orbis crímina.
Sub nube carnis, at suum
Lucerna solem détegit;
Lymphis nec audet tíngere
A quo lavári débuit.
Parére sed fas est Deo,
Vel quando sese déprimit:
Hunc omne virtútum genus
Implére nempe sic decet.
Agnosce, Præcursor, tibi
Intus revélat quem Deus:
Tu mergis undis córpora,
Hic corda mundat Spíritu.
Non ábluunt lymphæ Deum,
Sed ábluit lymphas Deus;
Carnisque contactu sacræ,
Vim dat lavandi críminis.
Mundi scelus qui díluis,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sǽcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Fuit Joannes in deserto baptízans, & prædicans baptismum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. *Marc.* 1.

II. Exíbat ad eum omnis Judæa, & baptizabantur ab eo in Jordáne, confitentes peccáta sua. *Matth.* 3.

III. Prædicábat dicens: Véniet fórtior me post me, cujus non sum dignus procumbens sólvere corrígiam calceamentórum ejus. *Marc.* 1.

IV. Ventilábrum in manu suâ, & permundábit

áream suam, & congregábit tríticum suum in hórreum. *Matth.* 3.

V. Ipse est qui post me ventúrus est, qui ante me factus est; quia prior me erat. *Joan.* 1.

VI. Ego quidem aquâ baptízo vos: Ipse vos baptizábit in spíritu sancto & igni. *Luc.* 3.

℣. Illuxérunt corruscatiónes tuæ orbi terræ; ℟. Et sémitæ tuæ in aquis multis. *Ps.* 76.

LECTIO I.

Ex Isaíâ Prophétâ. *Cap.* 42.

ECce servus meus, suscípiam eum: electus meus, complácuit sibi in illo ánima mea: dedi Spíritum meum super eum, judícium géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet persónam, nec audiétur vox ejus foris. Cálamũ quassátum non cónteret, & linum fúmigans non exstinguet: in veritáte edúcet judícium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ judícium: & legem ejus ínsulæ exspectábunt.

℟. Dictum est per Isaíam Prophétã: Ecce puer meus, in quo bene complácuit ánimæ meæ. * Ponam Spíritum meum super eum, & judícium géntibus nuntiábit. ℣. Ecce vox de cœlis dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui. * Ponam. *Matth.* 12. & 3.

LECTIO II.

HÆc dicit Dóminus Deus, creans cœlos, & extendens eos: firmans terram, & quæ gérminant ex eâ: dans flatum pópulo, qui est super eam, & spíritum calcántibus eam. Ego Dóminus vocávi te in justítiâ, & apprehendi manum tuam, & servávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem géntium: ut aperíres óculos cæcórum, & edúceres de conclusióne vinctum, de domo cárceris sedentes in ténebris. Ego Dóminus, hoc est nomen meum: glóriam meam álteri non dabo, & laudem meam sculptílibus. Quæ prima fuérunt, ecce venérunt: nova quoque ego annúntio: ántequam oriantur, audíta vobis fáciam.

℟. Dóminus dixit ad me; Fílius meus es tu; ego hódie génui te: * Póstula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, & possessiónem tuam términos terræ. ℣. Sic præcépit Dóminus: Pósui te in lucem géntium, ut sis in salútem usque ad extrémum terræ, * Póstula. *Ps.* 2. *Act.* 13.

LECTIO III.

Ex Ezechiéle Prophétâ. *Cap.* 36.

SAnctificábo nomen meũ magnum, quod pollútum est inter Gentes, quod

polluistis in medio earum: ut sciant gentes, quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de universis terris, & adducam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos.

℟. Abstulit Dominus sicut oves populum suum; & deduxit eos in spe, & non timuérunt; * Et inimícos eórum opéruit mare. ℣. Omnes in Moyse baptizáti sunt, in nube & in mari. * Et. *Ps.* 77. *I. Cor.* 10.

LECTIO IV.

ET dabo vobis cor novum: & Spiritum novum ponam in médio vestri: & áuferam cor lapideum de carne vestrâ, & dabo vobis cor cárneum. Et Spíritum meum ponam in médio vestri: & fáciam ut in præceptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis, & operémini. Et habitábitis in terrâ quam dedi pátribus vestris: & éritis mihi in pópulum, & ego ero vobis in Deum. Et salvábo vos ex universis inquinamentis vestris.

℟. Fériam dómui Israel & dómui Juda fœdus novum: * Dabo legem meam in viscéribus eórum, & in corde eórum scribam eam. ℣. Non secundum pactum quod pépigi cum pátribus eórum, quod írritum fecérunt, sed hoc erit pactum. * Dabo. ℣. Glória. * Dabo. *Jerem.* 31.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Venit Jesus a Galilæâ in Jordánem ad Joannem, ut baptizarétur ab eo. *Matth.* 3.

II. Et factum est; & Jesus baptizátus est a Joanne in Jordáne. *Marc.* 1.

III. Venit per aquam Jesus Christus: & Spíritus est qui testificatur quoniã Christus est véritas. *I. Joan.* 5.

IV. Ego nesciébam eum; sed ut manifestétur in Israel, proptéreà veni ego in aquâ baptizans. *Joan.* 1.

V. Baptizatus Jesus, confestim ascendit de aquâ, & ecce aperti sunt ei cœli. *Matth.* 3.

VI. Vidit Spíritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. *Ibid.*

℣. Ego primogénitum ponam illum, ℟. Excelsum præ régibus terræ. *Ps.* 88.

LECTIO V.

Ex Oratióne trigésimâ nonâ sancti Gregórii Nazianzéni in sancta Lúmina. *Edit. Bened.*

JAm Christi natívitas cóngruâ solemnitáte celebráta est. Cum stellâ cu-

currimus; cum Magis adorávimus; cum Pastóribus luce circumfusi sumus; cum Angelis divínam glóriam prædicávimus. Nunc verò ália Christi áctio, aliudque mystérium séquitur. Christus illuminátur; simul illustrémur: Christus baptizátur; simul descendámus, ut simul étiam ascendámus. Cæterùm baptízat Joannes, Jesus accédit; forsan quidem ut ipsum quoque, à quo baptizátur, sanctitáte afficiat; procul dúbio autem, ut totum véterem Adámum in aquis sepéliat. Baptista non admittit; Jesus certat. Tum: Ego à te baptizári débeo, inquit lucerna soli, vox Verbo, amícus sponso. Quid autem Jesus? Sine nunc. Hoc enim certo consílio & dispensatióne fit.

℟. Joannes prohibébat Jesum dicens: Ego à te débeo baptizári, & tu venis ad me? Jesus dixit? * Sine modò; sic enim decet nos implére omnem justítiam. ℣. Sanabuntur aquæ; & omnis ánima, quocumque vénerit torrens, vivet. * Sine. *Matth.* 3. *Ezech.* 47.

Lectio VI.

JEsus ex aquis ascendit; mundum enim secum in altum effert; ac cœlos, quos Adámus, & sibi, & pósteris quemádmodum & flámmeo gládio paradísum, cláuserat, findi atque aperíri cernit. Ac Spíritus deitátem testátur, nimírum ad patrem accurrens; & vox cœlitùs míttitur; illinc enim is erat cui testimónium dicebátur; & ut columba, corpus enim honóre áfficit, quandóquidem hoc étiam per deificatiónem Deus est, corpóreo modo conspecta. Ac simul multis retrò séculis columba dilúvii finem nuntiáre consuévit.

℟. Jesu baptizáto, & orante, apertum est cœlum; & * Descendit Spíritus sanctus corporáli spécie sicut columba in ipsum. ℣. Flos de radíce Jesse ascendet; & requiescet super eum Spíritus Dómini. * Descendit. *Luc.* 3. *Isai.* 11.

Lectio VII.

NOs autem hódiè Christi baptismum honóre complectámur, ac festum honestè celebrémus, non ventris delíciis óperam dantes; sed spirituáliter nosipsos oblectantes. Quonam autem modo delíciis indulgébimus? Lavámini, mundi estóte. Si peccáto rubri estis, minusque sanguínei, quasi nix dealbémini. Nullâ enim re Deus perinde delectátur, ut hóminis, pro quo omnis sermo & ómnia mystéria, resipiscéntiâ & salúte.

℟. Qui post me ventúrus

est, fórtior me est, cujus non sum dignus calceamenta portáre: * Ipse vos baptizábit in Spíritu sancto & igni. ℣. Sanctus vocábitur omnis qui scriptus est in vitâ in Jerúsalem; si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion, in spíritu judicii & spíritu ardóris. * Ipse. *Matth.* 3. *Isai.* 4.

LECTIO VIII.

Ex Libro sancti Cyrilli Alexandríni Epíscopi de rectâ Fide in Dóminum nostrum Jesum Christum, ad Theodósium Imperatórem. *Ed. Aubert.*

ILlustrem sacri baptísmatis grátiam, quæque ipsi cohæret vivificatiónem, & Dei participatiónem per sanctificatiónem in Spíritu per Jesum Christum nobis obtíngere, inficiári non póssumus. Meminimus enim Joannem dicentem: Qui post me ventúrus est, fórtior me est, cujus non sum dignus calceamenta portáre; ipse vos baptizábit in Spíritu sancto & igni. Jam te intérrogo; Num in Spíritu sancto & igni baptizáre posse & facultátem habére opus sit solíus humánæ natúræ? Quis, quæso, istud credat? Atqui Virum illum qui mox adfutúrus ac videndus erat, in Spíritu sancto & igne baptizatúrum prædicat. Immittit autem hic Spíritum sanctum baptizántis non aliénum, sed eum qui ex illo est & ipsíus est propítius; neque rursum ut servus vel minister, verùm ut Deus secundùm natúram cum summâ potestáte & autoritáte.

℟. Vidi Spíritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum; * Vidi, & testimónium perhíbui, quia † Hic est Fílius Dei. ℣. Qui misit me baptizáre in aquâ, ille mihi dixit: Super quem víderis Spíritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptízat in Spíritu sancto. * Vidi. ℣. Glória. † Hic. *Joan.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Super Cantica de die Epiphaniæ, pag. 350.

Ant. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salvatóris & dicétis in die illâ: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus. *Isai.* 12.

℣. Flúmina plaudent manu, ℟. A conspectu Dómini, quóniam venit. *Ps.* 97.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 5.

GLoriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus. Proptérea sicut per unum hóminem peccátum

tum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors, & ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt. Usque ad legem enim peccátum erat in mundo : peccátum autem non imputabátur, cùm lex non esset. Sed regnávit mors ab Adam usque ad Móysen étiam in eos, qui non peccavérunt in similitúdinem prævaricatiónis Adæ, qui est forma futúri.

℟. Vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait : Ecce Agnus Dei; * Ecce qui tollit peccátum mundi. ℣. Justificábit ipse multos, & iniquitátes eórum ipse portábit. * Ecce. *Joan.* 1. *Isai.* 53.

LECTIO X.

SEd non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mórtui sunt; multò magìs grátia Dei & donum in grátiâ unius hóminis Jesu Christi in plures abundávit. Et non sicut per unum peccátum, ita & donum. Nam judícium quidem ex uno in condemnatiónem : grátia autem ex multis delictis in justificatiónem. Si enim unius delicto mors regnávit per unum : multò magìs abundántiam grátiæ, & donatiónis, & justítiæ accipientes, in vitâ regnábunt per unum Jesum Christum.

℟. In diébus Noë, pauci, id est, octo ánimæ salvæ factæ sunt per aquam; * Quod & vos nunc símilis formæ salvos facit baptisma. ℣. Cùm aqua deléret terram, sanávit sapiéntia, per contemptíbile lignum, Justum gubernans. * Quod. *I. Petr.* 3. *Sap.* 10.

LECTIO XI.

IGitur sicut per unius delictum in omnes hómines in condemnatiónem : sic & per unius justítiam in omnes hómines in justificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam unius hóminis, peccatóres constitúti sunt multi : ita & per unius obeditiónem, justi constituentur multi. Lex autem subintrávit ut abundáret delictum. Ubi autem abundávit delictum, superabundávit grátia. Ut sicut regnávit peccátum in mortem : ita & grátia regnet per justítiam in vitam ætemam, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℟. Non obdurétur quis ex vobis fallácia peccáti : * Partícipes enim Christi effecti sumus, si tamen inítium substántiæ ejus usque ad finem firmum retineámus. ℣. Vidéte qualem caritátem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominémur & simus : nunc filii Dei sumus. * Partícipes. *Hebr.* 3. *I. Joan.* 3.

LECTIO XII. *Cap.* 6.

QUid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivémus in illo? An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Christo Jeſu, in morte ipſius baptizáti ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: ut quómodo Chriſtus ſurrexit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti ſumus ſimilitúdini mortis ejus: ſimul & reſurrectiónis érimus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruátur corpus peccáti, & ultrà non ſerviámus peccato.

℟. Adſperſi corda a conſciéntiâ malâ, & ablúti corpus aquâ mundâ, teneámus ſpei noſtræ confeſſiónem indeclinábilem; * Fidélis enim eſt † Qui repromíſit. ℣. Qui crediderit & baptizátus fúerit, ſalvus erit. * Fidélis. ℣. Glória. † Qui. *Hebr.* 10. *Marc.* 16.

EVANGELIUM.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Cap. 1.

VIdit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccátum mundi. Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat. Et ego neſciebam eum: ſed ut manifeſtétur in Iſrael, proptérea veni ego in aquâ baptizans. Et teſtimóniū perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spíritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizáre in aquâ, ille mihi dixit: Super quem videris Spíritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spíritu ſancto. Et ego vidi; & teſtimónium perhibui quia hic eſt Filius Dei.

Collecta ut infrà.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. NIſi quis renátus fúerit ex aquâ & Spíritu ſancto, non poteſt introíre in regnū Dei. *Joan.* 3.

II. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex Spíritu, ſpíritus eſt. Oportet vos naſci dénuo. *Joan.* 3.

III. Ego recípiam vos, & ero vobis in patrem; & vos éritis mihi in filios & filias. *II. Cor.* 6.

IV. Docéte omnes gentes, baptizantes eos in nómine Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti; docentes eos ſerváre ómnia quæcumque mandávi vobis. *Matth.* 28.

℣. Qui credíderit, & baptizátus fúerit, salvus erit. *Marc.* 16.

LECTIO. *Ephes.* 5.

CHristus diléxit Ecclésiam, & seipsum trádidit pro eâ, ut illam sanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ; ut exhibéret ipse sibi gloriósam Ecclésiam non habentem máculam, aut rugam, aut áliquid hujúsmodi, sed ut sit sancta & immaculáta.

℟. *br.* Remisísti, Dómine, * Iniquitátem plebis tuæ. ℟. Remisísti. ℣. Operuísti ómnia peccáta eórum, * Iniquitátem. ℣. Glória. ℟. Remisísti. *Ps.* 84.

HYMNUS. *N. T.*

EMergit undis, & Deo
Fundit preces Homo-Deus;
Patet polórum Régia:
Adest repentè Spíritus.
Instar columbæ vértici
Illapsus ínsidet sacro:
Summi Patris vox pérsonat:
Diléctus hic est Fílius.
Christi dicáta córpore,
Sic quem lavácra cónsecrant,
Hic náscitur proles Dei;
Cœlum precanti pánditur.
Castis, sit expers sórdium,
Columba simplex móribus:
Divínus hunc intùs regit,
Agit, fovetque Spíritus.
O Christe, sacri gúrgitis
Quos abluísti fóntibus,
Tuo cruóre cándidos
Fac nulla labes ínquinet.
Mundi scelus qui díluis,
JESU, tibi sit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Visitasti terram, & inebriasti eam. ℟. Multiplicasti locupletáre eam. *Ps.* 64.

Ad Benedictus. *Ant.* Jesus Christus diléxit nos, & lavit nos à peccátis nostris, in sánguine suo, & fecit nos regnum, & sacerdótes Deo & Patri suo: ipsi glória & impérium in sécula. *Apoc.* 1.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui Unigéniti tui Baptismo, aquárum fluenta sanctificáre voluísti; † da ut renáti aquâ & Spíritu, * pervenire ad gáudia ætérna mereámur: Per eumdem... in unitáte ejusdem Spíritûs.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Ephesíno. *An.* 431. *S. Cyrill. Alexandr. Anath.* 9.

SI quis unum Dóminum nostrum Jesum Christum à Spíritu sancto glorificátum ádserit, tamquàm aliénâ virtúte usum eâ quæ per ipsum est, efficaciámque, quâ contra immundos spíritus uterétur, & divína inter hómines mirácula operarétur, ab ipso eódem accepísse prædicat, & non próprium illíus esse

quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu. ¶ Hujus rei gratiâ, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Géntibus, si tamen audistis dispensatiónem grátiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: quóniam secundùm revelatiónem notum mihi factum est sacramentum, sicut suprà scripsi in brevi. Prout potestis legentes intelligere prudéntiam meam in mystério Christi: quod áliis generatiónibus non est ágnitum filiis hóminum, sicuti nunc revelátum est sanctis Apóstolis ejus, & Prophétis in Spíritu, Gentes esse cohærédes, & concorporáles, & compartícipes promissiónis ejus in Christo Jesu per Evangélium: cujus factus sum minister secundùm donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operatiónem virtútis ejus.

℟. I. Deus ipse prior diléxit nos, & misit filium suum propitiatiónem pro peccátis nostris: * Et nos cognóvimus, & credídimus caritáti quam habet Deus in nobis. ℣. Dixit Dóminus: Pópulus meus est; & factus est eis Salvátor; in dilectióne suâ ipse redémit eos. * Et. *I. Joan.* 4. *Isai.* 63.

℟. II. Deus nos liberávit & vocávit vocatióne suâ sanctâ, non secundùm ópera nostra, sed secundum propósitum suum, & grátiam, * Quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora seculária. ℣. Non nobis, Dómine, non nobis; sed nómini tuo da glóriam, super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ, * Quæ. *II. Tim.* 1. *Ps.* 113.

℟. III. Ideò misericórdiam consecútus sum: * Ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum, qui creditúri sunt illi in vitam ætérnam. ℣. Fidélem me existimávit, ponens in ministério: qui priùs blasphémus fui & persecútor; * Ut. *I. Tim.* 1.

℟. IV. Non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, * Sed † Secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit. ℣. Erámus insipientes, incréduli, errantes, serviéntes desidériis & voluptátibus váriis, * Sed. ℣. Glória. † Secundùm. *Tit.* 3.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Prædestinatióne sanctórum. *Edit. Bened. Cap.* 17.

INtelligámus vocatiónem quâ fiunt elécti; non qui eliguntur quia credidérunt, sed qui eliguntur ut credant. Unde non ob áliud dicit Dóminus: Non vos me elegistis, sed ego

vos elégi; nisi quia non elegérunt eum ut elígeret eos, sed ut elígerent eum elégit eos: quia misericórdia ejus prævénit eos secundùm grátiam, non secundùm débitum. Elégit ergo eos de mundo, cùm hìc ágeret carnem, sed jam electos in seipso ante mundi constitutiónem. Hæc est immóbilis véritas prædestinatiónis & grátiæ. Nam quid est quod ait Apóstolus: Sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutióne? Quod profectò si proptérea dictum est, quia præscívit Deus creditúros, non quia factúrus fuerat ipse credentes: contra istam præsciéntiam lóquitur Fílius, dicens: Non vos me elegístis, sed ego vos elégi: cùm hoc pótiùs præscíerit Deus, quòd ipsi eum fúerant electúri, ut ab illo meréntur éligi. Electi sunt ítaque ante mundi constitutiónem eâ prædestinatióne, in quâ Deus sua futúra facta præscívit: electi sunt autem de mundo eâ vocatióne, quâ Deus id quod prædestinávit implévit.

℟. Benedixit nos Deus in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutióne. * Ut essémus sancti & immaculáti in conspectu ejus in caritáte. ℣. Ipsius sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis quæ præparávit Deus. * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Ephes.* 1 & 2.

CANON.

Ex Concílio Valentíno tértio. *An.* 855. *Can.* 1.

Indubitanter Doctóribus piè & rectè tractántibus verbum veritátis, ipsisque sacræ Scriptúræ lucidíssimis expositóribus, id est, Cypriáno, Hilário, Ambrósio, Hierónymo, Augustíno, cæterisque in cathólicâ pietáte quiescéntibus, reverenter audítum, & obtemperanter intelléctum submíttimus, & pro víribus quæ ad salútem nostram scripsérunt amplécimur; nam de præsciéntiâ Dei, & de prædestinatióne, & de quæstiónibus áliis, in quibus fratrum ánimi non parum scandalizáti probantur, illud tantùm firmíssimè tenendum esse crédimus, quod ex maternis Ecclésiæ viscéribus nos hausisse gaudémus.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Cap. 3.

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, & illumi-

náre omnes, quæ sit dispensátio sacramenti abscónditi à séculis in Deo, qui ómnia creávit. ¶ Ut innotescat principátibus, & potestátibus in cœléstibus per Ecclésiam, multiformis sapiéntia Dei, secundùm præfinitiónem seculórum, quam fecit in Christo Jesu Dómino nostro: in quo habémus fidúciam, & accessum in confidéntiâ per fidem ejus. Propter quod peto, ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis: quæ est glória vestra.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

HUjus rei grátiâ flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis, & in terrâ nominátur, ut det vobis secundùm divítias glóriæ suæ virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti, & fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, & longitúdo, & sublímitas, & profúndum: scire étiam supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. ¶ Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundanter quàm pétimus, aut intellígimus, secundùm virtútem, quæ operátur in nobis: ipsi glória in Ecclésiâ, & in Christo Jesu in omnes generatiónes séculi seculórum. Amen.

LECTIO II.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Prædestinatióne sanctórum. *Edit. Bened. Cap.* 15.

EST præclaríssimum lumen prædestinatiónis & grátiæ, ipse Salvátor, ipse Mediátor Dei & hóminum Homo Christus Jesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel óperum vel fídei præcedéntibus méritis natúra humána quæ in illo est comparávit? Sicut ergo prædestinátus est ille unus, ut caput nostrum esset: ita multi prædestináti sumus, ut membra ejus essémus. Humána hìc mérita conticescant, quæ periérunt per Adam: & regnet quæ regnat Dei grátia per Jesum Christum Dóminum nostrum, únicum Dei Fílium, unum Dóminum. Quisquis in cápite nostro præcedéntia mérita singuláris illíus generatiónis invénerit, ipse in nobis membris ejus præcedéntia mérita multiplicátæ regeneratiónis inquírat. Neque enim retribúta est Christo illa generátio, sed tribúta,

ut aliénus ab omni obligatióne peccáti, de Spíritu & Vírgine nascerétur; sic & nobis ut ex aquâ & Spíritu renascerémur, non retribútum est pro áliquo mérito, sed gratìs tribútum: & si nos ad lavácrum regeneratiónis fides duxit, non ideò putáre debémus, prióres nos dedisse áliquid, ut retribuerétur nobis regenerátio salutáris; ille quippe nos fecit crédere in Christum, qui nobis fecit in quem crédimus Christum; ille facit in homínibus princípium fidei & perfectiónem in Jesum, qui fecit Hóminem príncipem fidei & perfectórem Jesum.

℟. Elégit nos Deus in Christo, ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti; * In quo étiam & nos sorte vocáti sumus, prædestináti secundùm propósitum ejus, † Qui operátur ómnia secundùm consílium voluntátis suæ. ℟. Prædestinátus est Fílius Dei in virtúte secundùm Spíritum sanctificatiónis. * In quo. ℣. Glória. † Qui. *Ephes.* 1. *Rom.* 1.

C A N O N.

Ex Concilio Valentíno tértio. *An.* 855. *Can.* 2.

DEum præscíre & præscisse æternáliter, & bona quæ boni erant factúri, & mala quæ mali sunt gestúri, quia vocem Scriptúræ dicentis habémus: Deus ætérne, qui abscónditórum es cógnitor, qui nosti ómnia ántequàm fiant, fidéliter tenémus, & placet tenére, bonos præscisse omnínò per grátiam suam bonos futúros, & per eamdem grátiam ætérna præmia acceptúros: malos præscisse per própriam malítiam malos futúros, & per suam justítiam ætérnâ ultióne damnandos.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. *Cap.* 4.

CHristus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres, & Doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi: donec occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Fílii Dei, in virum perfectum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi: ut jam non simus párvuli fluctuántes, & circumferámur omni vento doctrínæ in nequítiâ hóminum, in astútiâ ad circumventiónem erróris.

¶ Veritátem autem faciéntes in caritáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctúram subministratiónis, secundùm operatiónem in mensúram uniuscujusque membri, augmentum córporis facit in ædificatiónem suî in caritáte.

LECTIO II.

RΕnovámini autem spíritu mentis vestræ, & indúite novum hóminem qui secundùm Deum creátus est in justítiâ & sanctitáte veritátis. Propter quod deponentes mendácium, loquímini veritátem unusquísque cum próximo suo, quóniam sumus ínvicem membra. ¶ Irascímini, & nolíte peccáre: sol non óccidat super iracúndiam vestram. Nolíte locum dare diábolo: qui furabátur, jam non furétur: magis autem labóret, operando mánibus suis quod bonum est, ut hábeat unde tríbuat necessitátem patienti.

℟. I. Vos estis corpus Christi & membra de membro. * Et quosdam quidem pósuit in Ecclésiâ, Apóstolos, Prophétas, Doctóres, Virtútes. ℣. Ipse est caput córporis Ecclésiæ qui est princípium, primogénitus ex mórtuis; ut sit in ómnibus ipse primátum tenens: * Et quosdam. *I. Cor.* 12. *Coloss.* 1.

℟. II. Sicut in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eumdem actum habent: ita * Multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra. ℣. Habentes donatiónes secundùm grátiâ, quæ data est nobis, differentes, * Multi. *Rom.* 12.

℟. III. Loquímini veritátem unusquisque cum próximo suo: * Veritátem, & judícium pacis judicáte, & unusquisque malũ contra amícum ne cogitétis in córdibus vestris. ℣. Deponentes omnem malítiam, & omnem dolum, & simulatiónes, & invídias, & omnes detractiónes, * Veritátem. *Zach.* 8. *I. Petr.* 2.

℟. IV. Alter altérius ónera portáte; * Et † Sic adimplébitis legem Christi. ℣. Per caritátem Spíritûs servíte ínvicem. * Et sic. ℣. Glória. † Sic. *Galat.* 6 & 5.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Correptióne & Grátiâ. *Edit. Bened. Cap.* 7. *n.* 14.

CUm audímus: Quos autem prædestinávit, illos & vocávit; secundùm propósitum vocátos debémus agnóscere: quóniam

indè cœpit, dicens: Omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propósitum vocáti sunt; ac deinde subjunxit, Quóniam quos antè præscívit, & prædestinávit confórmes imáginis Filii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus; eos ítaque vult intélligi, quos secundùm propósitum vocávit; ne putentur in eis esse áliqui vocáti, & non electi, propter illam Domínicam senténtiam, Multi vocáti, pauci electi. Quicumque enim electi, sine dúbio étiam vocáti: non autem quicumque vocáti, consequenter electi. Illi ergo electi, ut sæpè dictum est, qui secundùm propósitum vocáti, qui étiam prædestináti, atque præsciti. Horum si quisquam perit, fállitur Deus: sed nemo eórum perit, quia non fállitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humáno víncitur Deus: sed nemo eórum perit, quia nullâ re víncitur Deus.

℟. Quos præscívit Deus, & prædestinávit confórmes fieri imáginis Filii sui. * Quos prædestinávit, hos & vocávit; & quos vocávit, hos & justificávit; quos autem justificávit, illos & glorificávit. ℣. Omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti. * Quos. ℣. Glória. * Quos. *Rom.* 8.

CANON.

Ex Concílio Valentíno tértio. *An.* 855. *Can.* 2.

NEc prorsus ulli malo, tenémus, præsciéntiam Dei imposuisse necessitátem, ut áliud esse non posset: sed quod ille futúrus erat ex própriâ voluntáte, ille sicut Deus, qui novit ómnia ántequam fiant, præscivit ex suâ omnipotenti & incommutábili majestáte. Nec ex præjudício ejus áliquem; sed ex mérito própriæ iniquitátis crédimus condemnári. Nec ipsos malos ídeò periíre, quia boni esse non potuérunt; sed quia boni esse noluérunt, suóque vítio in massâ damnatiónis, vel mérito originali, vel étiam actuáli permansérunt.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Cap. 5.

EStóte ergo imitatóres Dei, sicut filii caríssimi: & ambuláte in dilectióne, sicut & Christus diléxit nos, & trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem & hóstiam Deo in odórem suavitátis. ¶ Fornicátio autem, & omnis

immundítia, aut avarítia nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitúdo, aut stultilóquium, aut scurrílitas, quæ ad rem non pértinet: sed magìs gratiárum áctio. Hoc enim scitóte intelligentes; quòd omnis fornicátor, aut immundus, aut avárus, quod est idolórum sérvitus, non habet hæreditátem in regno Christi, & Dei.

LECTIO II.

NEmo vos sedúcat inánibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquando ténebræ: nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte: fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítiâ, & veritáte: probantes quid sit beneplácitum Deo. ¶ Et nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum, magìs autem redargúite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dícere. Omnia autem, quæ argúuntur, à lúmine manifestantur: omne enim, quod manifestátur, lumen est. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exsurge à mórtuis, & illuminábit te Christus.

℟. I. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit; * Et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. ℣. Cùm adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. * Et nos. *I. Joan.* 3. *Rom.* 5.

℟. II. Mortificáte membra vestra quæ sunt super terram, * Exspoliantes vos véterem hóminem cum áctibus suis, & induentes novum. ℣. Renovámini spíritu mentis vestræ, * Exspoliantes. *Coloss.* 3. *Ephes.* 4.

℟. III. Lavábo inter innocentes manus meas, & * Cum iníqua geréntibus non introíbo. ℣. Odívi ecclésiâ malignántiũ. * Cum. *Ps.* 25.

℟. IV. Omnes filiĩ Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu: * Quicumque enim in Christo baptizáti estis, Christum induistis. ℣. Córpora vestra membra sunt Christi. * Quicumque. ℣. Glória. * Quicumque. *Galat.* 3. *I. Cor.* 6.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Dono Perseverántiæ. *Edit. Bened. Cap.* 14. *n.* 35.

AN quisquam dícere audébit, Deum non præscisse quibus esset datúrus

ut crédérent, aut quos datúrus esset Filio suo, ut ex eis non pérderet quemquam? Quæ útique si præscívit, profectò benefícia sua, quibus nos dignátur liberáre, præscívit. Hæc est Prædestinátio sanctórum, nihil áliud: Præsciéntia scílicet, & præparátio beneficiórum Dei, quibus certíssimè liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autem ubi, nisi in massâ perditiónis justo divíno judício relinquuntur?

℟. Oves meæ vocem meam áudiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me. * Et ego vitam ætérnam do eis; & non peribunt in æternum: & non rápiet eas quisquam de manu meâ. ℣. Pater, quos dedísti mihi non pérdidi ex eis quemquam. * Et ego. ℣. Glória. * Et ego. *Joan.* 10. & 18.

CANON.

Ex Concílio Valentíno tértio. *An.* 855. *Can.* 3.

FIdenter fatémur prædestinatiónem electórum ad vitam, & prædestinatiónem impiórum ad mortem: in electióne tamen salvandórum, misericórdiam Dei præcédere méritum bonum; in damnatióne autem peiturórum, méritum malum præcédere justum Dei judícium.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. *Cap.* 5.

VIdéte ítaque, fratres, quómodò cautè ambulétis: non quasi insipientes, sed ut sapientes; rediméntes tempus, quóniam dies mali sunt. Proptérea nolíte fieri imprudentes: sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. ¶ Et nolíte inebriári vino, in quo est luxúria: sed implémini Spíritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & cánticis spirituálibus, cantantes, & psallentes in córdibus vestris Dómino; grátias agentes semper pro ómnibus, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, Deo & Patri. Subjecti ínvicem in timóre Christi.

LECTIO II. *Cap.* 6.

FIlii, obedíte paréntibus vestris, in Dómino: hoc enim justum est. Honóra patrem tuum, & matrem tuam; quod est mandátum primum in promissióne: ut bene sit tibi, & sis longævus super terram. Et vos, patres, nolíte ad iracúndiam provocáre fílios vestros; sed educáte illos in disciplínâ, & correptióne Dómini. ¶ Servi, obedíte dóminis car-

nálibus cum timóre, & tremóre, in simplicitáte cordis vestri, sicut Christo: non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placentes, sed ut servi Christi, faciéntes voluntátem Dei ex ánimo, cum bonâ voluntáte serviéntes, sicut Dómino, & non homínibus: sciéntes quóniam unusquísque quodcumque fécerit bonum, hoc recípiet à Dómino, sive servus, sive liber. Et vos, dómini, éadem fácite illis, remitténtes minas: sciéntes quia & illórum, & vester Dóminus est in cœlis: & personárum accéptio non est apud eum.

℟. I. Omnes vos filii lucis estis, & filii diéi; non sumus noctis, neque tenebrárum. * Igitur non dormiámus sicut & cæteri; sed vigilémus & sóbrii simus. ℣. Qui vigiláverint ad illum, invénient benedictiónem. * Igitur. *I. Thess.* 5. *Eccli.* 32.

℟. II. Omne quodcumque fácitis, in verbo aut in ópere, * Omnia in nómine Dómini nostri Jesu Christi, grátias agentes Deo & Patri per ipsum. ℣. Omnia in glóriam Dei fácite. * Omnia. *Coloss.* 3. *I. Cor.* 10.

℟. III. Impléte gáudium meum ut idem sapiátis, eámdem caritátem habentes; in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, * Non quæ sua sunt singuli considerántes, sed ea quæ aliórum. ℣. Suscípite infírmos, patiéntes estóte ad omnes; semper quod bonum est, sectámini in ínvicem, & in omnes. * Non. *Philip.* 2. *I. Thess.* 5.

℟. IV. Per caritátem Spíritûs servíte ínvicem. * Omnis enim lex in uno sermóne implétur: díliges próximum tuum sicut te ipsum. ℣. Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis. * Omnis. ℣. Glória. * Omnis. *Gal.* 5. *Rom.* 13.

LECTIO III.

Ex Libro secundo de Vocatióne ómnium Géntium. *Inter Opera S. Leonis Papæ, Edit. Paris. Cap.* 36.

Quamvis quod státuit Deus, nullâ possit ratióne non fieri, stúdia tamen non tolluntur orandi, nec per electiónis propósitum líberi arbítrii devótio relaxátur; cùm implendæ voluntátis Dei ita sit præordinátus efféctus, ut per labórem óperum, per instántiam supplicatiónum, per exercítia virtútum fiant increménta meritórum; & qui bona gésserint, non solùm secundùm propósitum Dei, sed étiam secundùm sua mérita coronéntur. Ob hoc enim in remotíssimo

ab humánâ cognitióne secréto, præfinítio hujus electiónis abscóndita est.

℟. Vocávit nos Deus própriâ glóriâ & virtúte. * Quaprópter magìs satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis. ℣. Ipsíus sumus factúra creáti in Christo Jesu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus. * Quaprópter. ℣. Glória. * Quaprópter. *II. Petr. 1. Ephes. 2.*

CANON.

Ex Concílio Valentíno tértio. *An.* 855. *Can.* 3.

DE immobilitáte præsciéntiæ & prædestinatiónis Dei, per quam apud eum futúra jam facta sunt, étiam apud Ecclesiasten bene intellígitur dictum: Cognóvi quòd ómnia ópera quæ fecit Deus persevérent in perpétuum. Non póssumus his áddere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeátur.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. *Cap.* 6.

DE cætero, fratres, confortámini in Dómino, & in poténtiâ virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare adversùs insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio adversùs carnem & sánguinem; sed adversùs príncipes, & potestátes, adversùs mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, in cœléstibus. Proptérea accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, & in ómnibus perfecti stare. ¶ State ergo succincti lumbos vestros in veritáte, & indúti loricam justítiæ, & calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis: in ómnibus suméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea exstínguere: & gáleam salútis assúmite: & gládium Spíritûs, (quod est verbum Dei.)

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

PEr omnem oratiónem, & obsecratiónem orantes omni témpore in spíritu: & in ipso vigilantes in omni instántiâ, & obsecratióne pro ómnibus sanctis; & pro me, ut detur mihi sermo in apertióne oris mei cum fidúciâ, notum fácere mystériū Evangélii, pro quo legatióne fungor in caténâ, ita ut in ipso áudeam, prout oportet me, loqui. ¶ Ut autem, & vos sciátis quæ circa me sunt, quid agam: ómnia vobis nota fáciet Tychicus,

caríssimus frater, & fidélis miníster in Dómino; quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscátis quæ circa nos sunt, & consolétur corda vestra. Pax frátribus, & cáritas cum fide, à Deo Patre & Dómino Jesu Christo. Grátia cum ómnibus, qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum in incorruptióne. Amen.

LECTIO III.

Ex Concílio secundo Arausicáno, de Grátiâ & Líbero arbítrio. *Edit. Lab. Concil. An. 529. Cap. 25.*

HOc secundùm fidem Cathólicam crédimus, quòd acceptâ per baptismum grátiâ, omnes baptizáti, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salútem ánimæ pértinent, possint, & débeant, si fidéliter laboráre volúerint, adimplére. Aliquos verò ad malum divínâ potestáte prædestinátos esse, non solùm non crédimus, sed étiam si sunt, qui tantum malum crédere velint, cum omni detestatióne illis anáthema dícimus. Hoc étiam salúbriter profitémur & crédimus, quòd in omni ópere bono, non nos incípimus, & póstea per Dei misericórdiam adjuvámur; sed ipse nobis nullis præcedéntibus bonis méritis, & fidem & amórem suî priùs inspírat, ut & baptísmi sacramenta fidéliter requirámus, & post baptísmum cum ipsíus adjutório ea quæ sibi sunt plácita implére possímus. Unde manifestíssimè credendum est, quòd & illíus latrónis, quem Dóminus ad Paradísi pátriam revocávit, & Cornélii centurriónis, ad quem Angelus Dómini missus est; & Zacchæi, qui ipsum Dóminum suscípere méruit, illa tam admirábilis fides non fuit de natúrâ, sed divínæ largitátis donum.

℟. O altitúdo divitiárum sapiéntiæ, & sciéntiæ Dei! * Quàm incomprehensibília sunt judícia ejus, & investigábiles viæ ejus! ℣. Cujus vult miserétur, & quem vult indúrat. * Quàm. ℣. Glória. * Quàm. *Rom.* 11 *&* 9.

CANON.

Ex Concílio Valentíno tértio. *An.* 855. *Can.* 3.

ALiquos ad malum prædestinátos esse divínâ potestáte, vidélicet ut quasi áliud esse non possint, non solùm non crédimus: sed étiam si sunt, qui tantum mali crédere velint, cum omni detestatióne, sicut Aráusica synodus, illis anáthema dícimus.

Ad Magníficat. *Ant.* Fidélis Deus: per quem vocáti estis in societátem Fí-

lii ejus Jesu Christi Dómini nostri. *I. Cor.* 1.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 404.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 1.

PAulus vocátus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, & Sósthenes frater, Ecclésiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificátis in Christo Jesu, vocátis sanctis, cum ómnibus, qui ínvocant nomen Dómini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsórum, & nostro; grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo.

℟. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem: * Fáciens in vobis quod pláceat coram se per Jesum Christum. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum, & faciátis ejus voluntátem. * Fáciens. *Hebr.* 13. *II. Mach.* 1.

LECTIO II.

GRátias ago Deo meo semper pro vobis in grátiâ Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu: quòd in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni sciéntiâ: sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ullâ grátiâ, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri Jesu Christi, qui & confirmábit vos usque in finem sine crímine, in die adventûs Dómini nostri Jesu Christi. Fidélis Deus: per quem vocáti estis in societátem Filii ejus Jesu Christi Dómini nostri.

℟. Hoc oro ut cáritas vestra magis ac magis abundet in sciéntiâ & in omni sensu: * Ut probétis potióra, ut sitis sincéri, repléti fructu justítiæ per Jesum Christum, in glóriâ & laudem Dei. ℣. Adapériat Deus cor vestrum in lege suâ & in præceptis suis. * Ut. *Philip.* 1. *II. Mach.* 1.

LECTIO III.

OBsecro autem vos, fratres, per nomen Dómini nostri Jesu Christi: ut idipsum dicátis omnes, & non sint in vobis schísmata; sitis autem perfecti in eódem sensu, & in eâdem sententiâ. Significátum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloës, quia contentiónes sunt inter vos: hoc autem dico, quòd unusquisque vestrûm dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem

Apollo : ego verò Cephæ : ego autem Christi. Divisus est Christus ? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis ? aut in nómine Pauli baptizáti estis ?

℞. Obsecro vos ut dignè ambulétis vocatióne quâ vocáti estis, sollíciti serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis, * Sicut vocáti estis in unâ spe vocatiónis vestræ. ℣. Det vobis Deus idipsum sápere in altérutrum, ut unánimes uno ore honorificétis Deum. * Sicut. *Ephes.* 4. *Rom.* 15.

LECTIO IV.

GRátias ago Deo, quòd néminē vestrûm baptizávi, nisi Crispum & Cáïum : ne quis dicat quòd in nómine meo baptizáti estis. Baptizávi autem & Stéphanæ domum. Cæterùm néscio si quem álium baptizáverim. Non enim misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre : non in sapiéntiâ verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est : iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : Perdam sapiéntiam sapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo Ubi sápiens ? ubi scriba ? ubi conquisítor hujus sǽculi ? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi ? Nam quia in Dei sapiéntiâ non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum : plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credentes.

℞. Quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes : & * Ignobília mundi & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret ; † Ut non gloriétur omnis caro coram eo. ℣. Ubi est litterátus ? ubi legis verba pónderans ? ubi doctor parvulórum ? * Ignobília. ℣. Glória. † Ut. *I. Cor.* 1. *Isai.* 33.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Præteritórum Sedis Apostólicæ Episcopórum auctoritátibus de Grátiâ Dei, & Líbero arbítrio. *Labbe ; & inter opera S. Leonis Papæ. Edit. Paris.*

QUia non nulli, qui Cathólico nómine gloriantur, in damnátis hæreticórum sénsibus, seu pravitáte, seu imperítiâ demorantes, piíssimis disputatóribus obviáre præsúmunt ; éaque tantúmmodo sequi & probáre profiténtur, quæ sacratíssima beáti Apóstoli Petri Sedes contra inimícos grátiæ Dei, per ministérium Præsulum suórum sanxit & dócuit : necessárium fuit diligenter inquírere, quid Rectóres Románæ Ecclésiæ de hæresi, quæ eórum tempóri-

bus exorta fúerat, judicáverint, & contra nocentíssimos Líberi arbítrii defensóres quid de grátiâ Dei sentiendum esse censúerint: ita ut étiam Africanórum Conciliórum quasdam senténtias jungerémus, quas útique suas fecérunt Apostólici Antístites cùm probárunt.

℟. State super vias; & * Vidéte, & interrogáte de sémitis antíquis, quæ sit via bona, & ambuláte in eâ. ℣. Ne transgrediáris términos antíquos, quos posuérunt Patres tui. * Vidéte. *Jerem. 6. Prov. 22.*

LECTIO VI.

UT ergo pléniùs, qui in áliquo dûbitant, instruantur, Constitutiónes sanctórum Patrum compendióso manifestémus indículo, quo, si quis non nimiùm est contentiósus, agnoscat ómnium disputatiónum connexiónem ex hâc subditárum autoritátum brevitáte pendére, nullamque sibi contradictiónis superesse ratiónem, si cum Cathólicis credat, & dicat: In prævaricatióne Adæ omnes hómines naturálem possibilitátem & innocéntiam perdidisse, & néminem de profundo illîus ruínæ per líberum arbítrium posse consúrgere, nisi eum grátia Dei miseréntis eréxerit: pronuntiante beátæ memóriæ Papa Innocéntio in Epistolâ ad Carthaginense Concílium.

℟. Dixit Jesus Judæis: * Nemo potest veníre ad me, nisi Pater qui misit me, tráxerit eum. ℣. Non gloriétur sápiens in sapiéntiâ suâ, & non gloriétur fortis in fortitúdine suá. * Nemo. *Joan. 6. Jerem. 9.*

LECTIO VII.

NEminem esse per semetipsum bonum, nisi participatiónem suî ille donet qui solus est bonus: quod in iisdem scriptis ejusdē Pontíficis senténtia protestátur. Néminem, étiam baptísmatis grátiâ renovátum, idóneum esse ad superandas diáboli insídias, & ad evincendas carnis concupiscéntias, nisi per quotidiánum adjutórium Dei perseverántiam bonæ conversatiónis accéperit. Quod ejusdem Antístitis in iisdem páginis doctrína confirmat dicens: Nam quàmvis hóminem redemisset à prætéritis ille peccátis, tamen sciens íterum posse peccáre, ad reparatiónem sibi multa servávit, quotidiána præstans ille remédia, quibus nisi freti confisíque nitámur, nullátenus humános víncere potérimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante víncimus, eo íterum non adjuvante

vincámur. Quod nemo nisi per Christum líbero bene utátur arbítrio, idem Magister in Epístolâ ad Milevitánum Concílium datâ prædicat.

℟. Ait Dóminus exercítuum : Dabo vobis cor novum ; * Et fáciam ut in præceptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis & operémini. ℣. Miserébor cujus miséreor ; & misericórdiam præstábo cujus miserébor. * Et fáciam. *Ezech.* 36, *Rom.* 9.

LECTIO VIII.

QUòd ómnia stúdia, & ómnia ópera, ac mérita sanctórum, ad Dei glóriam laudemque referenda sunt : quia nemo aliunde ei pláceat, nisi ex eo quod ipse donáverit. In quam nos senténtiam dirigit beátæ recordatiónis Papæ Zózimi reguláris autóritas ad totíus orbis Epíscopos scribentis. Quòd ita Deus in córdibus hóminum, atque in ipso líbero operétur arbítrio, ut sancta cogitátio, pium consílium, omnísque motus bonæ voluntátis ex Deo sit : quia per illum áliquid boni póssumus, sine quo nihil póssumus. Ad hanc enim nos professiónem idem Doctor instítuit.

℟. Quis enim te discernit ? * Quid autem habes quod non accepisti ? † Si autem accepisti, quid gloriáris quasi non accéperis ? ℣. O homo, tu quis es qui respóndeas Deo ? * Quid. ℣. Glória. † Si. *I. Cor.* 4. *Rom.* 9.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 12.

DIléctio sine simulatióne. Odientes malum, adhærentes bono : caritáte fraternitátis ínvicem diligentes : honóre ínvicem præveniences : sollicitúdine non pigri : spíritu ferventes : Dómino servientes : spe gaudentes : in tribulatióne patientes : oratióni instantes : necessitátibus sanctórum communicantes : hospitalitátem sectantes. Benedícite persequéntibus vos : benedícite, & nolíte maledícere. Gaudéte cum gaudéntibus, flete cum fléntibus : idipsum ínvicem sentientes : non alta sapientes : sed humílibus consentientes.

℟. Indúite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti, víscera misericórdiæ, * Supportantes ínvicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversùs áliquem habet querélam. ℣. Misericórdiam & miseratiónes fácite, unusquísque cum fratre suo, * Supportantes. *Coloss.* 3. *Zach.* 7.

LECTIO X.

NOlíte esse prudentes apud vosmetipsos: nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantùm coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habentes: non vosmetipsos defendentes, caríssimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta; ego retríbuam, dicit Dóminus. Sed si esuríerit inimícus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim fáciens, carbónes ignis cóngeres super caput ejus. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

℟. Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam; & peccáta illíus servans servábit. * Relinque próximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccáta solventur. ℣. Si non dimiséritis homínibus; nec Pater vester dimittet vobis peccáta vestra. * Relinque. *Eccli.* 28. *Matth.* 6.

LECTIO XI. *Cap.* 13.

NEmini quidquam debeátis: nisi ut ínvicẽ diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit. Nam, non adulterábis: non occídes: non furáberis: non falsum testimónium dices: non concupisces: & si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur: Díliges próximum tuum sicut teipsum. Diléctio próximi malum non operátur. Plenitúdo ergo legis est diléctio.

℟. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. * Qui non díligit, manet in morte. ℣. Omnis lex in uno sermóne implétur: Díliges próximum tuum sicut te ipsum. * Qui. *I. Joan.* 3. *Gal.* 5.

LECTIO XII.

ET hoc scientes tempus: quia hora est jam nos de somno súrgere. Nunc enim própior est nostra salus, quam cùm credídimus. Nox præcessit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis. Sicut in die honestè ambulémus; non in comessatiónibus, & ebrietátibus, non in cubílibus, & impudicítiis, non in contentióne, & æmulatióne: sed indúimini Dóminum Jesum Christum, & carnis curam ne fecéritis in desidériis.

℟. Hæc est voluntas Dei sanctificátio vestra. * Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem. ℣. In Christo edocti estis depónere

vos secundùm pristinam conversatiónem hóminem, qui corrúmpitur secundùm desidéria erróris. * Non. ℣. Glória. * Non. *I. Thess.* 4. *Ephes.* 4.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 2.

NUptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Jesu ibi. Vocátus est autem & Jesus, & discípuli ejus, ad núptias. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi, & tibi est, múlier? nondum venit hora mea. Dicit mater ejus ministris: Quodcumque díxerit vobis, fácite. Erant autem ibi lapídeæ hydriæ sex pósitæ, secundùm purificatiónem Judæórum, capientes síngulæ metrétas binas, vel ternas. Dicit eis Jesus: Impléte hydrias aquâ. Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Hauríte nunc, & ferte architriclíno. Et tulérunt. Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam, & non sciébat unde esset, ministri autem sciébant qui háuserant aquam: vocat sponsum architriclínus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit; & cùm inebriáti fuerint, tunc id quod detérius est: Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit inítium signórum Jesus in Cana Galilææ; & manifestávit glóriam suam, & credidérunt in eum discípuli ejus.

Ad Benedictus. *Ant.* Ut gustávit architriclínus aquá vinum factam; vocat sponsum; & dicit ei: Servasti bonum vinum usque adhuc. *Joan.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui cœléstia simul & terréna moderáris; † supplicatiónes pópuli tui clementer exaudi, * & pacem tuam nostris concéde tempóribus: Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Valentíno tértio. *An.* 855. *Can.* 6.

DE grátiâ, per quam salvantur credentes, & sine quâ rationális creatúra nunquam beátè vixit: & de libero arbítrio per peccátum in primo hómine infirmáto, sed per grátiam Dómini Jesu fidélibus ejus redintegráto & sanáto, idipsum constantíssimè & fide plenâ fatémur, quod sanctíssimi Patres autoritáte sacrárum Scripturárum nobis tenendum reliquérunt; quod Africána, quod Aráusica Synodus profeſsa est; quod beatíssimi Pontífices Apo-

stólicæ sedis Cathólicâ fide tenuérunt: sed & de natúrâ & grátiâ, in áliam partem nullo modo declináre præsumentes.

Ad Magníficat. *Ant.* Fecit inítium signórum Jesus in Cana Galilææ; & manifestávit glóriam suam, & credidérunt in eum discípuli ejus. *Joan.* 2.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 2.

ET ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitáte, & timóre, & tremóre multo fui apud vos: & sermo meus, & prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritûs & virtútis: ut fides vestra non sit in sapiéntiâ hóminum, sed in virtúte Dei. ¶ Sapiéntiam autem lóquimur inter perfectos: sapiéntiam verò non hujus séculi, neque príncipum hujus séculi, qui destruuntur: sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sécula in glóriam nostram, quam nemo príncipum hujus séculi cognóvit: si enim cognovissent, nunquam Dóminum glóriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit, quæ præparávit Deus iis, qui díligunt illum: nobis autem revelávit Deus per Spíritum suum: Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profunda Dei.

LECTIO II.

QUis enim hóminũ scit quæ sunt hóminis, nisi spíritus hóminis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognóvit, nisi Spíritus Dei. Nos autem non spíritum hujus mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ à Deo donáta sunt nobis: quæ & lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrínâ spíritûs, spirituálibus spirituália comparantes. ¶ Animális autem homo non pércipit ea quæ sunt Spíritûs Dei: stultítia enim est illi, & non potest intellígere, quia spirituáliter examinátur. Spirituális autem júdicat ómnia: & ipse à némine judicátur. Quis enim cognóvit sensum Dómini, qui instruat eum?

Nos autem sensum Christi habémus.

℟. I. Misit me Christus evangelizáre; non in sapiéntiâ verbi, ut non evacuétur crux Christi: * Verbum enim crucis, pereúntibus quidem stultitia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. ℣. Quia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum; plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis, salvos fácere credentes. * Verbum. *I. Cor.* 1.

℟. II. Nolite multiplicáre loqui sublímia, gloriantes; recédant vétera de ore vestro. * Quia Deus scientiárum Dóminus est. ℣. In Christo Jesu sunt omnes thesauri sapiéntiæ & sciéntiæ abscónditi. * Quia. *I. Reg.* 2. *Coloss.* 2.

℟. III. Quæ in cœlis sunt, Dómine, quis investigábit? Sensum autem tuum quis sciet: * Nisi tu míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis; & quæ tibi placent, didícerint hómines? ℣. Cogitatiónes mortálium tímidæ, & incertæ providéntiæ nostræ. * Nisi. *Sap.* 9.

℟. IV. Sapiéntia hujus mundi stultitia est apud Deum. * Scriptũ est enim: Dóminus novit cogitatiónes sapiéntium, quóniam vanæ sunt. ℣. Vani sunt omnes hómines in quibus non subest sciéntia Dei. * Scriptum. ℣. Glória. * Scriptum. *I. Cor.* 3. *Sap.* 13.

LECTIO III.

Ex Præteritórum Sedis Apostólicæ Episcopórum auctoritátibus de Grátiâ Dei, & Líbero arbítrio. *Labbe, &c.*

Illud quod intra Carthaginensis Synodi decréta constitútum est, quasi próprium Apostólicæ Sedis decrétum ampléctimur, quod scílicet tértio capítulo definítum est. Et íterum quarto capítulo, ut quisquis díxerit, grátiam Dei per Jesum Christum proptet hoc nos tantùm adjuváre ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelátur & aperítur intelligéntia mandatórum, ut sciámus quid appétere, & quid vitáre debeámus: non autem per illam nobis præstári, ut quod faciendum cognóvimus, étiam fácere diligámus atque valeámus; anáthema sit. Item quinto capítulo: Ut quisquis díxerit, ideò nobis grátiam justificatiónis dari, ut quod fácere per líberum jubémur arbítrium, facíliùs possímus implére per grátiam, tamquàm si grátia non darétur, non quidem fácilè; sed tamen possímus étiam sine illâ implére divína mandáta; anáthema sit. De frúctibus enim mandatórum Dóminus loquebátur,

ubi

ubi non ait : Sine me nihil difficíliùs potestis fácere, sed ait : Sine me nihil potestis fácere.

℟. Dixit Jesus : Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misit me, tráxerit eum. * Omnis qui audívit à Patre, & dídicit, venit ad me. ℣. Est scriptum in Prophétis : Et erunt omnes docíbiles Dei. * Omnis. ℣. Glória. * Omnis. *Joan. 6.*

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Episcopórum Africanórum in Sardíniâ éxulum de Grátiâ Dei, & humáno arbítrio. *An.* 521. *Cap.* 3.

IPsa grátia nullátenus agnóscitur, nisi detur : quæ quámdiu non est in hómine, támdiu necesse est ut ei aut sermóne repugnet aut ópere. Nam sermóne repugnat grátiæ Dei, qui sensum gerit fidei Christiánæ contrárium ; repugnat autem ópere qui in móribus suis Christiánæ vitæ non tenet institútum.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 3 & 4.

ET ego, fratres, non pótui vobis loqui quasi spirituálibus, sed quasi carnálibus. Tamquàm párvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poterátis : sed nec nunc quidem potestis : adhuc enim carnáles estis. Cùm enim sit inter vos zelus, & conténtio : nonne carnáles estis, & secundùm hóminem ambulátis? Cùm enim quis dicat : Ego quidem sum Pauli ; álius autem : Ego Apollo : nonne hómines estis ? Quid ígitur est Apollo ? quid verò Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, & unicuíque sicut Dóminus dedit. ¶ Sic nos exístimet homo ut minístros Christi, & dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die : sed neque meipsum júdico.

LECTIO II. *Cap.* 4.

NIhil enim mihi cónscius sum : sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadusque véniat Dóminus : qui & illuminábit abscóndita tenebrárum, & manifestábit consília córdium : & tunc laus erit unicuíque à Deo. ¶ Hæc autem, fratres, transfigurávi in me, & Apollo, propter vos : ut in nobis discátis, ne supra

quam scriptum est, unus advérsus álterum inflétur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriáris quasi non accéperis?

℟. I. Si spíritu vívimus, spíritu & ambulémus. * Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, invicem provocantes, invicem invidentes. ℣. In pace vocávit nos Deus. * Non. *Galat.* 5. *I. Cor.* 7.

℟. II. Pro Christo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortante per nos. * Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo. ℣. Pósuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis. * Obsecrámus. *II. Cor.* 5.

℟. III. Nolíte judicáre, ut non judicémini; * In quo enim judício judicavéritis, judicabímini; & in quâ mensúrâ mensi fuéritis, remetiétur vobis. ℣. Si verè útique justítiam loquímini, recta judicáte, filii hóminũ. * In quo. *Matth.* 7. *Ps.* 57.

℟. IV. Quis cognóvit sensum Dómini? aut quis prior dedit illi, & retribuétur ei? * Quóniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt ómnia. ℣. Nemo gloriétur in homínibus. * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Rom.* 11. *I. Cor.* 3.

LECTIO III.

Ex Præteritórum Sedis Apostólicæ Episcopórum auctoritátibus de Grátiâ Dei, & Líbero arbítrio. *Labbe, &c.*

PRæter eas beatíssimæ & Apostólicæ Sedis inviolábiles sanctiónes, quibus nos piíssimi Patres, pestíferæ novitátis elatióne dejectâ, & bonæ voluntátis exórdia, & increménta probabílium studiórum, & in eis usque in finem perseverántiam, ad Christi grátiam referre docuérunt; Obsecratiónum quoque Sacerdotáliũ sacraménta respiciámus, quæ ab Apóstolis trádita, in toto mundo atque in omni Ecclésiâ Cathólicâ unifórmiter celebrantur; UT LEGEM CREDENDI, LEX STATUAT SUPPLICANDI. Cùm enim sanctárum plébium Præsules mandátâ síbimet legatióne fungantur, apud divínam cleméntiam humáni géneris agunt causam, & totâ secum congemiscente Ecclésiâ póstulant & precantur, ut infidélibus donétur fides, ut idololátræ ab impietátis suæ liberentur erróribus, ut Judæis, abláto cordis velámine, lux veritátis appáreat, ut hærétici Cathólicæ fídei percepcióne resipíscant, ut schismátici spíritum redivívæ caritátis accípiant, ut lapsis pœniténtiæ remédium

conferátur, ut dénique catechúmenis ad regeneratiónis sacramenta perductis, cœlestis aula misericórdiæ referétur. Hæc autem non perfunctóriè neque inániter à Dómino peti, rerum ipsárum monstrat effectus: quandóquidem ex omni errórum génere plúrimos Deus dignátur adtráhere, quos érutos de potestáte tenebrárum tránsferat in regnum Fílii caritátis suæ, & ex vasis iræ fáciat vasa misericórdiæ. Quod ádeò totum divíni óperis esse sentítur, ut hæc efficienti Deo gratiárũ semper áctio, laudísque conféssio, pro illuminatióne tálium vel correctióne referátur.

℟. Nolíte erráre, fratres mei dilectíssimi. * Omne datum óptimum, & omne donum perfectum, desursùm est, descendens à Patre lúminum. ℣. Non potest homo accípere quidquam, nisi fúerit ei datum de cœlo. * Omne. ℣. Glória. * Omne. *Jac.* 1. *Joan.* 3.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Episcopórum Africanórum in Sardíniâ éxulum, de Grátiâ Dei, & humáno arbítrio. *An.* 521. *Cap.* 3.

HOc in hómine agit grátia divínitùs data, ut ánimus dono fídei caritatísque præcepto, & sermónem bonum próferat, & stúdio bonæ operatiónis insístat.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 4.

JAm saturáti estis, jam dívites facti estis: sine nobis regnátis: & útinam regnétis, ut & nos vobíscum regnémus. Puto enim quòd Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit, tamquàm morti destinátos: quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus. ¶ Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam & esurímus, & sítimus, & nudi sumus, & cólaphis cædimur, & instábiles sumus, & laborámus operantes mánibus nostris: maledícimur, & benedícimus: persecutiónem pátimur, & sustinémus: blasphemámur & obsecrámus: tamquàm purgamenta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

NAm si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo, sed non

LECTIO III.

Ex Præteritórum Sedis Apostólicæ Episcopórum autoritátibus de Grátiâ Dei, & Líbero arbítrio. *Labbe, &c.*

HIs Ecclesiásticis régulis, & ex divínâ sumptis autoritáte documentis, ita, adjuvante Dómino, confirmáti sumus, ut ómnium studiórum omniumque virtútum, quibus ab inítio fidei ad Deum ténditur, Deum fateámur autórem; & non dubitémus ab ipsíus grátiâ hóminis mérita præveníri, per quem fit, ut áliquid boni & velle incipiámus & fácere. Quo útique auxílio & múnere Dei non aufertur líberum arbítrium, sed liberátur; ut de tenebróso lúcidum, de pravo rectum, de lánguido sanum, de imprudente fit próvidum.

℟. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: * Quia sine me nihil potestis fácere. ℣. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi mánserit in vite; sic nec vos, nisi in me manséritis; * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Joan.* 15.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Episcopórum Africanórum in Sardíniâ éxulum, de Grátiâ Dei, & humáno arbítrio. *An.* 521. *Cap.* 4.

GRátiam necdum habentes, non se intélligunt non habére: illi tamen qui grátiam divínitùs accepérunt, eò magìs debent in ipsíus grátiæ assertióne firmári, quò eam vident non ómnibus tríbui. Necesse est autem, ut ab eis quibus non tribúitur, ignorétur; & ab eis agnoscátur, quibus divínâ largitáte donátur.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 6.

AUdet áliquis vestrûm habens negótium adversùs álterum, judicári apud iníquos, & non apud sanctos? An nescítis quóniam sancti de hoc mundo judicábunt? Et si in vobis judicábitur mundus, indigni estis, qui de mínimis judicétis? Nescítis quóniam ángelos judicábimus? quantò magìs seculária? Seculária ígitur judícia si habuéritis: contemptíbiles, qui sunt in Ecclésiâ, illos constitúite ad judicandum. ¶ Ad verecúndiam vestram dico. Sic non est inter vos sápiens quisquam, qui possit judicáre inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judício conténdit, & hoc apud infidéles? Jam quidem omníno delictum est in vobis, quòd judícia habétis inter

vos. Quare non magìs injúriam accípitis? quare non magìs fraudem patímini? Sed vos injúriam fácitis, & fraudátis: & hoc frátribus. An nescítis quia iníqui regnum Dei non possidébunt?

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

NOlíte erráre: neque fornicárii, neque idólis serviéntes, neque adúlteri, neque molles, neque fures, neque avári, neque ebriósi, neque malédici, neque rapáces regnum Dei possidébunt, & hæc quidam fuístis; sed ablúti estis, sed sanctificáti estis, sed justificáti estis in nómine Dómini nostri Jesu Christi, & in Spíritu Dei nostri. ¶ Nescítis quóniam córpora vestra membra sũt Christi? Tollens ergo membra Christi, fáciam membra meretrícis? Absit. An nescítis quóniam qui adhæret meretríci, unum corpus efficitur? Erunt enim, (inquit) duo in carne unâ. Qui autem adhæret Dómino, unus spíritus est. Fúgite fornicatiónem. Omne peccátum, quodcumque fécerit homo, extra corpus est: qui autem fornicátur, in corpus suum peccat. An nescítis quóniam membra vestra templum sunt Spíritûs sancti, qui in vobis est, quem habétis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis prétio magno. Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro.

LECTIO III.

Ex Præteritórum Sedis Apostólicæ Episcopórum autoritátibus de Grátiâ Dei, & Líbero arbítrio. *Labbe, &c.*

TAnta erga omnes hómines est bónitas Dei, ut nostra velit esse mérita quæ sunt ipsíus dona, & pro his quæ largítus est ætérna præmia sit donatúrus. Agit quippe in nobis, ut quod vult, & velímus & agámus: nec otiósa in nobis esse pátitur, quæ exercenda, non negligenda donávit: ut & nos cooperatóres simus grátiæ Dei; ac si quid in nobis ex nostrâ vidérimus remissióne languéscere, ad illum sollícitè recurrámus, qui sanat omnes languóres nostros, & rédimit de intéritu vitam nostram: & cui quotídie dícimus: Ne indúcas nos in tentatiónem, sed líbera nos à malo. Profundióres verò, difficilioresque partes incurréntium quæstiónum, quas látiùs pertractárunt qui hæréticis restitérunt, sicut non audémus contémnere, ita non necesse habémus adstrúere: quia ad confiténdum grátiam Dei, cujus óperi ac dignatióni nihil pénitus subtrahendum est, satìs sufficere crédimus quidquid se-

cundùm prædictas régulas Apostólicæ sedis nos scripta docuérunt, ut prorsus non opinémur Cathólicū, quod apparúerit præfixis senténtiis esse contrárium.

℟. Ego dixi in abundántiâ meâ: Non movébor in ætérnum. * Dómine, in voluntáte tuâ præstitisti decóri meo virtútem. ℣. Scio, Dómine, quia non est hóminis via ejus; nec viri est ut ámbulet, & dírigat gressus suos. * Dómine. ℣. Glória. * Dómine. *Ps.* 29. *Jerem.* 10.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Episcopórum Africanórum in Sardíniâ éxulum, de Grátiâ Dei, & humáno arbítrio. *An.* 521. *Cap.* 15.

IPsa grátia quibuscúmque datur, non æquáliter datur, sed secundùm mensúrâ donatiónis Christi, & unicuíque sicut Dóminus dimísit mensúram fidei; qui non hóminum persónas áccipit: sed ómnia operátur unus, atque idem Spíritus dívidens própria síngulis, prout vult.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 7.

DE quibus autem scripsistis mihi: Bonum est hómini mulíerem non tángere: propter fornicatiónem autem unusquísque suam uxórem hábeat, & unaquæque suum virum hábeat. Uxori vir débitum reddat: simíliter autem & uxor viro. Múlier sui córporis potestátem non habet, sed vir. Simíliter autem & vir sui córporis potestátem non habet, sed múlier. ¶ Nolíte fraudáre ínvicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacétis oratióni: & íterum revertímini in idipsum, ne tentet vos sátanas propter incontinéntiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgéntiam, non secundùm impérium. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquísque próprium donum habet ex Deo: álius quidem sic, álius verò sic. Dico autem non nuptis, & víduis: bonum est illis si sic permáneant, sicut & ego. Quòd si non se cóntinent, nubant. Mélius est enim núbere, quàm uri.

℟℟. *ut in Feriâ III, suprà, pag.* 408.

LECTIO II.

IIs autem, qui matrimónio juncti sunt, præcípio non ego, sed Dóminus, uxórem à viro non discédere: quòd si discésserit, manére innuptam, aut viro suo reconciliári. Et vir uxórem non dimit-

tat. Nam cæteris ego dico, non Dóminus. Si quis frater uxórem habet infidélem, & hæc consentit habitáre cum illo, non dimittat illam. ¶ Et si qua múlier fidélis habet virum infidélem, & hic consentit habitáre cum illâ, non dimittat virum: sanctificátus est enim vir infidélis per mulíerem fidélem, & sanctificáta est múlier infidélis per virum fidélem: alióquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quòd si infidélis discédit, discédat: non enim servitúti subjectus est frater aut soror in hujúsmodi: in pace autem vocávit nos Deus. Unde enim scis, múlier, si virum salvum fácies? aut unde scis, vir si mulíerem salvam fácies? Nisi unicuíque sicut divísit Dóminus, unumquemque sicut vocávit Deus, ita ámbulet, & sicut in ómnibus Ecclésiis dóceo.

LECTIO III.

Ex Epístolâ Synódicâ Episcopórum Africanórum in Sardiniâ éxulum, de Grátiâ Dei, & humáno arbítrio. *Edit. Labbe. An.* 521. *Cap.* 18. 19.

Deus obduráre dícitur, non quia ad iniquitátem compellit, sed cùm ab iniquitáte non éripit: quod, quia justus est, justè facit. Deo ergo miserante, sine suis méritis homo salvátur; obdurante autem, justè récipit quod merétur. Dóminus quippe dono bonitátis salvat, judício severitátis obdúrat. Illud étiam quod vos dícitis, Deus est enim qui operátur in vobis & velle & operári pro bonâ voluntáte: illi autem dicunt, Si voluéritis & audiéritis me, bona terræ comedétis: si utrumque, sicut oportet, ánimus in fide tranquillus accéperit, nulla de grátiâ & líbero arbítrio quæstio remanébit. Jubet enim Deus hómini, ut velit; sed Dóminus in hómine operátur & velle: jubet, ut fáciat, sed operátur & fácere. Ideo utrumque beátus jungit Apóstolus, dicens: Cum timóre & tremóre salútem vestram operámini: Dóminus est enim qui operátur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntáte.

℟. Cum metu & tremóre vestram salútem operámini; * Deus est enim, qui operátur in vobis, & velle & perficere, pro bonâ voluntáte. ℣. Grátiâ estis salváti per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. * Deus. ℣. Glória. * Deus. *Philip.* 2. *Ephes.* 2.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Epíscopórum Africanórum in Sardíniâ éxulum, de Grátiâ Dei, & humáno arbítrio. *An.* 521. *Cap.* 19.

UT cum timóre & tremóre suam quisque operétur salútem, opus est volentis hóminis: sed hoc ipsum Dóminus operátur in suis, ac per hoc quóniam habet homo líberum arbítrium, audit præcepta, quæ fáciat: sed ad implenda præcepta líberum arbítrium idóneum nullátenus efficitur, nisi divínitùs adjuvétur.

Ad Magníficat. *Ant.* Scientes quòd non justificábitur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo crédimus. *Galat.* 2.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 421.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 7.

CIrcumcísus áliquis vocátus est? non addúcat præpútium. In præpútio áliquis vocátus est? non circumcidátur. Circumcísio nihil est, & præpútium nihil est: sed observátio mandatórum Dei. Unusquisque in quâ vocatióne vocátus est, in eâ permáneat. Servus vocátus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magìs útere. Qui enim in Dómino vocátus est servus, libertus est Dómini: simíliter qui liber vocátus est, servus est Christi. Prétio empti estis, nolíte fieri servi hóminum. Unusquisque in quo vocátus est, frátres, in hoc permáneat apud Deum.

℟. Sic est voluntas Dei: ut benefacientes obmutéscere faciátis imprudéntium hóminum ignorántiam *Quasi líberi, & non quasi velámen habentes malítiæ libertátem, sed sicut servi Dei. ℣. In sapiéntiâ ambuláte ad eos qui foris sunt, * Quasi. I. *Petr.* 2. *Coloss.* 4.

LECTIO II. *Cap.* 8.

DE iis autem, quæ idólis sacrificantur, scimus quia omnes sciéntiam habémus. Sciéntia inflat, cáritas verò ædíficat. Si quis autem se exístimat scire áliquid, nondum cognóvit quemádmodum opórteat eum scire. Si quis autem díligit Deum, hic cógnitus est ab eo.

℟. Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. * Non enim qui seipsum com-

mendat, ille probátus est, sed quem Deus commendat. ℣. In hoc gloriétur, qui gloriátur, scire & nosse me, quia ego sum Dóminus; * Non enim. *II. Cor.* 10. *Jerem.* 9.

Lectio III.

De escis autem, quæ idólis immolantur, scimus quia nihil est idólum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi, sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terrâ (siquidem sunt dii multi, & dómini multi:) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo ómnia, & nos in illum; & unus Dóminus Jesus Christus, per quem ómnia, & nos per ipsum. Sed non in ómnibus est sciéntia. Quidam autem cum consciéntiâ usque nunc idóli, quasi idolóthytum mandúcant: consciéntia ipsórum cùm sit infirma, pollúitur.

℟. Omnia munda mundis, * Coinquinátis autem, & infidélibus nihil est mundum, sed inquinátæ sunt eórum & mens & consciéntia. ℣. Qui mundus est, rectum opus ejus: * Coinquinátis. *Tit.* 1. *Prov.* 21.

Lectio IV.

Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducavérimus, abundábimus: neque si non manducavérimus, deficiémus. Vidéte autem ne fortè hæc licéntia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis víderit eum, qui habet sciéntiam, in idólio recumbentem, nonne consciéntia ejus, cùm sit infirma, ædificábitur ad manducandum idolóthyta? & períbit infirmus in tuâ sciéntiâ, frater, propter quem Christus mórtuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes consciéntiam eórum infirmam, in Christum peccátis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducábo carnem in ætérnum, ne fratrem meum scandalízem.

℟. Si propter cibum frater tuus contristátur, jam non secundùm caritátem ámbulas. * Noli cibo tuo illum pérdere, pro quo Christus mórtuus est. ℣. Necesse est ut véniant scándala: verúmtamen væ hómini illi, per quem scándalum venit. * Noli. ℣. Glória. * Noli. *Rom.* 14. *Matth.* 18.

IN II. NOCTURNO

Lectio V.

Ex Libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. Cap.* 20. *n.* 1.

Sicut patienter sustínuit Deus absorbéri Jonam à ceto, non ut absorberé-

tur, & in totum períret, sed ut evómitus magis subjicerétur Deo, & plus glorificáret eum, qui insperábilem salútem ei donasset; sic & ab inítio fuit pátiens Deus hóminem absorbéri à magno ceto, qui fuit autor prævaricatiónis: non ut absorptus in totum períret, sed præstruens & præparans adinventiónem salútis, quæ facta est à Verbo per signum Jonæ, ut insperábilem homo à Deo percípiens salútem, semper permáneat gloríficans Deum, & sine intermissióne grátias réferens pro eâ salúte quam consecútus est ab eo: ut non gloriétur in conspectu Dómini omnis caro, nec unquam de Deo contrárium sensum accípiat homo, própriam naturáliter árbitrans eam, quæ circà se esset, incorruptélam, & non tenens veritátem ináni supercílio jactarétur quasi naturáliter símilis esset Deo.

℟. Christus Jesus factus est nobis sapiéntia à Deo, & justítia & sanctificátio & redémptio; * Ut qui gloriátur, in Dómino gloriétur. ℣. Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, * Ut. *I. Cor.* 1. *Tit.* 2.

LECTIO VI. *n.* 2.

HÆc ergo fuit magnanímitas Dei, ut per ómnia pertránsiens homo & morum agnitiónem percípiens, dehinc véniens ad resurrectiónem, quæ est à mórtuis, & experimento discens unde liberátus est, semper gratus exsístat Dómino, munus incorruptélæ consecútus ab eo, ut plus díligeret eum: (cui enim plus dimíttitur plus díligit:) cognoscat autem seipsum, quóniam mortális & infirmus est; intélligat autem & Deum, quóniam in tantum immortális & potens est, uti & mortáli immortalitátem, & temporáli æternitátem donet: intélligat autem & réliquas virtútes Dei omnes in semetipsum ostensas, per quas edoctus séntiat de Deo, quantus est Deus.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino, & * Noli oblivísci omnes retributiónes ejus; qui rédimit de intéritu vitam tuam; qui corónat te in misericórdiâ & miseratiónibus. ℣. Diléxit me & trádidit semetipsum pro me. * Noli. *Ps.* 102. *Galat.* 2.

LECTIO VII.

GLória enim hóminis, Deus; operatiónes verò Dei, & omnis sapiéntiæ ejus, & virtútis receptáculum, homo. Quemádmodum médicus in his, qui ægrótant, probátur; sic & Deus in homínibus manifestátur. Quapropter

& Paulus ait : Conclúsit autem Deus ómnia in incredulitáte, ut ómnium misereátur; dicens hoc de hómine qui fuit inobédiens Deo, & projectus de immortalitáte, dehinc misericórdiam consecûtus est, per Fílium Dei, eam quæ est per ipsum, percípiens adoptiónem.

℟. Quis potest fácere mundum de immundo conceptum sémine? * Nonne tu qui solus es? ℣. Quis potest dimíttere peccáta? * Nonne. *Job.* 14. *Marc.* 2.

LECTIO VIII. *n.* 3.

PRopter hoc ergo signum salútis nostræ eum, qui ex Vírgine Emmánuel, est ipse Dóminus : quóniam ipse Dóminus erat qui salvábat eos; quia per semetipsos non habébant salvári. Et propter hoc Paulus infirmitátem hóminis annúntians, ait : Scio enim quóniam non hábitat in carne meâ bonum; signíficans, quóniam non à nobis, sed à Deo est bonum salútis nostræ. Et íterum : Miser ego homo, quis me liberábit de córpore mortis hujus? Deinde infert liberatórem : Grátia Jesu Christi Dómini nostri. Hoc, quóniam non à nobis, sed à Dei adjumento habúimus salvári.

℟. Infélix ego homo, * Quis me liberábit de córpore mortis hujus? † Grátia Dei per Jesum Christum Dóminum nostrum. ℣. Ego ipse mente sérvio legi Dei, carne autem legi peccáti. * Quis. ℣. Glória. † Grátia. *Rom.* 7.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 14.

INfirmum autem in fide assúmite, non in disceptatiónibus cogitatiónum. Alius enim credit se manducáre ómnia : qui autem infirmus est, olus mandúcet. Is qui mandúcat, non manducantem non spernat : & qui non mandúcat, manducantem non júdicet : Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui júdicas aliénum servum? Dómino suo stat, aut cadit : stabit autem : potens est enim Deus statúere illũ. Nam álius júdicat diem inter diem : álius autem júdicat omnem diem : unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Dómino sapit : & qui mandúcat, Dómino mandúcat : grátias enim agit Deo. Et qui non mandúcat, Dómino non mandúcat, & grátias agit Deo.

℟. Inexcusábilis es, ô homo omnis qui júdicas.

* In quo enim júdicas álterum, teipsum condemnas. ℣. Nolíte judicáre, ut non judicémini; * In quo. *Rom. 2. Matth. 7.*

LECTIO X.

NEmo enim nostrûm sibi vivit, & nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus: sive mórimur, Dómino mórimur. Sive ergo vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. In hoc enim Christus mórtuus est, & resurrexit: ut & mortuórum & vivórum dominétur. Tu autem quid júdicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stábimus ante tribúnal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dóminus, quóniam mihi flectétur omne genu: & omnis lingua confitébitur Deo. Itaque unusquisque nostrûm pro se ratiónem reddet Deo. Non ergo ámplius ínvicem judicémus: sed hoc judicáte magis, ne ponátis offendículum fratri, vel scándalum.

℟. Numquid non pater unus ómnium nostrûm? Numquid non Deus unus creávit nos? * Quare ergo déspicit unusquisque nostrûm fratrem suum? ℣. Omnes vos fratres estis. * Quare. *Malach. 2. Matth. 23.*

LECTIO XI.

SCio, & confido in Dómino Jesu, quia nihil commúne per ipsum, nisi ei qui exístimat quid commúne esse, illi commúne est. Si enim propter cibum frater tuus contristátur; jam non secundùm caritátem ámbulas. Noli cibo tuo illum pérdere, pro quo Christus mórtuus est. Non ergo blasphemétur bonum nostrum. Non enim est regnum Dei, esca & potus: sed justítia, & pax, & gáudium in Spíritu sancto: qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probátus est homínibus.

℟. Quæ pacis sunt sectémur; & *Quæ ædificatiónis sunt ínvicem custodiámus. ℣. Mandávit Deus homínibus, unicuíque de próximo suo, * Quæ. *Rom. 14. Eccli. 17.*

LECTIO XII.

NOli propter escam destrúere opus Dei. Omnia quidem sunt munda: sed malum est hómini, qui per offendículum mandúcat. Bonum est non manducáre carnem, & non bíbere vinum, neque in quo frater tuus offénditur, aut scandalizátur, aut infirmátur. Tu fidem habes? Penes temetipsum habe coram Deo: beátus, qui non júdicat semetipsum in eo

quod probat. Qui autem discernit, si manducáverit, damnátus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccátum est.

℣. Vos in libertátem vocáti estis, fratres, tantùm ne libertátem in occasiónem detis carnis. *Sed † Per caritátem Spíritûs servíte ínvicem. ℣. Sine offensióne estóte Judæis, & Géntibus & Ecclésiæ Dei: * Sed. ℣. Glória. † Per. *Galat.* 5. *I. Cor.* 10.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum. *Cap.* 8.

CUm descendisset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprósus véniens, adorábat eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et extendens Jesus manum, tétigit eum, dicens: Volo; mundáre. Et confestim mundáta est lepra ejus. Et ait illi Jesus: Vide, némini díxeris; sed vade, ostende te sacerdóti, & offer munus, quod præcépit Móyses in testimónium illis. Cùm autem introisset Caphárnaum, accessit ad eum Centúrio, rogans eum, & dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, & curábo eum. Et respondens Centúrio, ait: Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanábitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, & dico huic: Vade, & vadit; & álii: Veni, & venit; & servo meo: Fac hoc, & facit. Audiens autem Jesus, mirátus est, & sequéntibus se dixit: Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente vénient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlórum. Fílii autem regni ejicientur in ténebras exterióres; ibi erit fletus & stridor déntium. Et dixit Jesus Centurióni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illâ horâ.

Ad Benedictus. *Ant.* Adorábat leprósus Jesum dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et extendens Jesus manum, tétigit eum dicens: Volo; mundáre. Et confestim mundáta est lepra ejus. *Matth.* 8.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

OMnípotens sempiterne Deus, † infirmitátem nostrã propítius réspice; *

atque ad protegendum nos, déxteram tuæ majestátis extende; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 3.

SI quis ad invocatiónem humánam grátiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam grátiam fácere, ut invocétur à nobis, contradícit Isáiæ Prophétæ, vel Apóstolo idem dicenti: Inventus sum à non quæréntibus me; palàm appárui his, qui me non interrogábant.

Ad Magníficat. *Ant.* Dixit Jesus Centurióni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illâ horâ. *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.

L E C T I O I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios. *Cap.* 9.

NOn sum liber; non sum Apóstolus? Nonne Christum Jesum Dóminum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Dómino? Et si áliis non sum Apóstolus, sed tamen vobis sum: nam signáculum Apostolátûs mei vos estis in Dómino. ¶ Mea defénsio apud eos, qui me intérrogant, hæc est. Numquid non habémus potestátem manducandi & bibendi? Numquid non habémus potestátem mulíerem sorórem circumducendi sicut & cæteri Apóstoli, & fratres Dómini, & Cephas? aut ego solus, & Bárnabas, non habémus potestátem hoc operandi?

L E C T I O II.

QUis mílitat suis stipéndiis unquam? Quis plantat víneam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis nō mandúcat? Numquid secundùm hóminem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligábis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos útique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quóniam debet in spe qui arat, aráre: & qui tritúrat, in spe fructûs percipiendi. ¶ Si nos vobis spirituália seminávimus, magnum est si nos carnália vestra metámus? Si álii potestátis vestræ partícipes sunt, quare non pótiùs nos? sed non usi sumus hâc potestáte: sed ómnia sustinémus, ne quod offendículum demus Evangélio Christi.

R. I. Cùm liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucrifácerem: * Omnibus óm-

nia factus sum, ut omnes fácerem salvos. ℣. Vidéte quóniam non soli mihi laborávi : sed ómnibus exquiréntibus veritáté: *Omnibus. *I Cor.* 9. *Eccli.* 24.

℟. II. Providémus bona non solùm coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus, némini dantes ullam offensiónem ; * Ut non vituperétur ministériū nostrum. ℣. Spem habens in Deum, stúdeo sine offendículo consciéntiam habére ad Deum, & ad hómines semper. * Ut non. *II. Cor.* 8 & 6. *Act.* 24.

℟. III. In labóre fui & ærumnâ, in vigíliis multis, in fame & siti, in frígore & nuditáte : * Præter illa quæ extrínsecus sunt, instántia meà quotidiána, sollicitúdo ómnium Ecclesiárum. ℣. Die noctúque æstu urébar, & gelu, fugiebatque somnus ab óculis meis; * Præter. *II. Cor.* 11. *Genes.* 31.

℟. IV. Non quæro quæ vestra sunt sed vos ; nec enim debent filii paréntibus thesaurizáre, sed parentes filiis ; ego autem libentíssimè impendam, * Et † Superimpendar ipse pro animábus vestris. ℣. Sed & si ímmolor supra sacrifícium, & obséquium fidei vestræ, gáudeo, * Et. ℣. Glória. † Superimpendar. *II. Cor.* 12. *Philip.* 2.

LECTIO III.

Ex Cohortatióne sancti Clementis Alexandríni ad Gentes. *Edit. Oxon. II. Sec. n.* 11.

HOminem cùm vínculis liberáre vellet Dóminus, carnem índuit, (ô divínum mystérium!) serpentem devícit, tyrannum, hoc est, mortem in servitútem redégit : &, quod máximè, præter opiniónē cóntigit, illum hóminem, qui sedúctus ab illécebris voluptátis, & corruptióni illigátus fúerat, explicátis mánibus, solútum ostendit. O mirábile mystérium! Succúbuit quidem Dóminus, homo autem surrexit: & qui cécidit ex paradíso, majus obediéntiæ præmiū, cœlum áccipit. Quamobrem, ut mihi vidétur, cùm ipsum Verbum ad nos venit cœlitùs, non sunt nobis ampliùs frequentandæ hóminum scholæ, nec Athénæ, reliquáve Græcia, aut étiam Iónia, studiórum causâ adeundæ. Nā si hoc utámur magistro, qui sanctis virtútibus, opifício, salúte, benefício, legislatióne, vaticínio, doctrínâ, complévit ómnia ; nulla est doctrína, quam is non tradit, ipsíque, hoc est, Verbo, universus jam orbis terrárum Athénæ atque Græcia factus est.

℟. Christus Jesus factus

est nobis sapiéntia à Deo & justítia, & sanctificátio, & redémptio, * Ut quemádmodum scriptū est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. ℣. De plenitúdine ejus nos omnes accépimus; * Ut. ℣. Glória. * Ut. *I. Cor.* 1. *Joan.* 1.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 4.

SI quis, ut à peccáto purgémur, voluntátem nostram Deum exspectáre contendit, non autem ut étiam purgári velímus, per sancti Spíritûs infusiónem & operatiónem in nos fieri confitétur, resístit ipsi Spirítui sancto per Salomónem dicenti: Præparátur volúntas à Dómino. Et Apóstolo salúbriter prædicanti: Deus est qui operátur in vobis & velle & perfícere pro bonâ voluntáte.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 9.

NEscítis quóniam qui in sacrário operantur, quæ de sacrário sunt, edunt: & qui altári desérviunt, cum altári partícipant? Ita & Dóminus ordinávit iis, qui Evangélium annúntiant de Evangélio vívere. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm ut glóriam meam quis evácuet. ¶ Nam si evangelizávero, non est mihi glória: necéssitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizávero. Si enim volens hoc ago, mercédem hábeo: si autem invítus, dispensátio mihi crédita est. Quæ est ergo merces mea? Ut evangélium prædicans, sine sumptu ponam Evangélium, ut non abútar potestáte meâ in Evangélio.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

NAm cùm liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucrifácerem. Et factus sum Judæis, tamquàm Judæus, ut Judæos lucrárer: iis, qui sub lege sunt quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant lucrifácerem: iis, qui sine lege erant, tamquàm sine lege essem, (cùm sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) ut lucrifácerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus: ut infirmos lucrifácerem. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. Omnia autem fácio propter Evangélium: ut párticeps ejus efficiar. ¶ Nescítis quòd ii, qui in stádio currunt, omnes quidem cur-

runt, sed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite ut comprehendátis. Omnis autem, qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet; & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant: nos autem incorruptam. Ego ígitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi áerem vérberans: sed castígo corpus meum, & in servitútem rédigo: ne fortè cùm áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar.

LECTIO III.

Ex Cohortatióne sancti Clementis Alexandríni ad Gentes. *Edit. Oxon. Sec. II. n.* 11.

QUemádmodum absente sole per cætera quidem astra nox esset ubíque diffúsa: sic nisi Verbum cognovissémus, & ab eo essémus illumináti, nihil sanè differrémus ab altílibus gallínis, in ténebris sagináti, ut póstea mortem patiámur. Capiámus ígitur lucem, ut Deum quoque capiámus. Capiámus lucem, & Dómini discípuli fiámus. Is enim Patri hoc pollícitus est: Enarrábo nomen tuũ frátribus meis: in médio Ecclésiæ celebrábo te. Célebra, quæso, & enarra mihi Patrem tuum Deum. Salútem præbent tuæ enarratiónes. Docébit me tuum cánticum, quòd Deum quærens, háctenus erráverim. Cùm verò tu me, Dómine, dedúcis in lucem, & Deum invénio per te, & Patrem accípio abs te; fio tuus cohæres, quóniam te non púduit fratris me loco habére.

℟. Ego sum lux mundi: * Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. ℣. In me grátia omnis viæ & veritátis: in me omnis spes vitæ & virtútis. * Qui. ℣. Glória. * Qui. *Joan.* 8. *Eccli.* 24.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 5.

SI quis sicut augmentum, ita étiam inítium fidei, ipsúmque credulitátis affectum, quo in eum crédimus qui justíficat ímpium, & ad generatiónem sacri baptísmatis pervenímus, non per grátiæ donum, id est, per inspiratiónem Spiritûs sancti corrigentem voluntátem nostram ab infidelitáte ad fidem, ab impietáte ad pietátem; sed naturáliter nobis inesse dicit, Apostólicis dogmátibus adversárius approbátur.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 10.

NOlo enim vos ignoráre, fratres, quóniam

patres nostri omnes sub nube fuérunt; & omnes mare transiérunt; & omnes in Móyse baptizáti sunt in nube, & in mari; & omnes eamdem escam spiritálem manducavérunt, & omnes eumdem potum spiritálem bibérunt: (bibébant autem de spiritáli, consequente eos, petrâ: petra autem erat Christus.) Sed non in plúribus eórum beneplácitum est Deo: nam prostráti sunt in deserto. ¶ Hæc autem in figúrâ facta sunt nostrî, ut non simus concupiscentes malórum, sicut & illi concupiérunt. Neque idololátræ efficiámini, sicut quidam ex ipsis: quemádmodum scriptum est: Sedit pópulus manducáre, & bíbere, & surrexérunt lúdere. Neque fornicémur, sicut quidam ex ipsis fornicáti sunt, & cecidérunt unâ die viginti tria míllia.

LECTIO II.

NEque tentémus Christum, sicut quidam eórum tentavérunt, & à serpéntibus periérunt. Neque murmuravéritis, sicut quidam eórum murmuravérunt, & periérunt ab exterminatóre. Hæc autem ómnia in figúrâ contingébant illis: scripta sunt autem ad correptiónem nostram, in quos fines seculórum devenérunt. ¶ Itaque qui se exístimat stare, vídeat ne cadat. Tentátio vos non apprehendat nisi humána: fidélis autem Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id, quod potestis, sed fáciet étiam cum tentatióne proventum ut posśitis sustinére.

℟. I. Patres nostri non intellexérunt mirabília tua, Dómine * Non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ. ℣. Tentavérunt Deum, & Sanctum Israel exacerbavérũt. * Non. *Ps.* 105. & 77.

℟. II. Omnes qui te odérunt, Dómine, pones eos ut clíbanum ignis, in témpore vultûs tui. * Dóminus in irâ suâ conturbábit eos, & devorábit eos ignis. ℣. Voluntárié peccántibus post acceptam notítiam veritátis, relinquitur terríbilis quædam exspectátio judícii, & ignis æmulátio quæ consumptúra est adversários: * Dóminus. *Ps.* 20. *Hebr.* 10.

℟. III. Vidéte, fratres, ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis discedendi à Deo vivo: * Sed adhortámini vosmetipsos per síngulos dies, ut non obdurétur quis ex vobis falláciâ peccáti. ℣. Nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secundùm diẽ tentatiónis in deserto; * Sed. *Hebr.* 3. *Ps.* 94.

℟. IV. Deus fortis meus, sperábo in eum : scutum meum, & cornu salútis meæ. * Salvátor meus, de iniquitáte liberábis me. ℣. Torrentes Bélial terruérunt me, funes inferni circumdedérunt me : prævenérunt me láquei mortis. * Salvátor. ℣. Glória. * Salvátor. *II. Reg.* 22.

LECTIO III.

Ex Oratióne sancti Justíni Philósophi & Mártyris ad Græcos. *Edit. Bened. Sec. II. n.* 5.

ACcédite, Græci, & sapiéntiæ incomparábilis partícipes estóte : ac divínis sermónibus docémini, & regis corruptióni, non obnóxii, notítiam cápite. Noster enim ille imperátor, Verbum divínũ, quod nobis assíduè præest, non vult córporis strenuitátem, & neque faciéi pulcritúdinem, neque nobilitátis elátos spíritus : sed ánimam puram, sanctimóniâ munítam, quippe cùm per Verbum vis quædam in ánimam pervádat, (ô grávium affectuum fugatóriũ instrumentum! ô ignis ánimæ insiti exstinctórium magistérium!) quæ nos non éfficit poétas, non philósophos reddit, neque oratóres excellentes, sed docens, ex morti obnóxiis immortáles, & deos ex mortálibus facit. Accédite, Græci, docémini, estóte ut ego : quóniam & ego eram ut vos. Hæc me cepérunt, & doctrínæ vis énthea, & Verbi efficácia : quóniam sicut incantátor perítus formidábilem serpentem fugat, postquàm fecit ut è suo latíbulo erépèret : sic Verbum ex íntimis ánimi penetrálibus formidábiles sensuum affectus expellit : ac primùm cupiditátem, ex quâ quidquid formidábile est náscitur, inimicítiæ, rixæ, invídia, æmulatiónes, iræ & his simília. Cupiditáte ígitur expulsâ, tranquillitátem & serenitátem ánima consequitur.

℟. Magnificáte Dóminum mecum, & exaltémus nomen ejus in idipsum. * Accédite ad eum, & illuminámini, & fácies vestræ non confundentur. ℣. Dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. * Accédite. ℣. Glória. * Accédite. *Ps.* 33. *Coloss.* 1.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 6.

SI quis sine grátiâ Dei credéntibus, voléntibus, desiderántibus, conántibus, laborántibus, vigilántibus, studéntibus, peténtibus, quæréntibus, pulsántibus nobis miseri-

córdiam dicit conferri divínitus; non autem ut credámus, velímns, vel hæc ómnia, sicut oportet, ágere valeámus, per infusiónem & inspiratiónem sancti Spíritûs in nobis fieri confitétur; & aut humilitáti, aut obediéntiæ humánæ subjungit grátiæ adjutórium; nec ut obedientes & húmiles simus ipsíus grátiæ donum esse consentit, resistit Apóstolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? Et: Grátiâ Dei sum id quod sum.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 10.

VIdéte Israel secundùm carnem: nonne qui edunt hóstias, partícipes sunt altáris? Quid ergo? dico quòd idólis immolátum sit áliquid? aut quòd idólum, sit áliquid? Sed quæ ímmolant Gentes, dæmóniis ímmolant, & non Deo. Nolo autem vos sócios fieri dæmoniórum: non potestis cálicem Dómini bíbere, & cálicem dæmoniórum: non potestis mensæ Dómini partícipes esse, & mensæ dæmoniórum. ¶ An æmulámur Dóminum? numquid fortióres illo sumus? Omnia mihi licent, sed non ómnia expédiunt. Omnia mihi licent, sed non ómnia ædíficant. Nemo quod suum est quærat, sed quod altérius. Omne, quod in macello vænit, manducáte, nihil interrogantes propter consciéntiam. Dómini est terra & plenitúdo ejus.

Responsoria ut in I. Nocturno Dominicæ præcedentis, pag. 416.

LECTIO II.

SI quis vocat vos infidélium, & vultis ire: omne, quod vobis appónitur, manducáte, nihil interrogantes propter consciéntiam. Si quis autem díxerit: Hoc immolátum est idólis: nolíte manducáre propter illum, qui indicávit, & propter consciéntiam: consciéntiam autem dico non tuam, sed altérius. Ut quid enim libertas mea judicátur ab aliénâ consciéntia? Si ego cum grátiâ partícipo, quid blasphémor pro eo quod grátias ago? ¶ Sive ergo manducátis, sive bíbitis, sive áliud quid fácitis; ómnia in glóriam Dei fácite. Sine offensióne estóte Judæis, & Géntibus, & Ecclésiæ Dei: sicut & ego per ómnia ómnibus pláceo, non quærens quod mihi útile est, sed quod multis; ut salvi fiant.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Prósperi Aquitáni ad Rufinum. *Edit. Nov. n.* 8.

AGnoscat se humána debílitas, & in primo hómine universárum generatiónum damnáta succéssio: & cùm mórtui vivificantur, cùm cæci illuminantur, cùm ímpii justificantur, confiteantur vitam, & lumen, & justítiam suam Jesum Christum: & qui gloriátur, in Dómino gloriétur non in se: qui cùm esset ímpius, & cæcus, & mórtuus, à Liberatóre suo, gratìs accépit & justítiam, & lumen, & vitam. Non enim justè agébat, & aucta est justítia ejus; nec ad Deum gradiebátur, & confirmátus est cursus ejus; nec diligébat Deum, & inflammáta est cáritas ejus: sed cùm esset sine fide, ac proinde ímpius, accépit spíritum fidei, & factus est justus: justus autem ex fide vivit, & sine fide nemo potest placére Deo: & omne quod non est ex fide, peccátum est: ut scílicet intélligat, justítiam infidélium non esse justítiam: quia sordet natúra sine grátiâ.

℟. Misericórdiæ Dómini quia non sumus consumpti; * Quia non defecérunt miseratiónes ejus. ℣. Erámus natúrâ filii iræ, sicut & cæteri: Deus autem, cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Thren.* 3. *Ephes.* 2.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 7.

SI quis per natúræ vigórem bonum áliquid, quod ad salútem pértinet vitæ æternæ, cogitáre ut éxpedit, aut elígere, sive salutári, idest, evangélicæ prædicatióni, consentíre posse confirmat absque illuminatióne & inspiratióne Spíritûs sancti, qui dat ómnibus suavitátem in consentiendo & credendo veritáti, hærético fállitur spíritu, non intélligens vocem Dei in Evangélio dicentis: Sine me nihil potestis fácere.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 11.

IMitatóres mei estóte, sicut & ego Christi. Laudo autem vos, fratres, quòd per ómnia meî mémores estis: & sicut trádidi vobis, præcepta mea tenétis. Volo autem vos scire quòd omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir; caput verò

Christi, Deus. ¶ Omnis vir orans, aut prophétans veláto cápite, deturpat caput suum. Omnis autem múlier orans, aut prophétans non veláto cápite deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvétur. Nam si non velátur múlier, tondeátur. Si verò turpe est mulíeri tondéri, aut decalvári, velet caput suum.

LECTIO II.

VIr quidem non debet veláre caput suum: quóniam imágo & glória Dei est, múlier autem glória viri est. Non enim vir ex mulíere est, sed múlier ex viro. Etenim non est creátus vir propter mulíerem, sed múlier propter virum. Ideo debet múlier potestátem habére supra caput propter Angelos. Verúmtamen neque vir sine mulíere: neque múlier sine viro, in Dómino. Nam sicut múlier de viro, ita & vir per mulíerem: ómnia autem ex Deo. ¶ Vos ipsi judicáte: decet mulíerem non velátam oráre Deum? Nec ipsa natúra docet vos, quòd vir quidem si comam nútriat, ignomínia est illi: múlier verò si comam nútriat, glória est illi: quóniam capilli pro velámine ei dati sunt. Si quis autem vidétur contentiósus esse: nos talem consuetúdinem non habémus, neque Ecclésia Dei.

℟. I. Divisiónes ministratiónum sunt; idem verò Deus, qui operátur ómnia in ómnibus. * Unicuíque autem datur manifestátio Spíritûs ad utilitátem. ℣. Vos estis corpus Christi, & membra de membro: * Unicuíque. *I. Cor.* 12.

℟. II. Sicut in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eumdem actum habent: ita * Multi unum córpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra. ℣. Habentes donatiónes secundùm grátiã, quæ data est nobis, differentes, * Multi. *Rom.* 12.

℟. III. Loquímini veritátem unusquisque cum próximo suo: * Quóniam sumus ínvicem membra. ℣. Non sit schisma in córpore, * Quóniam. *Ephes.* 4. *I. Cor.* 12.

℟. IV. Unicuíque nostrûm data est grátia * Secundùm mensúram donatiónis Christi. ℣. Omnia honestè & secundùm órdinem fiant; * Secundùm. ℣. Glória. * Secundùm. *Ephes.* 4. *I. Cor.* 14.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Agóne Christiáno. *Edit. Bened. Cap.* 11. *n.* 12.

FIlius Dei hóminem assumpsit, & in illo humána perpessus est. Hæc medicína hóminum tanta

est, quanta non potest cogitári. Nam quæ supérbia sanári potest, si humilitáte Fílii Dei non sanátur? quæ avarítia sanári potest, si paupertáte Fílii Dei non sanátur? quæ iracúndia sanári potest, si patiéntiâ Fílii Dei non sanátur? quæ impíetas sanári potest, si caritáte Fílii Dei non sanátur? postrémò quæ timíditas sanári potest, si resurrectióne córporis Christi Dómini non sanátur? Erigat spem suam genus humánum, & recognoscat natúram suam; vídeat quantum locum hábeat in opéribus Dei.

℟. Scitis grátiam Dómini nostri Jesu Christi, quóniam propter nos egénus factus est. * Hoc enim sentíte in vobis quod & in Christo Jesu. ℣. Ecce Rex tuus & Salvátor ipse pauper. Quid superbit terra & cinis? * Hoc. ℣. Glória. * Hoc. *II. Cor.* 8. *Philip.* 2. *Zach.* 9. *Eccli.* 10.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 9.

SI quis álios misericórdiâ, álios vero per líberum arbítrium, quod in ómnibus, qui de prævaricatióne primi hóminis nati sunt, constat esse vitiátum, ad grátiam baptismi posse veníre contendit, à rectâ fide probátur aliénus.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 12.

COrpus non est unum membrum, sed multa. Si díxerit pes: Quóniam non sum manus, non sum de córpore: num ídeò non est de córpore? & si díxerit auris: Quóniam non sum óculus, non sum de córpore: num ídeò non est de córpore? Si totum corpus óculus; ubi audítus? si totum audítus; ubi odorátus? ¶Nunc autem pósuit Deus membra, unumquodque eórum in córpore sicut vóluit. Quòd si essent ómnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem óculus dícere mánui: Operâ tuâ non indígeo: aut íterum caput pédibus: Non estis mihi necessárii: sed multò magìs quæ videntur membra córporis infirmióra esse, necessarióra sunt.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

ET si quid pátitur unum membrum, compatiuntur ómnia membra: sive gloriátur unum membrum, congaudent ómnia membra. Vos autem estis cor-

pus Christi, & membra de membro. ¶ Et quosdam quidem pósuit Deus in Ecclésiâ primùm Apóstolos, secundò Prophétas, tértiò Doctóres, deinde virtútes, exinde grátias curatiónum, opitulatiónes, gubernatiónes, génera linguárum, interpretatiónes sermónū. Numquid omnes Apóstoli? numquid omnes Prophétæ? numquid omnes Doctóres? numquid omnes virtútes? numquid omnes grátiam habent curatiónum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Æmulámini autem charísmata melióra.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Agóne Christiáno. *Edit. Bened. Cap.* 11. *n.* 12.

SI multùm de nobis sentímus, dignémur imitári eum qui Fílius Altíssimi vocátur: si parum de nobis sentímus, audeámus imitári piscatóres & publicános, qui eum imitáti sunt. O medicínam ómnibus consulentem, ómnia tuméntia comprimentem, ómnia tabescéntia reficientem, ómnia supérflua resecantem, ómnia necessária custodientem, ómnia pérdita reparantem, ómnia depraváta corrigentē! Quis jam se extollat contra Fílium Dei? Quis de se despéret, pro quo tam húmilis esse vóluit Fílius Dei? Quis beátam vitam esse arbitrétur in iis quæ contemnenda esse dócuit Fílius Dei? Quibus adversitátibus cedat, qui natúram hóminis tantis persecutiónibus custodítam credit in Fílio Dei? Quis sibi esse clausum regnum cœlórum putet, qui cognoscit publicános & meretríces imitátos esse Fílium Dei? Quâ perversitáte non cáreat, qui facta & dicta intuétur & díligit & sectátur illíus hóminis, in quo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Fílius Dei?

℟. Christus passus est pro nobis, * Vobis relinquens exemplum, ut sequámini vestígia ejus. ℣. Ipse infirmitátes nostras accépit; & ægrotatiónes nostras portávit, * Vobis. ℣. Glória.* Vobis. *I. Petr.* 2. *Matth.* 8.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 9.

DIvíni est múneris, cùm & rectè cogitámus, & pedes nostros à falsitáte & injustítiâ continémus. Quóties enim bona ágimus, Deus in nobis, atque nobiscum ut operémur operátur.

Ad Magníficat. *Ant.* Deo grátias, qui dedit nobis victóriam per Dómi-

num nostrum Jesum Christum. *I. Cor.* 15.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 437.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 12 & 13.

ADhuc excellentiórem viam vobis demonstro. Si linguis hóminum loquar, & Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tínniens. Et si habúero Prophetíam, & nóverim mystéria ómnia & omnem sciéntiam: & si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam; caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas, & si tradídero corpus meum ita ut árdeam; caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest.

℟. Díliges Dóminum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in totâ ánimâ tuâ, & in totâ mente tuâ. * Hoc est máximum, & primum mandátum. ℣. Quid Dóminus Deus petit à te, nisi ut tímeas Dóminum Deum tuum, & ámbules in viis ejus, & díligas eum. * Hoc. *Matth.* 22. *Deuter.* 10.

LECTIO II.

CAritas pátiens est, benigna est: cáritas non æmulátur, non agit pérperàm, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte; congaudet autem veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

℟. Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit; * Plenitúdo ergo legis est diléctio. ℣. Omnis lex in uno sermóne implétur: Díliges próximum tuum sicut teipsum: * Plenitúdo. *Rom.* 13. *Galat.* 5.

LECTIO III.

CAritas nunquam éxcidit: sive prophetíæ evacuabuntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Ex parte enim cognóscimus, & ex parte prophetámus. Cùm autem vénerit quod perfectum est, evacuábitur quod ex parte est.

℟. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem. * Nec flúmina óbruent illam. ℣. Fortis est ut mors diléctio, lámpades

ejus lámpades ignis atque flammárum; * Nec. *Cant.* 8.

LECTIO IV.

CUm essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus. Quando autem factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate: tunc autem fácie ad fáciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cógnitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, cáritas, tria hæc: major autem horum est cáritas.

℟. Apud te est fons vitæ. * Et † In lúmine tuo vidébimus lumen. ℣. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem. * Et. ℣. Glória. † In. *Ps.* 35. *I. Cor.* 13.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Epístolâ ad Demetriádem Vírginem. *inter Opera S. Leonis Papæ. Cap.* 13.

EGo sum vitis, vos pálmites. Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum: quia sine me nihil potestis fácere. Quis enim sine auxílio grátiæ fructum potest afferre justítiæ? aut quis audet dícere se à Christo non dívidi, qui Christum in se diffitétur operári? An fortè verendum est, ne líberum tóllere videámur arbítrium, cùm ómnia per quæ propitiátur Deus, ad ipsum dícimus esse referenda? Quod nequáquam esse cónsequens veritátis osténditur: operante enim Spíritu Dei, juvátur arbítrium, non aufertur: & hoc agit grátia, ut voluntas peccáto corrupta, vanitátibus ébria, seductiónibus circumsepta, difficultátibus impedíta, non remáneat in languóribus suis, sed per opem misereutis médici curáta revaléscat, & gáudeat se non interrogantem edóctam, & non quærentem esse quæsitam; quia implétur quotídie quod Isaías Prophéta prædixit: Quibus non est annuntiátum de eo, vidébunt, & qui non audiérunt, intélligent.

℟. Non vos me elegístis; sed ego elégi vos, & pósui vos ut eátis & fructum afferátis, * Et fructus vester máneat. ℣. In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis. * Et. *Joan.* 15.

LECTIO VI. *Cap.* 14.

UT ergo misericórdiam Dei quærámus, Dei misericórdia est, qui ait: Miserébor cui misertus ero, & misericórdiam præ-

stábo, cui misericórdiam præstítero. Unde miré per Jeremíam idem Dóminus manifestat, quòd Dei grátiam nemo prævéniat mérito suo, sed propter dilectiónem quâ Deus díligit, étiam aversos ad misericórdiam trahi. Dilectióne, inquit: æternâ dilexi te: proptérea traxi te ad miseratiónem.

℟. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, non quasi nos dilexérimus Deum, sed * Quóniam ipse prior dilexit nos. ℣. Non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit. * Quóniam. *I. Joan.* 4. *Tit.* 3.

LECTIO VII.

OMnis ígitur illuminatárum méntium pius motus, alienári quidem non potest à própriâ hóminis voluntáte; síquidem nihil rectè fáciet, nisi quod volens égerit: sed ut ad id quod æquum & útile est ánimi tendat inténtio, de illíus æternæ & incommutábilis voluntátis inspiratióne concípitur. Et sicut arte médici fit in óculis caligántibus, ut possint vidére quod non vident, nec tamen non ipsórum est vísio, quam medicína contúlerit; ita in córdibus tardis & hebétibus, per Spíritum sanctum ácies obducta térgitur, & de vero lúmine tenebrósæ jam & deficientes lúcernæ lumen accípiunt; nec tamen nisi ipsárum erit, quidquid fulgóris accéperint.

℟. Hæc dicit Dóminus Deus: Spíritum meum ponam in médio vestrî, & * Fáciam ut in præceptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis & operémini. ℣. Sine me nihil potestis fácere. * Fáciam. *Ezech.* 36. *Joan.* 15.

LECTIO VIII. *Cap.* 15.

PRoinde quia manifestíssimè & Prophética, & Apostólica doctrína, nec superbos nos vult esse, nec désides; cooperatóres nos esse oportet grátiæ Dei, ut illam excitantem, juvantem, locupletantem, & quotídie provehentem, vigilanter & sóbriè subsequámur, nunquam cessantes ab actióne gratiárum; quia inter secunda vitæ istíus, & adversa quibus gémina semper tentatióne pulsámur, si profícimus, inde álimur; si stamus, inde subsístimus; si recídimus, inde reparámur. In ómnibus enim mónitis Dei atque mandátis, una éademque rátio est & divínæ grátiæ, & humánæ obediéntiæ, nec ob álïud unquam datur præceptum, nisi ut quærátur præcipiéntis auxílium.

℟. Cum metu & tremóre veſtram ſalútem operámini; * Deus eſt enim qui operátur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntáte. ℣. Grátiâ eſtis ſalváti per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt: non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. * Deus. ℣. Glória. * Deus. *Philip. 2. Epheſ. 2.*

IN III. NOCTURNO.

LECTIO IX.

Ex Epíſtolâ beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Cap. 15.

DEbémus autem nos firmióres imbecillitátes infirmórum ſuſtinére, & non nobis placére. Unuſquiſque veſtrûm próximo ſuo pláceat in bonum, ad ædificatiónẽ. Etenim Chriſtus non ſibi plácuit; ſed ſicut ſcriptũ eſt: Impropéria improperántium tibi cecidérunt ſuper me. Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrínam ſcripta ſunt: ut per patiéntiam & conſolatiónem Scripturárum ſpem habeámus.

℟. Juſtítiam & judícia ſua Deus oſtendit homínibus; & dixit illis: Adténdite ab omni iníquo, * Et mandávit unicuíque de próximo ſuo. ℣. Hoc mandátum habémus à Deo, ut qui díligit Deum, díligat & fratrem ſuum; * Et. *Eccli. 17. I. Joan. 4.*

LECTIO X.

DEus autem patiéntiæ & ſolátii, det vobis idipſum ſápere in altérutrũ ſecundùm Jeſum Chriſtum: ut unánimes uno ore honorificétis Deum, & Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti. Propter quod ſuſcípite ínvicem; ſicut & Chriſtus ſuſcépit vos in honórem Dei.

℟. Ego per ómnia ómnibus pláceo, * Non quærens quod mihi útile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant. ℣. Omnia fácio propter Evangélium ut párticeps ejus efficiar, * Non. *I. Cor. 10 & 9.*

LECTIO XI.

DIco enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſiónis propter veritátem Dei, ad confirmandas promiſſiónes Patrum: Gentes autem ſuper miſericórdiâ honoráre Deum, ſicut ſcriptum eſt: Proptérea confitébor tibi in Géntibus, Dómine, & nómini tuo cantábo. Et íterum dicit: Lætámini, Gentes, cum plebe ejus. Et íterum: Laudáte, omnes Gentes, Dóminum; & magnificáte eum, omnes pópuli. Et rurſùs Iſaías ait: Erit radix Jeſſe, & qui exſurget régere Gentes, in eum Gentes ſperábunt.

℟. Laudáte Dóminum, omnes Gentes, * Laudáte

cum omnes pópuli. ℣. In conſpectu Géntium revelávit juſtítiam ſuam. * Laudáte. *Pſ.* 116 & 97.

LECTIO XII.

DEus autem ſpei rópleat vos omni gáudio, & pace in credendo: ut abundétis in ſpe, & virtúte Spíritûs ſancti. Certus ſum autem, fratres mei, & ego ipſe de vobis, quóniam & ipſi pleni eſtis dilectióne, repléti omni ſciéntiâ, ita ut poſsítis altérutrum monére.

℟. Aptet vos Deus in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem: * Fáciens in vobis quod pláceat coram ſe † Per Jeſum Chriſtum. ℣. Adapériat cor veſtrum in lege ſuâ, & in præceptis ſuis. * Fáciens. ℣. Glória. † Per. *Hebr.* 13. *II. Mach.* 1.

EVANGELIUM.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum. *Cap.* 1.

AScendente Jeſu in navículam, ſecúti ſunt eum diſcípuli ejus: & ecce motus magnus factus eſt in mari; ita ut navícula operirétur flúctibus: ipſe verò dormiébat. Et acceſſérunt ad eum diſcípuli ejus, & ſuſcitavérunt eum dicentes: Dómine, ſalva nos, perímus. Et dicit eis Jeſus: Quid tímidi eſtis, módicæ fidei? Tunc ſurgens imperávit ventis & mari: & facta eſt tranquíllitas magna. Porrò hómines miráti ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obédiunt ei?

Ad Benedictus. *Ant.* Surgens Jeſus imperávit ventis & mari: & facta eſt tranquíllitas magna. *Matth.* 8.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui nos in tantis perículis conſtitútos, pro humánâ ſcis fragilitáte non poſſe ſubsíſtere, † da nobis ſalútem mentis & córporis, * ut ea, quæ pro peccátis noſtris pátimur, te adjuvante vincámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Arauſicáno ſecundo. *An.* 529. *Cap.* 10.

ADjutórium Dei étiam renátis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum perveníre, vel in bono poſſint ópere perduráre.

Ad Magníficat. *Ant.* Hómines miráti ſunt dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obédiunt ei? *Matth.* 8.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Epíſtolâ primâ beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios. *Cap.* 14.

SEctámini caritátem, æmulámini ſpiritália: magìs autem ut propheté-

tis. Qui enim lóquitur linguâ, non homínibus lóquitur, sed Deo: nemo enim audit. Spíritu autem lóquitur mystéria. Nam qui prophétat, homínibus lóquitur ad ædificatiónem, & exhortatiónem, & consolatiónem. ¶ Qui lóquitur linguâ, semetipsum ædíficat: qui autem prophétat, Ecclésiam Dei ædíficat. Volo autem omnes vos loqui linguis; magis autem prophetáre. Nam major est qui prophétat, quàm qui lóquitur linguis: nisi fortè interpretétur, ut Ecclésia ædificatiónem accípiat. Nunc autem, fratres, si vénero ad vos linguis loquens; quid vobis pródero, nisi vobis loquar aut in revelatióne, aut in sciéntiâ, aut in prophetiâ, aut in doctrínâ?

Responsoria ut suprà Feriâ VI. præcedenti, pag. 430.

LECTIO II.

TAmen quæ sine ánimâ sunt vocem dántia: sive tíbia, sive cíthara, nisi distinctiónem sonítuum déderint, quómodo sciétur id quod cánitur, aut quod citharizátur? Etenim si incertam vocem det tuba, quis parábit se ad bellum? Ita & vos per linguam nisi manifestum sermónem dedéritis; quómodo sciétur id, quod dícitur? éritis enim in áëra loquentes. ¶ Tam multa, ut puta, génera linguárum sunt in hoc mundo: & nihil sine voce est. Si ergo nescíero virtútem vocis, ero ei, cui loquor bárbarus: & qui lóquitur, mihi bárbarus. Sic & vos, quóniam æmulatóres estis spirítuum, ad ædificatiónem Ecclésiæ quærite ut abundétis, & ideò qui lóquitur linguâ oret ut interpretétur.

LECTIO III.

Ex Epístolâ ad Demetriádem Vírginem. *Inter opera S. Leonis Papæ. Cap. 16.*

VIgilant tentatóris insídiæ ut ubi próficit devótio, subrépat elátio; & ut homo de bono ópere in se pótiùs quàm in Dómino gloriétur: sed sollicitúdo nos Apóstoli contra hoc perículum monet dicens: Cum timóre & tremóre vestram salútem operámini: Deus est enim qui operátur in vobis, & velle, & operári pro bonâ voluntáte. Quantò ergo excellèntiùs in mandátis Dei quique profíciunt, tantò majóres habent causas formídinis & tremóris: ne de ipsis probitátis augmentis mens sibi cónscia, & laudis ávida, in supérbiæ rapiátur excessus, & fiat immunda vanitáte, dum

sibi vidétur clara virtúte. Si ergo ómnia quæ ad vitam & pietátem pértinent, Deus nobis divínâ suâ virtúte donávit; nihil magìs fugiendum est quàm appetítus hujus concupiscéntiæ quæ virtútem negat divíni óperis, amóre própriæ dignitátis; & cùm áliæ cupiditátes ea tantùm bona quibus adversántur imminúant, hæc dum ómnia ad se trahit, simul univérsa corrúmpit.

℟. Omnes ínvicem humilitátem insinuáte, *Quia Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. ℣. Díscite à me quia mitis sum & húmilis corde, & inveniétis réquiem animábus vestris. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *I. Petr.* 5. *Matth.* 11.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secúndo. *An.* 529. *Cap.* 11.

NEmo quidquam Dómino rectè vóverit, nisi ab ipso accéperit quod vovéret; sicut légitur: Quæ de manu tuâ accépimus, damus tibi.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Epistolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 14.

SI orem linguâ, spíritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? orábo spíritu, orábo & mente: psallam spíritu, psallam & mente. Cæterùm si benedíxeris spíritu: qui supplet locum idiótæ, quómodo dicet, Amen, super tuam benedictiónem? Quóniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene grátias agis: sed alter non ædificátur. ¶ Grátias ago Deo meo, quòd ómnium vestrûm linguâ loquor. Sed in Ecclésiâ volo quinque verba sensu meo loqui, ut & álios ínstruam: quàm decem míllia verbórum in linguâ.

Responsoria ut suprà Feriâ VI. præcedenti, pag. 430.

LECTIO II.

FRatres, nolíte púeri éffici sénsibus, sed malítiâ párvuli estóte: sénsibus autem perfecti estóte. In lege scriptum est: Quóniam in áliis linguis & lábiis áliis loquar pópulo huic: & nec sic exáudient me, dicit Dóminus. Itaque linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus: prophetíæ autem non infidélibus, sed fidélibus. ¶ Si ergo convéniat univérsa Ecclésia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiótæ, aut infidéles: nonne dicent quòd insanítis? Si autem quis infidélis, vel idióta,

convíncitur ab ómnibus, dijudicátur ab ómnibus: occulta cordis ejus manifesta fiunt, & ita cadens in fáciem adorábit Deum, pronúntians quòd verè Deus in vobis sit.

LECTIO III.

Ex Sermóne trigésimo séptimo sancti Leónis Papæ in Epiphániâ. *Edit. Paris. Cap.* 4.

DIcente discípulis suis Dómino: Sine me nihil potestis fácere, dúbium non est hóminem bona agentem à Deo habére & effectum óperis & inítium voluntátis. Et hæc sanctis causa tremendi atque metuendi, ne ipsis opéribus pietátis eláti, deserántur ope grátiæ, & remáneant in infirmitáte natúræ. Qui autem experíri cupit an in ipso Deus hábitat, de quo dícitur: Mirábilis Deus in sanctis suis; sincéro exámine cordis sui interióra discútiat, & ságaciter quærat, quâ humilitáte resístat supérbiæ: quâ benevoléntiâ obluctétur invídiæ, quàm non capiátur adulántum linguis, quàmque bonis delectétur aliénis: an pro malo non cúpiat malum réddere, malitque inultas oblivísci injúrias, quàm imáginem & similitúdinem sui conditóris amíttere.

℟. Cum metu & tremóre vestram salútem operámini Deus est enim qui * Operátur in vobis velle & perfícere pro bonâ voluntáte. ℣. Deus qui operátur ómnia in ómnibus. * Operátur. ℣. Glória. * Operátur. *Philip.* 2. *I. Cor.* 12.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 12.

TAles nos amat Deus quales futúri sumus ipsíus dono, non quales sumus nostro mérito.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 14.

QUid ergo est, fratres? Cùm convenítis, unusquísque vestrûm psalmum habet, doctrínam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretatiónem habet: ómnia ad ædificatiónem fiant. Sive linguâ quis lóquitur, secundùm duos, aut ut multùm tres, & per partes, & unus interpretétur. Si autem non fúerit interpres, táceat in Ecclésiâ, sibi autem loquátur, & Deo. ¶ Prophétæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri dijúdicent. Quòd si álii revelátum fúerit sedenti, prior táceat. Potestis enim

omnes per síngulos prophetáre : ut omnes discant, & omnes exhortentur : & spíritus prophetárum prophétis subjecti sunt. Non enim est dissensiónis Deus, sed pacis : sicut & in ómnibus Ecclésiis sanctórum dóceo.

Responsoria ut suprà Feriâ VI. præcedenti, pag. 430.

L e c t i o II.

MUlíeres in Ecclésiis táceant, non enim permíttitur eis loqui, sed súbditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt díscere, domi viros suos intérrogent. Turpe est enim mulíeri loqui in Ecclésiâ. ¶ An à vobis verbum Dei procéssit? aut in vos solos pervénit? Si quis vidétur prophéta esse, aut spirituális, cognoscat quæ scribo vobis, quia Dómini sunt mandáta. Si quis autem ignórat, ignorábitur. Itaque, fratres, æmulámini prophetáre : & loqui linguis nolíte prohibére. Omnia autem honestè & secundùm órdinem fiant.

L e c t i o III.

Ex Libro secundo Expositiónis sancti Ambrósii Epíscopi in Lucam. *Edit. Bened. n.* 41. & 42.

CUm dives esset Christus, propter vos pauper factus est, ut illíus inópiâ vos ditarémini. Meum ergo paupertas illa patrimónium est, & infírmitas Dómini mea est virtus. Máluit sibi egére, ut ómnibus abundáret. Me illíus infántiæ vagientis ábluunt fletus, mea lácrymæ illæ delicta lavérunt. Plus ígitur, Dómine Jesu, injúriis tuis débeo quòd redemptus sum, quàm opéribus quòd creátus sum. Non prodesset nasci, nisi rédimi profuisset. Sed nemo intra usum córporis formam omnem divinitátis inclúdat. Alia natúra carnis est, ália divinitátis glória. Propter te infirmitas, in se poténtia : Propter te inópia, in se opuléntia. Noli hoc æstimáre quod cernis, sed quòd redimeris, agnosce.

℞. Scitis grátiam Dómini nostri Jesu Christi, quóniam * Propter vos egénus factus est, cùm esset dives, ut illíus inópiâ vos dívites effétis. ℣. Vulpes fóveas habent & vólucres cœli nidos ; Fílius autem hóminis non habet ubi caput reclínet : * Propter. ℣. Glória. * Propter. *II. Cor.* 8. *Matth.* 8.

C a n o n.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 13.

ARbítrium voluntátis in primo hómine infirmátum nisi per grátiam baptismi non potest reparári : quod amissum, nisi

à quo pótuit dari, non potest reddi. Unde véritas ipsa dicit: Si vos filius liberávit, tunc verè líberi éritis.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 15.

NUnc autem Christus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium, quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo órdine, primítiæ Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus credidérunt ¶ Deinde finis: cùm tradíderit regnum Deo & Patri, cùm evacuáverit omnem principátum, & potestátem, & virtútem. Oportet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos sub pédibus ejus.

LECTIO II.

NOvíssima autem inimíca destruétur mors: ómnia enim subjecit sub pédibus ejus. Cùm autem dicat: Omnia subjecta sunt ei, sine dúbio præter eum, qui subjécit ei ómnia. Cùm autem subjecta fúerint illi ómnia: tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjécit sibi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus. ¶ Quotídie mórior per vestram glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dómino nostro. Si (secundùm hóminem) ad béstias pugnávi Ephesi, quid mihi prodest, si mórtui non resurgunt? Manducémus & bibámus, cras enim moriémur. Nolíte sedúci: corrumpunt mores bonos collóquia mala. Evigiláte, justi, & nolíte peccáre: ignorántiam enim Dei quidam habent, ad reveréntiam vobis loquor.

℟. I. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum; * Et in carne meâ vidébo Deum meum. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem; * Et in. *Job.* 19. *I. Cor.* 15.

℟. II. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos: * Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne. ℣. Cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est; * Ero. *Osee.* 13. *I. Cor.* 15.

℟. III. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium, ut vídeant semper,

℣. Procédent qui bona fecérunt, in resurrectiónem vitæ; qui verò mala egérunt in resurrectiónem judícii.*Evigilábunt. *Dan.* 12. *Joan.* 5.

℟. IV. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmamenti: *Et †Qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. ℣. Stella à stellâ differt in claritáte; sic & resurréctio mortuórum: * Et qui. ℣. Glória. †Qui. *Dan.* 12. *I. Cor.* 15.

LECTIO III.

Ex Sermóne centésimo septuagésimo sexto sancti Augustíni Epíscopi de Verbis Apóstoli. *Edit. Bened. n.* 5.

NOlíte desperáre. Ægróti estis, accédite ad eum, & sanámini: Cæci estis, accédite ad eum, & illumináminí. Et qui sani estis, ei grátias ágite: & qui ægrotátis, ad eum sanandi cúrrite: dícite omnes: Veníte, adorémus, & prosternámur ei, & plorémus coram Dómino qui fecit nos, & hómines, & salvos. Nam si ille nos fecit hómines, nos autem ipsi nos fécimus salvos; áliquid illo mélius fécimus. Mélior est enim salvus homo, quàm quílibet homo. Si ergo te Deus fecit hóminem, & tu te fecisti bonum hóminem, quod tu fecisti mélius est. Noli te extóllere super Deum: subde te Deo, adóra, prostérnere, confitére illi qui fecit te: quia nemo récreat, nisi qui creat; nemo réficit, nisi qui fecit.

℟. Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus. * Ipse fecit nos & non ipsi nos. ℣. Ipsíus sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus. * Ipse. ℣. Glória. * Ipse. *Ps.* 99. *Ephes.* 2.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 16.

NEmo ex eo quod vidétur habére gloriétur, tamquàm non accéperit; aut ídeò se putet accepisse, quia líttera extrinsecùs, vel ut legerétur appáruit, vel ut audirétur sónuit; nam sicut Apóstolus: Si per legem justítia, ergo Christus gratìs mórtuus est.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 15.

SEd dicet áliquis: Quómodo resurgunt mórtui? qualíve córpore vé-

nient? Insípiens, tu quod séminas non vivificátur, nisi priùs moriátur. Et quod séminas, non corpus, quod futúrum est, séminas, sed nudum granum, ut puta trítici, aut alicújus cæterórum. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & unicuíque séminum próprium corpus. ¶ Non omnis caro, eádem caro: sed ália quidem hóminum, ália vólucrum, ália autem píscium. Et córpora cœléstia, & córpora terréstria: sed ália quidem cœléstium glória, ália autem terréstrium: ália cláritas solis, ália cláritas lunæ, & ália cláritas stellárum. Stella autem à stellâ differt in claritáte: sic & resurréctio mortuórum.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

SEminátur in corruptióne, surget in incorruptióne: seminátur in ignobilitáte, surget in glóriâ: seminátur in infirmitáte, surget in virtúte: seminátur corpus animále, surget corpus spiritále. Si est corpus animále, est & spiritále, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in ánimam viventem, novíssimus Adam in spíritum vivificantem. Sed non priùs quod spiritále est, sed quod animále: deinde quod spiritále. ¶ Primus homo de terrâ, terrénus: secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrénus, tales & terréni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur, sicut portávimus imáginem terréni, portémus & imáginem cœlestis. Hoc autem dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidére non possunt: neque corrúptio incorruptélam possidébit.

LECTIO III.

Ex Libro séptimo Confessiónum sancti Augustini Epíscopi. *Edit. Bened. Cap.* 18.

QUærébam viam comparandi róboris quod esset idóneum ad fruendum te, Dómine, nec inveniébam donec amplécterer mediatórem Dei & hóminum Hóminem Christum Jesum, qui est super ómnia Deus benedictus in sécula, vocantem & dicentem: Ego sum via, véritas & vita: & cibum, cui capiendo inválidus eram, miscentem carni; quóniam Verbum caro factum est, ut infántiæ nostræ lactésceret sapiéntia tua per quã creasti ómnia. Non enim tenébam Dóminum meum Jesum, húmilis húmilem: nec cujus rei magistra esset ejus infírmitas nóveram. Verbum enim tuum ætérna véritas, superióribus

creatúræ tuæ pártibus supereminens, súbditos érigit ad seipsam: in inferióribus autem ædificávit sibi húmilem domum de limo nostro, per quam subdendos depríméret à seipsis, & ad sese trajíceret, sanans tumórem, & nútriens amórem, ne fidúciâ suâ progrederentur lóngiùs, sed pótiùs infirmarentur videntes ante pedes suos infirmam divinitátem ex participatióne túnicæ pellíceæ nostræ, & lassi prosternerentur in eam, illa autem surgens leváret eos.

℟. Ipse infirmitátes nostras accépit, * Et † Ægrotatiónes nostras portávit. ℣. Pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm. * Et. ℣. Glória. † Ægrotatiónes. *Matth.* 8. *Isai.* 53.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 18.

NUllis méritis grátiam Dei præveniéntibus, debétur merces bonis opéribus si fiant; sed grátia quæ non debétur, præcédit ut fiant.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 16.

DE collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinávi Ecclésiis Galátiæ, ita & vos fácite. Per unam sábbati unusquisque vestrûm apud se sepónat, recondens quod ei bene placúerit: ut non, cùm vénero, tunc collectæ fiant. Cùm autem præsens fúero: quos probavéritis per epístolas, hos mittam perferre grátiam vestram in Jerúsalem. Quòd si dignum fúerit ut & ego eam, mecum ibunt. ¶ Spero me aliquántulùm témporis manére apud vos, si Dóminus permíserit. Permanébo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum, & évidens: & adversárii multi. Si autem vénerit Timótheus, vidéte ut sine timóre sit apud vos: opus enim Dómini operátur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat: dedúcite autem illum in pace, ut véniat ad me: exspecto enim illum cum frátribus.

LECTIO II.

VIgiláte, state in fide, viríliter ágite, & confortámini. Omnia vestra in caritáte fiant. Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stéphanæ, & Fortunáti, & Achaici: quóniam sunt primítiæ Acháiæ, & in ministérium sanctórum ordinavérunt seipsos: ut & vos súbditi sitis ejúsmodi, & omni cooperanti, & laboranti. Gaudeo

autem in præséntiâ Stéphanæ, & Fortunáti, & Achâici; quóniam id quod vobis déerat, ipsi supplevérunt: refecérunt enim & meum spíritum, & vestrum. Cognóscite ergo qui hujúsmodi sunt. ¶ Salútant vos Ecclésiæ Asiæ. Salútant vos in Dómino multùm, Aquila, & Priscilla cum doméſticâ suâ Ecclésiâ: apud quos & hóspitor. Salútant vos omnes fratres. Salutáte ínvicem in ósculo sancto. Salutátio, meâ manu Pauli. Si quis non amat Dóminum nostrum Jesum Christum, sit anáthema, Maran Atha. Grátia Dómini nostri Jesu Christi vobíscum. Cáritas mea cum ómnibus vobis in Christo Jesu. Amen.

℟. I. Ingressus in portas justítiæ confitébor Dómino: * Hæc porta Dómini justi intrábunt in eam. ℣. Cáritas óperit multitúdinem peccatórum. *Ps.* 117. *I. Petr.* 4.

℟. II. In hoc cognóvimus caritátem Dei, * Quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit. ℣. Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos; * Quóniam. *I. Joan.* 3. & 4.

℟. III. Qui díligit Deum exorábit pro peccátis, & continébit se ab illis, & in oratióne diérum exaudiétur. * Qui non díligit manet in morte. ℣. Univérsa delícta óperit cáritas. * Qui. *Eccli.* 3. *I. Joan.* 3. *Prov.* 10.

℟. IV. Omnis qui díligit ex Deo natus est, & cognóscit Deum. Qui non díligit, non novit Deum. * Quóniam Deus cáritas est. ℣. Si quis non amat Dóminum nostrum Jesum Christum, sit anáthema. * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *I. Joan.* 4. *I. Cor.* 16.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Augustíni Epíscopi de verâ Religióne. *Edit. Bened. Cap.* 16.

SAtéllites voluptátum divítias perniciósè pópuli appetébant: pauper Christus esse vóluit. Honóribus & impériis inhiábant: rex fieri nóluit. Contumélias superbíssimè horrébant: omne genus contumeliárum sustínuit. Injúrias intolerábiles esse arbitrabantur: quæ major injúria quàm justum innocentemque damnári? Dolóres córporis exsecrabantur: flagellátus atque cruciátus est. Mori metuébant: morte mulctátus est. Ignominiosíssimum mortis genus crucem putábant: crucifixus est. Omnia quæ habére cupientes non re-

ctè vivebámus, carendo vilefécit. Omnia quæ vitáre cupientes à stúdio deviabámus veritátis, perpetiendo dejécit. Non enim ullum peccátum committi potest, nisi aut dum appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustínuit. Tota ítaque vita ejus in terris per hóminem, quem suscípere dignátus est, disciplína morum fuit.

℟. Non est servus major dómino suo. Si hæc scitis, * Beáti éritis, si fecéritis ea. ℣. Exemplum enim dedi vobis, ut quemádmodum ego feci vobis, ita & vos faciátis. * Beáti. ℣. Glória. * Beáti. *Joan.* 13.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 22.

NEmo habet de suo nisi mendácium & peccátum; si quid autem habet homo veritátis atque justítiæ, ab illo fonte est, quem debémus sitíre in hâc erémo, ut ex eo, quasi guttis quibusdam irroráti, non deficiámus in viâ.

Ad Magníficat. *Ant.* Si qua in Christo nova creatúra, vétera transiérunt: ecce facta sunt ómnia nova. *II. Cor.* 5.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 452.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, & Timótheus frater; Ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi cum ómnibus sanctis, qui sunt in universâ Achaiâ. Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Benedictus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, & Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostrâ, ut possímus & ipsi consolári eos, qui in omni pressúrâ sunt, per exhortatiónem quâ exhortámur & ipsi à Deo.

℟. Si dicébam: Motus est pes meus; misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me. * Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. ℣. Sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolátio nostra. * Secundùm. *Ps.* 93. *II. Cor.* 1.

LECTIO II.

SIve autem tribulámur pro vestrâ exhortatióne & salúte, sive consolámur pro vestrâ consolatióne, sive exhortámur, pro vestrâ exhortatióne & salúte, quæ operátur toleràntiam earumdem passiónū, quas & nos pátimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes quòd sicut sócii passiónum estis, sic éritis & consolatiónis. Non enim vólumus ignoráre vos, fratres, de tribulatióne nostrâ, quæ facta est in Asiâ, quóniam supra modum graváti sumus supra virtútem, ita ut tædéret nos étiam vívere.

℟. Fidélis sermo: Si commórtui sumus, & convivémus: * Si sustinébimus, & conregnábimus. ℣. Usque in tempus sustinébit pátiens, & póstea reddítio jucunditátis. * Si sustinébimus. *II. Tim.* 2. *Eccli.* 1.

LECTIO III.

SEd ipsi in nobismetipsis respónsum mortis habúimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui súscitat mórtuos: qui de tantis perículis nos erípuit, & éruit: in quem sperámus quóniam & adhuc erípiet, adjuvántibus & vobis in oratióne pro nobis: ut ex multórum persónis, ejus quæ in nobis est donatiónis, per multos grátiæ agantur pro nobis.

℟. Si ambulávero in médio umbræ mortis, * Non timébo mala, quóniam tu mecum es, Dómine. ℣. Si Deus pro nobis, qui contra nos? * Non. *Ps.* 22. *Rom.* 8.

LECTIO IV.

NAm glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ, quòd in simplicitáte cordis & sinceritáte Dei, & non in sapiéntiâ carnáli, sed in grátiâ Dei conversáti sumus in hoc mundo: abundántiùs autem ad vos. Non enim ália scríbimus vobis, quàm quæ legistis, & cognovistis. Spero autem quòd usque in finem cognoscétis, sicut & cognovistis nos ex parte, quòd glória vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Deus meus, in te confído, non erubescam; * Etenim univérsi qui sústinent te, non confundéntur. ℣. Pátior, sed non confúndor, scio enim cui crédidi. * Etenim ℣ Glória. * Etenim. *Ps.* 24. *II. Tim.* 1.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Libro sexto Strómatum sancti Clementis Alexandríni. *Edit. Oxon. II. Sec. fin. n.* 18.

NOn sunt fide digni cùm de Deo dicunt hómines, quátenus hómines. Neque enim qui homo est, potest pro dignitáte de Deo vera dícere; imbecillus & morti obnóxius, de ingénito, & eo in quem non cadit intéritus: & opus de eo qui fecit. Deinde qui non potest de seipso vera dícere, an non multò magis nec de Deo quidem ei credendum est? Quantùm enim abest homo à Dei potestáte, tam est étiam ejus orátio imbecilla, etiamsi non Deum, sed de Deo dicat, & verbo divíno.

℟. Quis investigábit magnália Dei? * Virtútem autem magnitúdinis ejus quis enuntiábit? aut quis adjíciet enarráre misericórdiam ejus? ℣. Magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus. * Virtútem. *Eccli.* 18. *Baruch.* 3.

LECTIO VI.

ESt enim imbecilla natúrâ humána orátio, & quæ non possit Deum dícere, non dico nomen, est enim hoc commúne non solùm philósophis, sed étiam poétis eum nomináre; neque esséntiam, id quidem impossíbile: sed vim & ópera Dei. Et quidem qui Deum sibi adscríbunt magistrum vix pervéniunt ad Dei notítiam, opem eis ferente grátiâ ad quantulamcumque cognitiónem, útpote voluntáte voluntátem, & sancto Spíritu sanctum Spíritum contempl'ári assuefacti. Quóniam Spíritus scrutátur Dei profunda. Animális autem homo non capit ea quæ sunt Spíritûs. Sola ergo est à Deo trádita, quæ est apud nos sapiéntia, à quâ dependent omnes fontes sapiéntiæ, quicumque ad veritátem feruntur.

℟. Quæ in cœlis sunt quis investigábit? * Sensum autem tuum, Dómine, quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam; & míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis. ℣. Difficilè æstimámus quæ in terrâ sunt: & quæ in prospectu sunt, invenímus cum labóre: * Sensum. *Sap.* 9.

LECTIO VII.

Ex Libro quinto sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. II. Sec. med. Cap.* 1.

NOn áliter nos díscere poterámus quæ sunt Dei, nisi Magister noster; Verbum exsístens, homo

factus fuisset, Neque enim álius póterat enarráre nobis quæ sunt Patris; nisi próprium ipsíus Verbum. Quis enim álius cognóvit sensum Dómini? aut quis álius ejus consiliárius factus est? Neque rursus nos áliter díscere poterámus, nisi Magistrum nostrum videntes, & per audítum nostrum vocem ejus percipientes: uti imitatóres quidem óperum, factóres autem sermónum ejus facti, communiónem habeámus cum ipso; à perfecto, & eo qui est ante omnem conditiónem, augmentum accipientes.

℟. Deum nemo vidit unquam: * Unigénitus Fílius qui est in sinu Patris, ipse enarrávit. ℣. Lucem inhábitat inaccessíbilem: quem nullus hóminum vidit, sed nec vidére potest: * Unigénitus. *Joan.* 1. *I. Tim.* 6.

LECTIO VIII.

Ex Libro quinto sancti Hilárii Epíscopi de Trinitáte. *Edit. Ben. IV. Sec. med. n.* 20.

NOn potest Deus nisi per Deum intélligi, sícuti nec honórem à nobis Deus nisi per Deum áccipit. Namque honorandus esse non intelligétur, nisi iste docúerit honorandum: nec Deus sciétur, nisi hic Deus scitus sit. Habet dispensátio sacramentórum suum órdinem. Ad Dei honórem per Deum docémur. Non est de Deo humánis judíciis sentiendum. Neque enim nobis ea natúra est, ut se in cœlestem cognitiónem suis víribus éfferat. A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit: quia nonnísi se autóre cognóscitur. Adsit licèt seculáris doctrínæ elaboráta institútio, adsit vitæ innocéntia: hæc quidem proficient ad consciéntiæ gratulatiónem, non tamen cognitiónem Dei consequentur. Loquendum ergo non áliter de Deo est, quàm ut ipse ad intelligéntiam nostram de se locútus est.

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli & terræ, quia abscondísti hæc à sapiéntibus & prudéntibus, & revelasti ea párvulis. * Nemo novit Fílium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Fílius, & cui volúerit Fílius reveláre. ℣. Quis suscitávit omnes términos terræ? quod nomen est ejus, & quod nomen Fílii ejus si nosti? * Nemo. ℣. Glória. * Nemo. *Matth.* 11. *Prov.* 30.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. *Cap.* 15.

AUdáciùs autem scripsi vobis, fratres, ex

parte, tamquàm in memóriam vos redúcens: propter grátiam, quæ data est mihi à Deo, ut sim minister Christi Jesu in Géntibus: sanctíficans Evangélium Dei, ut fiat oblátio Géntium accepta, & sanctificáta in Spíritu sancto. Hábeo ígitur glóriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim áudeo áliquid loqui eórum, quæ per me non éfficit Christus in obediéntiam Géntium, verbo & factis: in virtúte signórum, & prodigiórum, in virtúte Spíritûs sancti: ita ut ab Jerúsalem per circúitum usque ad Illyricum repléverim Evangélium Christi.

℟. Grátiâ Dei sum id quod sum. * Et grátia ejus in me vácua non fuit. ℣. Abundántiùs ómnibus laborávi: non ego autem, sed grátia Dei mecum. * Et grátia. *I. Cor.* 15.

LECTIO X.

SIc autē prædicávi Evangélium hoc, non ubi nominátus est Christus, ne super aliénum fundamentum ædificárem: sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiátum de eo, vidébunt: & qui non audiérunt, intélligent. Propter quod & impediébar plúrimùm veníre ad vos, & prohíbitus sum usque adhuc. Nunc verò ultériùs locum non habens in his regiónibus, cupiditátem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedéntibus annis: cùm in Hispániam proficísci cœpero, spero quòd prætériens vídeam vos, & à vobis dedúcar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fúero.

℟. Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, & illumináre omnes, * Quæ sit dispensátio sacramenti abscónditi à séculis in Deo. ℣. Quibus non est narrátum de eo, vidérunt; & qui non audiérunt, contempláti sunt, * Quæ sit. *Ephes.* 3. *Isai.* 52.

LECTIO XI.

NUnc ígitur profíciscar in Jerúsalē ministráre sanctis. Probavérunt enim Macedónia & Achája, collatiónem áliquam fácere in páuperes sanctórum, qui sunt in Jerúsalem. Plácuit enim eis: & debitóres sunt eórum: nam si spirituálium eórum partícipes facti sunt Gentíles: debent & in carnálibus ministráre illis. Hoc ígitur cùm consummávero, & assignávero eis fructum hunc: per vos profíciscar in Hispániam. Scio autem quóniam véniens ad vos, in abundántiâ benedictiónis Evangélii Christi véniam.

℟. Misericórdiam & veritátem díligit Deus; * Grá-

tiam & glóriam dabit Dóminus: non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntiâ. ℣. Hílarem datórem díligit Deus; potens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis: * Grátiam. *Ps.* 83. *II. Cor.* 9.

Lectio XII.

OBsecro ergo vos, fratres, per Dóminum nostrum Jesum Christum, & per caritátem sancti Spíritûs, ut adjuvétis me in oratiónibus vestris pro me ad Deum, ut líberer ab infidélibus, qui sunt in Judæâ, & obséquii mei oblátio accepta fiat in Jerúsalem sanctis, ut véniam ad vos in gáudio per voluntátẽ Dei, & refrígerer vobíscum. Deus autem pacis sit cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Oráte, ut sermo Dei currat & clarificétur: * Non enim ómnium est fides. ℣. Non omnes obédiunt Evangélio. * Non. ℣. Glória. * Non. *II. Thess.* 3. *Rom.* 10.

Evangelium.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 13.

DIxit Jesus turbis parábolam hanc: Símile factum est regnum cœlórum hómini, qui seminávit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormírent hómines, venit inimícus ejus, & superseminávit zizánia in médio trítici, & ábiit. Cùm autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuérunt & zizánia. Accedentes autem servi Patris-famílias, dixérunt ei: Dómine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizánia? Et ait illis: Inimícus homo hoc fecit. Servi autem dixérunt ei: Vis, imus, & collígimus ea? Et ait: Non: ne fortè colligentes zizánia, eradicétis simul cum eis & tríticum. Sínite útraque créscere usque ad messem; & in témpore messis dicam messóribus: Collígite primùm zizánia, & adligáte ea in fascículos ad comburendum: tríticum autem congregáte in hórreum meum.

Ad Benedictus. *Ant.* Dómine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizánia? Et ait illis: Inimícus homo hoc fecit. *Matth.* 13.

Collecta. *Sacr. Greg.*

FAmíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínuâ pietáte custódi: † ut quæ in solâ spe grátiæ cœlestis innítitur, * tuâ semper protectióne muniátur; Per Dóminum.

Canon.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 20.

MUlta Deus facit in hómine bona, quæ

non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstat ut fáciat homo.

Ad Magníficat. *Ant.* Servi autem dixérunt ei: Vis, imus, & collígimus ea? & ait: Non: ne fortè colligentes zizánia, eradicétis simul cum eis & tríticum. *Matth.* 15.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 1.

ET hâc confidéntiâ vólui priùs veníre ad vos, ut secundam grátiam haberétis: & per vos transíre in Macedóniam, & íterum à Macedóniâ veníre ad vos, & à vobis dedúci in Judæam. Cùm ergo hoc voluissem, numquid levitáte usus sum? aut quæ cógito, secundùm carnem cógito, ut sit apud me, Est, & Non? ¶ Fidélis autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo Est & Non. Dei enim Fílius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicátus est, per me, & Silvánum, & Timótheum, non fuit Est & Non, sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiónes Dei sunt, in illo Est: ídeò & per ipsum Amen Deo ad glóriam nostram. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus: qui & signávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris.

LECTIO II. *Cap.* 1. *&* 2.

EGo autem testem Deum ínvoco in ánimam meam, quòd parcens vobis, non veni ultrà Corínthum: non quia dominámur fidei vestræ, sed adjutóres sumus gáudii vestri: nam fide statis. Státui autem hoc ipsum apud me, ne íterum in tristítiâ venírem ad vos. Si enim ego contristo vos: & quis est, qui me lætíficet, nisi qui contristátur ex me? ¶ Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cùm vénero, tristítiam super tristítiam hábeam, de quibus oportúerat me gaudére: confidens in ómnibus vobis, quia meum gáudium, ómnium vestrûm est. Nam ex multâ tribulatióne, & angústiâ cordis scripsi vobis per multas lácrymas: non ut contristémini: sed ut sciátis, quam caritátem hábeam abundántiùs in vobis.

℟. I. Præter illa quæ extrínsecus sunt, instántia mea quotidiána; sollicitúdo ómnium Ecclesiárum; * Quis infirmátur, & ego non infirmor? quis scandalizátur & ego non uror? ℣. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem

salvos. * Quis. *II. Cor.* 11. *I. Cor.* 9.

℟. II. Fidúciam habémus per Christum ad Deũ, * Qui & idóneos nos fecit minístros novi testamenti, non litterâ sed spíritu. ℣. Non quòd sufficientes simus cogitáre áliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficiéntia nostra ex Deo est, * Qui. *II. Cor.* 3.

℟. III. Glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ, quòd in simplicitáte cordis & sinceritáte Dei * Conversáti sumus in hoc mundo ℣. Non in sapiéntiâ carnáli, sed in grátiâ Dei, * Conversáti. *II. Cor.* 1.

℟. IV. Sicut probáti sumus à Deo ut crederétur nobis Evangéliũ, ita lóquimur * Non quasi homínibus placentes, sed Deo. ℣. Exhortátio nostra non de erróre, neque de immundítiâ, neque in dolo. * Non. ℣. Glória. * Non. *I. Thess.* 2.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Ignátii Epíscopi & Mártyris ad Ephésios. *Edit. Cotel. ex Græco. n.* 15.

MElius est, tacére & esse; quàm loquentem, non esse. Bonum est docére, si qui dicit, fáciat. Unus ígitur Doctor, qui dixit, & factum est: sed & quæ silens fecit, digna Patre sunt. Qui verbum Jesu póssidet, verè potest & siléntium ipsíus audíre, ut perfectus sit: ut per quæ lóquitur operétur, & per quæ silet cognoscátur. Nihil latet Dóminum, sed & arcána nostra prope ipsum sunt. Omnia ítaque faciámus, sicut ipso in nobis habitante; ut illíus simus templa, & ipse sit in nobis Deus noster; quómodò & est, & apparébit ante fáciem nostram, ex quibus justè diligimus eum.

℟. Non necesse habétis ut áliquis dóceat vos; sed sicut únctio ejus docet vos de ómnibus, & verum est, & non est mendácium: * Et sicut dócuit vos, manéte in eo. ℣. Filii Sion, exsultáte & lætámini in Dómino Deo vestro: quia dedit vobis Doctórem justítiæ; * Et sicut. ℣. Glória. * Et sicut. *I. Joan.* 2. *Joel.* 2.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 23.

SUam voluntátem hómines fáciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet, quando autem ita id fáciunt quod volunt, ut divínæ sérviant voluntáti, quamvis volentes agant, illíus tamen voluntas est, à quo & præparátur & jubétur quod volunt.

FERIA

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap. 2.*

SI quis autem contristávit, non me contristávit : sed ex parte, ut non ónerem omnes vos. Súfficit illi, qui ejúsmodi est, objurgátio hæc, quæ fit à plúribus; ita ut è contrário magìs donétis, & consolémini, ne fortè abundantióri tristítiâ absorbeátur qui ejúsmodi est. Propter quod óbsecro vos, ut confirmétis in illum caritátem. ¶ Ideò enim & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in ómnibus obedientes sitis. Cui autem áliquid donastis, & ego : nam & ego, quod donávi, si quid donávi, propter vos in persónâ Christi, ut non circumveniámur à sátana : non enim ignorámus cogitatiónes ejus.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

CUm venissem autem Tróadē propter Evangélium Christi, & óstium mihi apertum esset in Dómino, non hábui réquiem spirítui meo, eo quòd non invénerim Titum fratrem meum, sed valefáciens eis, proféctus sum in Macedóniam. ¶ Deo autem grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu & odórem notítiæ suæ manifestat per nos in omni loco : quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, & in iis, qui péreunt : áliis quidem odor mortis in mortem : áliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idóneus ? Non enim sumus sicut plúrimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritáte, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo lóquimur.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris, de Zelo & Livóre. *Edit. Baluz.*

ILle séquitur Christum qui præceptis ejus insistit, qui per magistérii ejus viam gráditur ; qui vestígia ejus atque itinera sectátur ; qui id quod Christus & dócuit & fecit imitátur : secundùm quod Petrus quoque hortátur & monet dicens : Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequámini vestigia ejus. Meminisse debémus quo vocábulo plebem suam Christus appellet, quo título gregem suum núncupet. Oves nóminat, ut innocéntia Christiána óvibus æquétur. Agnos vocat, ut agnórum natúram símplicem simplícitas mentis imitétur. Quid sub vestítu óvium

lupus látitat, quid gregem Christi qui se Christiánum mentitur infámat? Christi nómen indúere, & non per Christi viam pérgere, quid áliud quam prævaricatio est divíni nóminis, quam desértio itíneris salutáris; quando ipse dóceat & dicat eum ad vitam veníre qui mandáta serváverit, & eum esse sapientem qui verba ejus audíerit & fécerit, doctórem quoque eum máximum in regno cœlórum vocári, qui fécerit & sic docúerit; tunc prædicanti profutúrum quod bene atque utiliter prædicátum fúerit, si id quod ore prómitur, factis sequéntibus impleátur.

℟. Agnoscent qui derelícti sunt quóniam nihil dúlcius quàm respícere in mandátis Dómini. * Glória magna est sequi Dóminum. ℣. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequámini vestígia ejus. * Glória magna. ℣. Glória. * Glória magna. *Eccli.* 23. *I. Petr.* 2.

CANON.

Ex Epístolâ Bonifácii Papæ secundi, ad Cæsárium Arelatensem Epíscopum. *Pro confirmatione Concilii Arausicani II. An.* 530.

DE grátiâ Dei præveniente totíus bonæ voluntátis inítium, cùm multi Patres, & præ cæteris beátæ recordatiónis Augustínus Epíscopus; sed & majóres nostri Apostólicæ sedis Antístites, ita ratióne probentur disseruisse latíssimâ, ut nulli ultérius debéret esse ambíguum, fidem quoque nobis ipsam veníre de grátiâ, supersedendum dúximus responsióne multíplici.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 4.

HAbentes autem eumdem spíritum fidei, sicut scriptum est: Crédidi propter quod locútus sum: & nos crédimus, propter quod & lóquimur: sciéntes quóniam qui suscitávit Jesum, & nos cum Jesu suscitábit, & constítuet vobíscum. Omnia enim propter vos: ut grátia abundans, per multos in gratiárum actióne, abundet in glóriam Dei. ¶ Propter quod non defícimus: sed licèt is, qui foris est, noster homo corrumpátur: tamen is, qui intus est, renovátur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modũ in sublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis, non contem-

plántibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporália sunt: quæ autem non videntur, ætérna sunt.

LECTIO II. *Cap. 5.*

SCimus enim, quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam & qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti: eo quòd nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, à vitâ. Qui autem éfficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spíritûs. ¶ Audentes ígitur semper, sciéntes quóniam dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino: (per fidem enim ambulámus, & non per spéciem:) audémus autem, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præséntes esse ad Dóminum. Et ídeò conténdimus, sive abséntes, sive præséntes, placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

℟. I. Primítias Spíritûs habentes; * Et ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri. ℣. Peregríni sumus coràm te Dómine, & ádvenæ sicut patres nostri. * Et ipsi. *Rom.* 8. *I. Paral.* 29.

℟. II. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondisti timéntibus te! * Perfecisti eis, qui sperant in te. ℣. Quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit, * Perfecisti. *Ps.* 30. *I. Cor.* 2.

℟. III. Credo vidére bona Dómini in terrâ vivéntium. * Unam pétii à Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ. ℣. Non habémus hìc manentem civitátem: sed futúram inquírimus. * Unã. *Ps.* 26. *Hebr.* 13.

℟. IV. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te Deus. * Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: † Quando véniam & apparébo ante fáciem Dei? ℣. Desidérium habens dissolvi & esse cum Christo, * Sitívit. ℣. Glória. † Quando. *Ps.* 41. *Philip.* 1.

LECTIO III.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi in Joannis Evangélium. *Edit. Bened. Tract. 29. Cap. 6.*

QUis nésciat hoc esse fácere voluntátẽ Dei, operári opus ejus, id est, quod illi placet? Ipse autem Dóminus apertè dicit: Hoc est opus Dei, ut credátis in eum quem ille misit, ut credátis in eum, non, ut credátis ei. Sed si créditis in eum, créditis ei: non autem contínuò qui credit ei, credit in eum. Quid est ergo crédere in eum? credendo amáre, credendo dilígere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporári; ipsa est ergo fides quam de nobis éxigit Deus: & non ínvenit quod éxigat, nisi donáverit quod invéniat. Quæ fides, nisi quam definívit álio loco Apóstolus pleníssimè dicens; Neque Circumcísio valet, neque præpútium, sed fides quæ per dilectiónem operátur? Hæc in te sit, & intélliges de doctrínâ.

℟. Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte. * Quia in ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter. ℣. Magister vester unus est Christus. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Coloss. 2. Matth. 23.*

CANON.

Ex Epístolâ Bonifácii Papæ secundi, ad Cæsárium Arelatensem Epíscopum. *Pro confirmatione Concilii Arausicani II. An. 530.*

CErtum est atque Cathólicum, quia in ómnibus bonis, quorum caput est fides, nolentes nos adhuc misericórdia divína prævéniat ut velímus; insit nobis cùm vólumus; sequátur étiam ut in fide durémus, sicut David Prophéta dicit: Deus meus misericórdia ejus prævéniet me; & íterum: Misericórdia mea cum ipso est; & álibi: Misericórdia ejus subsequétur me.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap. 5.*

SCientes ergo timórem Dómini, homínibus suadémus, Deo autẽ manifesti sumus. Spero autem & in consciéntiis vestris manifestos nos esse. Non íterum commendámus nos vobis, sed occasiónem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeátis ad eos, qui in fácie gloriantur, & non in corde. Sive enim mente excédimus, Deo: sive sóbrii sumus, vobis.

¶ Cáritas enim Christi urget nos : æstimantes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt : & pro ómnibus mórtuus est Christus : ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mórtuus est & resurrexit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secundùm carnem. Et si cognóvimus secundùm carnem Christum : sed nunc jam non nóvimus.

Responsoria ut suprà Feriâ II. pag. 453.

Lectio II. *Cap.* 5 & 6.

SI qua ergo in Christo nova creatúra, vétera transiérunt: ecce facta sunt ómnia nova. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit sibi per Christum, & dedit nobis ministérium reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delicta ipsórum, & pósuit in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fungimur, tamquàm Deo exhortante per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo. Eum, qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit, ut nos efficerémur justítia Dei in ipso. ¶ Adjuvantes autem exhortámur ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim : Témpore accepto exaudívi te, & in die salútis adjúvi te. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis : némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum : sed in ómnibus exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros : in multâ patiéntiâ, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntiâ, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu sancto, in caritáte non fictâ, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ à dextris, & à sinistris : per glóriam, & ignobilitátem ; per infámiam & bonam famam : ut seductóres, & veráces ; sicut qui ignóti, & cógniti : quasi morientes, & ecce vívimus ; ut castigáti, & non mortificáti ; quasi tristes, semper autem gaudentes ; sicut egentes, multos autem locupletantes ; tamquàm nihil habentes, & ómnia possidentes.

Lectio III.

Ex Libro sancti Augustini Epíscopi de Prædestinatióne Sanctórum. *Edit. Ben. Cap.* 8.

EST scriptum in Prophétis : Et erunt omnes docíbiles Dei. Omnis qui

audívit à Patre, & didicit, venit ad me. Quid est, Omnis qui audívit à Patre, & dídicit venit ad me, nisi, nullus est qui áudiat à Patre & discat, & non véniat ad me? Si enim omnis qui audívit à Patre & dídicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audívit à Patre nec dídicit: nam si audísset & didicísset, veníret. Valde remóta est à sénsibus carnis hæc schola, in quâ Deus audítur & docet. Multos veníre vidémus ad Fílium, quia multos crédere vidémus in Christum: sed ubi & quómodo à Patre audíerint hoc & didícerint, non vidémus. Nimírum grátia ista secréta est. Hæc ítaque grátia, quæ occultè humánis córdibus divínâ largitáte tribúitur, à nullo duro corde respúitur. Ideò quippe tribúitur, ut cordis durítia prímitus auferátur. Quando ergo Pater intus audítur & docet, ut veniátur ad Fílium, aufert cor lapídeum, & dat cor cárneum, sicut Prophétâ prædicante promísit. Sic quippe facit fílios promissiónis, & vasa misericórdiæ quæ præparávit in glóriam.

℟. Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misit me, tráxerit eum. * Omnis, qui audívit à Patre, & dídicit, venit ad me. ℣. Est scriptum in Prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei. * Omnis. ℣. Glória. * Omnis. *Joan. 6.*

CANON.

Ex Epístolâ Bonifácii Papæ secundi ad Cæsárium Arelatensem Episcopum. *Pro confirmat. Concilii Arausf. II, An.* 530.

SI nihil boni est sine fide, fides autem ipsa veníre negétur ex grátiâ; nullum, quod absit, bonum erit grátiæ deputandum: ait enim Jacóbus Apóstolus: Omne datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre lúminum.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 7.

CAríssimi, mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritûs, perficientes sanctificatióne in timóre Dei. Cápite nos. Néminem læsimus, néminem corrúpimus, néminem circumvénimus. Non ad condemnatiónem vestram dico: prædíximus enim quòd in córdibus nostris estis, ad commoriendum, & ad convivendum. ¶ Multa mihi fidúcia est apud vos, multa mihi gloriátio pro vobis, replétus sum consolatióne, superabundo

gáudio in omni tribulatióne nostrâ. Nam & cùm venissémus in Macedóniam, nullam réquiem hábuit caro nostra, sed omnem tribulatiónem passi sumus: foris pugnæ, intus timóres. Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in adventu Titi. Non solùm autem in adventu ejus, sed étiam in consolatióne, quâ consolátus est in vobis, réferens nobis vestrum desidérium, vestrum fletum, vestram æmulatiónem pro me, ita ut magìs gaudérem.

LECTIO II.

QUóniam etsi contristávi vos in epístolâ, non me pœnitet: etsi pœnitéret, videns quòd epístola illa (etsi ad horam) vos contristávit, nunc gáudeo; non quia contristáti estis, sed quia contristáti estis ad pœniténtiam. Contristáti enim estis secundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiámini ex nobis. ¶ Quæ enim secundùm Deum tristítia est, pœniténtiam in salútem stábilem operátur: séculi autem tristítia mortem operátur. Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristári vos, quantam in vobis operátur sollicitúdinem: sed defensiónem, sed indignatiónem, sed timórem, sed desidérium, sed æmulatiónem, sed vindíctam. In ómnibus exhibuistis vos incontaminátos esse negótio.

℟. I. Abdicámus occulta dedécoris, non ambulantes in astútiâ, sed * In manifestatióne veritátis commendantes nosmetipsos ad omnem consciéntiam hóminum. ℣. Non sumus adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritáte, ex Deo, coram Deo, in Christo lóquimur. * In. *II. Cor.* 4. & 2.

℟. II. Habentes administratiónem, juxta quod misericórdiam consecúti sumus, * Non deficimus: sed licèt is, qui foris est, noster homo corrumpátur; tamen is qui intus est, renovátur de die in diem. ℣. In ómnibus tribulatiónem pátimur, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes. * Non. *II. Cor.* 4.

℟. III. Noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris, dum ab eo argúeris, * Quem enim díligit Dóminus castígat. ℣. Beátus homo qui corrípitur à Deo: increpatiónem ergo Dómini ne réprobes; *Quem. *Hebr.* 12. *Job.* 5.

℟. IV. Miserére ánimæ tuæ placens Deo. * Cóngrega cor tuum in sanctitáte ejus, & tristitiam longè repelle à te. Mul-

tos enim occídit tristítia, & non est utílitas in eâ. ℣. Gáudium, Dómini est fortitúdo nostra, * Cóngrega. ℣. Glória. * Cóngrega. *Eccli.* 38. *II. Esdr.* 8.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Ignátii Epíscopi & Mártyris ad Philadelphénos. *Edit. Cotel. ex Græco. An.* 107. *n.* 8 & 9.

MIhi pro archívis est Jesus Christus: illibáta archíva crux ejus & mors, & resurréctio ejus, & fides quæ per ipsum: quibus justificári cúpio, per precatiónes vestras. Boni quidem sunt sacerdótes, præstántius autem quid est summus Póntifex, cui crédita sunt sancta sanctórum; cui soli secréta Dei sunt trádita. Ipse est jánua Patris: per quam ingrediuntur Abrahámus, & Isaácus, & Jacóbus, & Prophétæ, & Apóstoli, atque Ecclésia. Omnia hæc ad unitátem Dei. Exímium autem quiddam habet Evangélium, nimírum adventum Salvatóris Dómini nostri Jesu Christi, passiónem ipsíus, ac resurrectiónem. Dilecti namque Prophétæ annuntiavérunt in ipsum: Evangélium verò perféctio est incorruptiónis. Omnia in universum bona sunt; modò in caritáte credidéritis.

℟. Ego sum via, & véritas, & vita. * Nemo venit ad Patrem nisi per me. ℣. Omnes quotquot venérunt fures sunt & latrónes, & non audiérunt eos oves. Ego sum óstium. * Nemo. ℣. Glória. * Nemo. *Joan.* 14. & 10.

CANON.

Ex Rescripto Innocéntii Papæ primi ad Carthaginense Concílium. *An.* 417.

QUid tam iníquum esse potest, tam bárbarum, tam totíus religiónis ignárum, tam Christiánis méntibus inimícum, quàm huic te negáre debére quidquid in quotidiánâ grátiâ conséqueris, cui te ipse confitéris debére, quod natus es? Ergo eris tibi in providendo præstántior, quàm potest is esse, qui te, ut esses, effécit? Et cum te putes, ei debére, quòd vivis; quómodò te non putas illi debére, quòd, quotidiánam ejus consequendo grátiam, táliter vivis?

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 7.

IGitur, etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit injúriam, nec propter eum qui passus est; sed

ad manifestandam sollicitúdinem nostram, quam habémus pro vobis coram Deo: ideò consoláti sumus. In consolatióne autem nostrâ, abundántiùs magis gavísi sumus super gáudio Titi; quia refectus est spíritus ejus ab ómnibus vobis. ¶ Et si quid apud illum de vobis gloriátus sum, non sum confúsus: sed sicut ómnia vobis in veritáte locúti sumus, ita & gloriátio nostra, quæ fuit ad Titum, véritas facta est, & víscera ejus abundántiùs in vobis sunt: reminiscentis ómnium vestrum obediéntiam: quómodo cum timóre & tremóre excepistis illum. Gáudeo quòd in ómnibus confido in vobis.

Responsoria ut suprà Feriâ II. pag. 453.

LECTIO II. *Cap.* 8.

NOtam autem fácimus vobis, fratres, grátiam Dei, quæ data est in Ecclésiis Macedóniæ: quòd in multo experimento tribulatiónis, abundántia gáudii ipsórum fuit: & altíssima paupertas eórum, abundávit in divítias simplicitátis eórum: quia secundùm virtútem testimónium illis reddo, & supra virtútem voluntárii fuérunt, cum multâ exhortatióne obsecrantes nos grátiam, & communicatiónem ministérii, quod fit in sanctos. ¶ Et non sicut sperávimus, sed semetipsos dedérunt primùm Dómino, deinde nobis per voluntátem Dei; ita ut rogarémus Titum: ut quemádmodum cœpit, ita & perfíciat in nobis étiam grátiam istam. Sed sicut in ómnibus abundátis fide, & sermóne, & sciéntiâ, & omni sollicitúdine, ínsuper & caritáte vestrâ in nos, ut & in hac grátiâ abundétis. Non quasi ímperans dico: sed per alióprum sollicitúdinem, étiam vestræ caritátis ingénium bonum comprobans.

LECTIO III.

Ex Libro tértio Pædagógi sancti Clementis Alexandríni. *Edit. Oxon. Sec. II. fin. Cap.* 12.

SIs propítius tuis, ô Pædagóge púeris, Pater, auríga Israel, Fili & Pater, unum ambo, Dómine. Da nobis, ut tua sequentes præcepta, impleámus similitúdinem imáginis, & pro víribus sentiámus bonum Deum, & júdicem non acerbum: præstáque ut omnes in tuâ pace versáti, & in tuam civitátem transláti, cùm undas peccáti tranquillè tranavérimus, plácidi cum sancto Spíritu ferámur: & ineffábili sapiéntiâ no-

ctu & intérdiu ad perfectum usque diem laudantes, grátias agámus, & grátias agentes laudémus unum Patrem & Filium, Filium & Patrem, Pædagógum & magistrum Filium, unà cum sancto Spíritu, qui unus est ómnia, in quo ómnia, per quem ómnia sunt unum; per quem est ætérnitas, cujus membra sumus omnes, cujus sunt glória & sécula; qui est undequáque bonus, undequáque pulcher, undequáque sápiens, undequáque justus; cui glória nunc & in sécula seculórum. Amen.

℟. Non est in álio áliquo salus; * Quóniam per ipsum habémus accessum in uno Spíritu ad Patrem. ℣. Dicit Jesus: Nemo venit ad Patrem nisi per me; *Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Act.* 4. *Ephes.* 2. *Joan.* 14.

CANON.

Ex Rescripto Innocéntii Papæ primi, ad Carthaginense Concílium. *An.* 417.

QUid tam mortíferum, tam præceps videátur ad casum, tam expósitum ad ómnia perícula; si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quòd líberum arbítrium cùm nascerémur accépimus, ultra jam à Dómino nihil quærámus: id est, auctóris nostri oblíti, ejus poténtiam, ut nos ostendámus líberos, abjurémus: quasi jam ámplius, quod dare possit, non hábeat, qui te in tuo ortu líberum fecit.

Ad Magníficat. *Ant.* Jesus Christus heri & hódie; ipse & in sécula. *Hebr.* 13.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 469.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 8.

SCitis enim grátiam Dómini nostri Jesu Christi, quóniam propter vos egénus factus est, cùm esset dives, ut illíus inópiâ vos dívites essétis. Et consílium in hoc do; hoc enim vobis útile est, qui non solùm fácere, sed & velle cœpistis ab anno prióre: nunc verò & facto perfícite: ut quemádmodum promptus est ánimus voluntátis, ita sit & perficiendi ex eo, quod habétis.

℟. Suscípite infirmos, semper quod bonum est sectámini in omnes: * Hæc

est enim voluntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. ℣. Suscípite invicem, sicut & Christus suscépit vos in honórem Dei: * Hæc. *I. Thess.* 5. *Rom.* 15.

LECTIO II.

SI enim voluntas prompta est; secundùm id quod habet, accepta est, non secundùm id quod non habet. Non enim ut áliis sit remíssio, vobis autem tribulátio, sed ex æqualitáte. In præsenti témpore vestra abundántia illórum inópiam súppleat: ut & illórum abundántia vestræ inópiæ sit supplementum, ut fiat æquálitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundávit; & qui módicum, non minorávit.

℟. Quómodo potúeris, ita esto miséricors, * Si multum tibi fúerit, abundanter tribue; si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum impertíri stude. ℣. In omni dato hílarem fac vultum tuum. Da Altíssimo secundùm datum ejus. * Si. *Tob.* 4. *Eccli.* 35.

LECTIO III.

GRátias autem Deo, qui dedit eamdem sollicitúdinem pro vobis in corde Titi, quóniam exhortatiónem quidem suscépit: sed cùm sollicítior esset, suâ voluntáte profectus est ad vos. Mísimus étiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias: non solùm autem, sed & ordinátus est ab Ecclésiis comes peregrinatiónis nostræ: in hanc grátiam, quæ ministrátur à nobis ad Dómini glóriam, & destinátam voluntátem nostram: devitantes hoc, ne quis nos vitúperet in hâc plenitúdine, quæ ministrátur à nobis. Providémus enim bona non solùm coram Deo, sed étiam coram homínibus.

℟. Potens est Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habentes, abundétis in omne opus bonum; * Sicut scriptum est: Dispersit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in séculum séculi. ℣. Fœnerátur Dómino qui miserétur páuperis, & vicissitúdinem suam reddet ei, * Sicut. *II. Cor.* 9. *Prov.* 19.

LECTIO IV.

MIsimus autem cum illis & fratrem nostrum: quem probávimus in multis sæpe sollícitum esse: nunc autem multò sollicitiórem, confidéntiâ multâ in vos, sive pro Tito, qui est sócius meus, & in

vos adjútor: sive fratres nostri, Apóstoli Ecclesiárum, glória Christi. Ostensiónem ergo, quæ est caritátis vestræ, & nostræ glóriæ pro vobis, in illos osténdite in fáciem Ecclesiárum.

℟. Tempus breve est, réliquum est, ut qui gaudent, tamquàm non gaudentes sint; & qui utuntur hoc mundo, tamquàm non utantur: * Prǽterit enim figúra hujus mundi. ℣. Vánitas vanitátum, & ómnia vánitas: * Prǽterit. ℣. Glória. * Prǽterit. *I. Cor.* 7. *Eccle.* 1.

IN II. NOCTURNO.

Lectio V.

Ex Libro quarto sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum Pelagiánum. *Ed. Ben. Cap.* 3.

ABsit ut sit áliquis justus verè nisi vivat ex fide. Justus enim ex fide vivit. Quis porrò eórum qui se Christiános habéri volunt, justum díxerit infidélem, justum díxerit ímpium, justum díxerit diábolo mancipátum? Sit licèt ille Fabrícius, sit licèt Fábius, sit licèt Scípio, sit licèt Régulus; pietátis libertáte clamábo: Nec in istis est vera justítia. Justus ex fide vivit. Fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi: finis legis Christus ad justítiam omni credenti.

℟. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetipso; * Justus autem in fide suâ vivet. ℣. Omne quod non est ex fide peccátum est: * Justus autem. *Habac.* 2. *Rom.* 14.

Lectio VI.

QUómodo sunt verè justi, quibus vilis est humílitas veri justi? Quò enim propinquavérunt intelligéntiâ, inde supérbiâ recessérunt. Quómodo est in eis vera justítia, in quibus non est vera sapiéntia? quam si eis tribuérimus, nihil erit causæ cur non eos ad illud regnum perveníre dicámus, de quo scriptum est: Concupiscéntia sapiéntiæ dedúcit ad regnum. Ac per hoc Christus gratìs mórtuus est, si hómines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtútem veram, ad justítiam veram, ad sapiéntiam veram, quâcumque re áliâ, quâcumque ratióne pervéniant.

℟. Sine fide impossíbile est placére Deo; * Crédere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquiréntibus se remunerátor sit. ℣. Si non credidéritis, non permanébitis; * Crédere. *Hebr.* 11. *Isai.* 7.

LECTIO VII.

PRorsus sicut de lege verissimè ait Apóstolus: Si per legem justítia, ergo Christus gratìs mórtuus est: ita verissimè dícitur: Si per natúram voluntatemque justítia, ergo Christus gratìs mórtuus est: si per doctrínas hóminum qualiscumque justítia, ergo gratìs Christus mórtuus est. Per quod enim vera justítia, per hoc étiam regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admíttitur justus: cùm & ipsum ejus regnum justítia sit.

℟. Non est in álio áliquo salus; * Nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus in quo opórteat nos salvos fieri; ℣. Fundamentum áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus; * Nec. *Act.* 4. *I. Cor.* 3.

LECTIO VIII.

POrrò si veram justítiam non habent ímpii, profectò nec álias virtútes cómites ejus & sócias; si quas habent, veras habent: (quia cùm non ad suum referuntur Autórem dona Dei; hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti.) Si ergo ad consequendam veram beatitúdinem, quam nobis immortálem fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt hómini virtútes, nullo modo veræ possunt esse virtútes.

℟. Christus Jesus factus est nobis sapiéntia à Deo, & justítia & sanctificátio & redémptio, * Ut quemádmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. ℣. Non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit, * Ut. ℣. Glória. * Ut. *I. Cor.* 1. *Tit.* 3.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 16.

COmmendo autem vobis Phœben sorórem nostram, quæ est in ministério Ecclésiæ, quæ est in Cenchris: ut eam suscipiátis in Dómino dignè sanctis: & adsistátis ei in quocumque negótio vestrî indiguérit: étenim ipsa quoque ádstitit multis, & mihi ipsi. Salutáte Priscam & Aquilam adjutóres meos in Christo Jesu; (qui pro ánimâ meâ suas cervíces supposuérunt: quibus non solus ego grátias ago, sed & cunctæ Ecclésiæ Géntium,) & doméstícam Ecclésiam eórum. Salutáte Epænetum dilectum mihi, qui est primitívus Asiæ in Chri-

sto. Salutáte Maríam, quæ multùm laborávit in vobis. Salutáte Andrónicum, & Júniam cognátos, & concaptívos meos: qui sunt nóbiles in Apóstolis, qui & ante me fuérunt in Christo.

℟. Caríssimi, diligámus nos ínvicem * Quia cáritas ex Deo est. ℣. Sunt probáta coram Deo & homínibus concórdia fratrum & amor proximórum, * Quia. *I. Joan.* 4. *Eccli.* 25.

LECTIO X.

SAlutáte ínvicem in ósculo sancto. Salútant vos omnes Ecclésiæ Christi. Rogo autem vos fratres, ut observêtis eos, qui dissensiónes & offendícula, præter doctrínam, quam vos didicistis, fáciunt, & declináte ab illis. Hujuscémodi enim Christo Dómino nostro non sérviunt, sed suo ventri; & per dulces sermónes, & benedictiónes, sedúcunt corda innocéntium. Vestra enim obediéntia in omnem locum divulgáta est. Gáudeo ígitur in vobis: sed volo vos sapientes esse in bono, & símplices in malo.

℟. Non sedi cum concílio vanitátis, & cum iníqua geréntibus non introíbo. * Odivi ecclésiam malignántium, & cum ímpiis non sedébo. ℣. Módicum fermentum totam massam corrumpit. * Odivi. *Ps.* 25. *I. Cor.* 5.

LECTIO XI.

DEus autem pacis cónterat Sátanam sub pédibus vestris velóciter. Grátia Dómini nostri Jesu Christi vobíscum. Salútat vos Timótheus adjútor meus, & Lúcius, & Jason, & Sosípater cognáti mei. Salúto vos ego Tértius, qui scripsi Epístolam, in Dómino. Salútat vos Cáius hospes meus, & univérsa Ecclésia. Salútat vos Erastus arcárius civitátis, & Quartus, frater. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Voluntátem timéntium se fáciet Dóminus & deprecatiónem eórum exáudiet: & salvos fáciet eos. * Custódit Dóminus omnes diligentes se. ℣. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generátio Dei consérvat eum. *. Custódit. *Ps.* 144. *I. Joan.* 5.

LECTIO XII.

EI autem, qui potens est vos confirmáre juxta Evangélium meum, & prædicatiónem Jesu Christi, secundùm revelatiónem mystérii tempóribus ætérnis táciti, (quod nunc patefactum est per scriptú-

ras Prophetárum secundùm præceptum æterni Dei, ad obeditiónem fidei,) in cunctis Géntibus cógniti, soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui honor & glória in sǽcula seculórum. Amen.

℟. Véritas de terrâ orta est, & justítia de cœlo prospéxit; * Etenim Dóminus dabit benignitátem, & terra nostra dabit fructum suum. ℣. Neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus; * Etenim. ℣. Glória. * Etenim. *Ps.* 84. *I. Cor.* 3.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.
Cap. 13.

DIxit Jesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo, seminávit in agro suo: quod mínimum quidem est ómnibus semínibus: cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus, & fit arbor, ita ut vólucres cœli véniant, & hábitent in ramis ejus. Aliam parábolam locútus est eis: Símile est regnum cœlórum fermento, quod acceptum múlier abscondit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. Hæc ómnia locútus est Jesus in parábolis ad turbas: & sine parábolis non loquebátur eis: ut impleréturquod dictum erat per Prophétam dicentem: Apériam in parábolis os meum, eructábo abscóndita à constitutióne mundi.

Ad Benedictus. *Ant.* Símile est regnum cœlórum fermento, quod acceptum múlier abscondit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. *Matth.* 13.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus, † ut semper rationabília meditantes, * quæ tibi sunt plácita, & dictis exsequámur & factis; Per Dóminum.

CANON.

Ex Rescripto Innocéntii Papæ primi, ad Carthaginense Concílium. *An.* 417.

NIsi magnis précibus grátia in nos imploráta descendat, nequáquam, terrénæ labis, & mundáni córporis víncere conémur errores, cùm pares nos ad resisténdum, non liberum arbítrium, sed Dei solum fácere possit auxílium.

Ad Magníficat. *Ant.* Sine parábolâ Jesus non loquebátur eis; seorsùm autem discípulis suis disserébat ómnia. *Marc.* 4.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap. 9.*

DE ministério, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scríbere vobis. Scio enim promptum ánimum vestrum, pro quo de vobis glórior apud Macédones. Quóniã & Achája paráta est ab anno prætérito, & vestra æmulátio provocávit plúrimos. Misi autem fratres, ut ne quod gloriámur de vobis, evacuétur in hac parte, ut (quemádmodum dixi) paráti sitis: ne cùm vénerint Macédones mecum, & invénerint vos imparátos, erubescámus nos (ut non dicámus vos) in hac substántiâ. ¶ Necessárium ergo existimávi rogáre fratres, ut prævéniant ad vos, & præparent repromissam benedictiónem hanc parátam esse, sic quasi benedictiónem, non tamquàm avarítiam. Hoc autem dico: Qui parcè séminat, parcè & metet; & qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet. Unusquisque prout destinávit in corde suo, non ex tristitiâ, aut ex necessitáte: hílarem enim datórem díligit Deus.

Responsoria ut heri in I. Noct. Dominicæ, pag. 464.

LECTIO II.

QUi autem adminístrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstábit, & multiplicábit semen vestrum, & augébit incrementa frugum justítiæ vestræ: ut in ómnibus locupletáti, abundéris in omnem simplicitátem, quæ operátur per nos gratiárum actiónem Deo. ¶ Quóniam ministérium hujus offícii non solùm supplet ea, quæ desunt sanctis, sed étiam abundat per multas gratiárum actiónes in Dómino, per probatiónem ministérii hujus, glorificantes Deum in obediéntiâ confessiónis vestræ, in Evangélium Christi, & simplicitáte communicatiónis in illos, & in omnes; & in ipsórum obsecratióne pro vobis, desiderántium vos propter eminentem grátiam Dei in vobis. Grátias Deo super inenarrábili dono ejus.

LECTIO III.

Ex Epístolâ primâ sancti Clementis Papæ & Mártyris ad Corínthios. *Edit. Cotel. I. Sec. n. 32 & 33.*

PAtriarchæ omnes glóriam & amplitúdinem consecúti sunt, non per seipsos, aut ópera sua, aut justas actiónes quas fecérunt; sed per voluntátem Dei. Et nos ígitur ex voluntáte illíus in Christo

Jesu vocáti, non per nos ipsos justi efficimur, neque per sapiéntiam nostram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis sanctitáte operáti sumus; sed per fidem, per quam cunctos qui unquam justi fuérunt, justificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? Cessábimus à bonis opéribus, & caritátem derelinquémus? Néutiquam hoc à nobis fieri permittat Dóminus: sed cum diligéntiâ & alacritáte, festinémus omne opus bonum perfícere.

℟. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetipso; * Justus autem in fide suâ vivet. ℣. Omne quod non est ex fide, peccátum est; * Justus. ℣. Glória. * Justus. *Habac.* 2. *Rom.* 4.

CANON.

Ex Rescripto Innocéntii Papæ primi, ad Carthaginense Concílium. *An.* 417.

QUàmvis hóminem redemisset Christus à prætéritis peccátis, tamen sciens íterum posse peccáre, ad reparatiónem sibi, quemádmodum posset illum & post ista corrígere, multa servávit, quotídiana præstans illi remédia; quibus nisi freti, confisíque nitámur, nullátenus humános víncere potérimus erróres. Necesse est enim, ut quo auxiliante víncimus, eo íterum non adjuvánte vincámur.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 10.

IPse autem ego Paulus óbsecro vos, per mansuetúdinem & modéstiam Christi, qui in fácie quidem húmilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. Rogo autem vos ne præsens áudeam, per eam confidéntiam, quâ exístimor audére in quosdam, qui arbitrantur nos tamquã secundùm carnem ambulémus. In carne enim ambulantes, non secundùm carnem militámus. ¶ Nam arma milítiæ nostræ non carnália sunt, sed poténtia Deo ad destructiónem munitiónũ, consília destruentes, & omnem altitúdinem extollentem se adversùs sciéntiam Dei, & in captivitátem redigentes omnem intellectum in obséquium Christi, & in promptu habentes ulcisci omnem inobediéntiam, cùm impléta fúerit vestra obediéntia. Quæ secundùm fáciẽ sunt, vidéte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cógitet íterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos.

LECTIO II.

Ut autem non existimer tamquam terrére vos per epístolas; quóniam quidem epístolæ, ínquiunt, graves sunt & fortes: præséntia autem córporis infírma, & sermo contemptíbilis: hoc cógitet qui ejúsmodi est, quia quales sumus verbo per epístolas absentes, tales & præsentes in facto. ¶ Non enim audémus insérere, aut comparáre nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis. Nos autem non in immensum gloriábimur, sed secundùm mensúram régulæ, quâ mensus est nobis Deus, mensúram pertingendi usque ad vos. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superexténdimus nos: usque ad vos enim pervénimus in Evangélio Christi.

℟. I. Ego in infirmitáte, & timóre, & tremóre multo, fui apud vos; & sermo meus, & prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis. * Ut fides vestra non sit in sapiéntiâ hóminum, sed in virtúte Dei. ℣. Veni, non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ annúntians vobis testimónium Christi. * Ut. *I. Cor.* 2.

℟. II. Evangélium nostrum non fuit in sermóne tantùm, sed & in virtúte, * Et in Spíritu sancto & in plenitúdine multâ. ℣. Signa Apostolátus mei facta sunt in omni patiéntiâ, in signis, & prodígiis, & in virtútibus. * Et. *I. Thess.* 1. *II. Cor.* 12.

℟. III. Fidúciam habémus per Christum ad Deum, * Qui & idóneos nos fecit minístros novi Testamenti; non litterâ sed spíritu. ℣. Non quòd sufficientes simus cogitáre áliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficiéntia nostra ex Deo est, * Qui. *II. Cor.* 3.

℟. IV. Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. * Non enim qui seipsum commendat, ille probátus est: sed quem Deus commendat. ℣. In hoc gloriétur, qui gloriátur, scire & nosse me, quia ego sum Dóminus. * Non. ℣. Glória. * Non. *II. Cor.* 10. *Jerem.* 9.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Ignátii Epíscopi & Mártyris ad Magnesiános. *Edit. Cotel. ex Græco. An.* 107. *n.* 8 & 9.

Diviníssimi Prophétæ juxta Christum Jesum vixérunt. Ob hoc & persecutiónem passi sunt; grátiâ ipsius inspiráti; ut qui incréduli, certi redderentur, quòd unus Deus est,

qui seipsum manifestávit per Jesum Christum Filium suum; qui est Verbum ipsíus ætérnum, non à siléntio progrédiens; quique in ómnibus ei qui ipsum míserat complácuit. Si ígitur qui in vetustis rebus versáti fúerant, ad novitátem spei venérunt, non ámplius sábbatum coléntes, sed juxta Domínicam viventes, in quâ & vita nostra exorta est per ipsum, & mortem ipsíus, quem quidam negant: (per quod mystérium fidem accépimus; & propter hoc sustinémus, ut inveniámur discípuli Jesu Christi, solíus Doctóris nostri:) quómodo nos potérimus vívere sine ipso? cujus étiam Prophétæ discípuli cùm essent, spíritu ipsum ut doctórem exspectábant: & propter hoc, is quem justè præstolabantur, advéniens suscitávit ipsos ex mórtuis.

℟. Exquisiérunt atque scrutáti sunt Prophétæ, qui de futúrâ in vobis grátiâ prophetavérunt; * Quibus revelátum est, † Quia non sibimetipsis, vobis autem ministrábant ea quæ nunc nuntiáta sunt vobis. ℣. Multi Prophétæ & justi cupiérunt vidére quæ vidétis, & non vidérunt; & audíre quæ audítis, & non audiérunt; * Quibus. ℣. Glória. † Quia. *I. Petr.* 1. *Matth.* 13.

CANON.

Ex Concílio Carthaginensi sub Zózimo Papâ. 214. *Episc. An.* 418. *apud Prosperum contra Collatorem.*

Constitúimus in Pelágium atque Cœléstiū, per venerábilem Epíscopum Innocéntium de beatíssimi Petri sede prolátam manére senténtiam, donec apertíssimâ confessióne fateantur grátiâ Dei per Jesum Christum, non solùm ad cognoscendam, verùm étiam ad faciendam justítiam, nos per actus síngulos adjuvári, ita ut sine illâ nihil veræ sanctæque pietátis habére, cogitáre, dícere, ágere valeámus.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 11.

Timeo, ne sicut serpens Hevam seduxit astútiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri, & éxcidant à simplicitáte, quæ est in Christo. Nam si is, qui venit, álium Christum prædicat, quem non prædicávimus, aut álium Spíritum accípitis, quem non accepistis, aut áliud Evangélium, quod non recepistis: rectè paterémini. ¶ Exístimo enim nihil me minus

fecisse à magnis Apóstolis. Nam etsi imperítus sermóne, sed non sciéntiâ, in ómnibus autem manifestáti sumus vobis. Aut numquid peccátum feci, meipsum humílians, ut vos exaltémini? Quóniam gratis Evangélium Dei evangelizávi vobis?

LECTIO II.

Alias Ecclésias exspoliávi, accípiens stipéndium ad ministérium vestrum. Et cùm essem apud vos, & egérem; nulli onerósus fui: nam quod mihi déerat, supplevérunt fratres, qui venérunt à Macedóniâ: & in ómnibus sine ónere me vobis servávi, & servábo. Est véritas Christi in me, quóniam hæc gloriátio non infringétur in me in regiónibus Acháiæ. Quare? quia non díligo vos? Deus scit. ¶ Quod autem fácio, & fáciam: ut ámputem occasiónem eórum, qui volunt occasiónem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos. Nam ejúsmodi pseudoapóstoli sunt, operárii súbdoli; transfigurantes se in Apóstolos Christi. Et non mirum: ipse enim sátanas transfigúrat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justítiæ: quorum finis erit secundùm ópera ipsórum.

℟. I. Audístis dispensatiónem grátiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: * Quóniam secundùm revelatiónem notum mihi factum est sacramentum. ℣. Evangélium quod Evangelizátum est à me, non est secundùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud. * Quóniã. *Ephes.* 3. *Galat.* 1.

℟. II. Ego dídici, in quibus sum, sufficiens esse: scio & humiliári, scio & abundáre: * Omnia possum in eo, qui me confortat. ℣. Ubíque & in ómnibus institútus sum, & satiári, & esuríre, & abundáre, & penúriam pati. * Omnia. *Philip.* 4.

℟. III. Non quæro quæ vestra sunt, sed vos; nec enim debent filii paréntibus thesaurizáre, sed parentes filiis: ego libentíssimè impendam, * Et superimpendar ipse pro animábus vestris. ℣. Sed etsi ímmolor supra sacrifícium, & obséquium fidei vestræ, gáudeo, * Et. *II. Cor.* 12. *Philip.* 2.

℟. IV. Providémus bona non solùm coram Deo, sed étiam coram homínibus; némini dantes ullam offensiónem, * Ut non vituperétur ministérium nostrum. ℣. Spem habens in Deum, stúdeo sine offendículo consciéntiam habére ad Deum, & ad hómines

ſemper, * Ut. ℣. Glória. * Ut. *II. Cor.* 8 & 6. *Act.* 24.

LECTIO III.

Ex Libro ſexto ſancti Hilárii Epíſcopi de Trinitáte. *Edit. Bened. IV. Sec. n.* 41 & 42.

SCribendi Evangélii non áliam ſanctus Joannes prætulit cauſam, quàm ut omnes créderent Jeſum eſſe Chriſtum Fílium Dei. Si súfficit ad ſalútẽ, Chriſtum crédere; cur adjécit Fílium Dei? Si verò Chriſtum crédere ea demum fides eſt, non Chriſtum tantúmmodo, ſed Chriſtum Fílium Dei credidiſſe, non eſt nomen Filii in Chriſto unigénito Deo ex adoptiónis conſuetúdine, quod próprium eſt ad ſalútem. Si ergo ſalus in confeſſióne nóminis eſt; quæro cur in nómine véritas non ſit? Quòd ſi in nómine véritas eſt, quâ autoritáte creátio eſſe dicétur, cùm non creatiónis conféſſio ſalútem ſit præſtitúra, ſed Fílii? Hæc ígitur ſalus vera eſt, hoc perfectæ fidei méritum, Jeſum Chriſtum Fílium Dei credidiſſe. Non eſt enim diléctio in nobis ad Deum Patrem, niſi per Fílii fidem.

℟. Pater díligit Fílium; & ómnia dedit in manu ejus. * Qui credit in Fílium habet vitam ætérnam: qui autem incrédulus eſt Fílio, non vidébit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. ℣. Hæc ſcripta ſunt, ut credátis quia Jeſus eſt Chriſtus Fílius Dei, & ut credentes vitam habeátis in nómine ejus. * Qui. ℣. Glória. * Qui. *Joan.* 3 & 20.

CANON.

Ex Epíſtolâ Hormiſdæ Papæ ad Poſſeſſórem. *Ep.* 70. *An.* 520.

DE arbítrio líbero, & grátiâ Dei, quod Romána, hoc eſt Cathólica, ſequátur & aſſevéret Eccléſia, licèt in váriis libris beáti Auguſtíni, & máximè ad Hilárium & Próſperum poſſit agnoſci, tamen in ſcríniis Eccleſiáſticis expreſſa capítula continentur.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Epíſtolâ ſecundâ beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios. *Cap.* 11.

ITerum dico, (ne quis me putet inſipientem eſſe, alióquin velut inſipientem accípite me, ut & ego módicum quid glórier) quod loquor, non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipiéntiâ, in hâc ſubſtántiâ glóriæ. Quóniam multi gloriantur ſecundùm carnem; & ego gloriábor.

Libenter enim suffertis insipientes : cùm sitis ipsi sapientes. Sustinétis enim si quis vos in servitútem rédigit, si quis dévorat, si quis áccipit, si quis extóllitur, si quis in fáciem vos cædit. ¶ Secundùm ignobilitátem dico, quasi nos infirmi fuérimus in hac parte. In quo quis audet (in insipiéntiâ dico) áudeo & ego : Hebræi sunt, & ego : Israelítæ sunt, & ego : Semen Abrahæ sunt, & ego : Ministri Christi sunt, (ut minùs sápiens dico) plus ego : in labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis supra modum, in mórtibus frequenter.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

A Judæis quínquies, quadragénas unâ minùs, accépi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itinéribus sæpe, perículis flúminum, perículis latrónum, perículis ex génere, perículis ex Géntibus, perículis in civitáte, perículis in solitúdine, perículis in mari, perículis in falsis frátribus : in labóre, & ærumnâ, in vigíliis multis, in fame, & siti, in jejúniis multis, in frígore, & nuditáte, præter illa, quæ extrínsecus sunt, instántia mea quotidiána, sollicitúdo ómnium Ecclesiárum. ¶ Quis infirmátur, & ego non infirmor ? quis scandalizátur, & ego non uror ? Si gloriári oportet : quæ infirmitátis meæ sunt, gloriábor. Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sécula, scit quod non méntior. Damasci præpósitus gentis Arétæ regis, custodiébat civitátem Damascenórum, ut me comprehénderet : & per fenestram in sportâ dimissus sum per murum, & sic effúgi manus ejus.

LECTIO III.

Ex Apológiâ primâ sancti Justíni Philósophi & Mártyris. *Edit. Bened. II. Sec. med. n. 63.*

NEmo cognóvit Patrem nisi Fílius, neque Fílium nisi Pater, & quibus reveláverit Fílius. Verbum autem Dei est ejus Fílius. Vocátur étiam Angelus, & Apóstolus ; ipse enim núntiat quæcumque cognosci decet, & míttitur ut índicet quæcumque nuntiantur : quemádmodum & ipse Dóminus noster ait : Qui me audit, eum qui me misit, audit. Qui cùm Verbum sit primogénitum Dei, Deus étiam est. Ac priùs quidem Mosi & cæteris Prophétis in spécie ignis &

imágine incorpóreâ visus est : nunc autem vestri impérii tempóribus, ex Vírgine homo factus secundùm Patris voluntátem pro eórum salúte, qui illi credunt, & pro níhilo habéri & pati sustínuit, ut mórtuus ac resurgens mortem vínceret. Quod autem ex rubo dictum est Mosi : Ego sum exsistens ille, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, & Deus Patrum tuórũ, argumento est eos étiam post mortem manére, & ipsíus Christi hómines esse. Hi enim primi ómnium in Dei inquisitióne versáti sunt.

℟. Omnia mihi trádita sunt à Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : * Neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui volúerit Filius reveláre. ℣. Ego sum via, & véritas, & vita : nemo venit ad Patrem nisi per me : * Neque. ℣. Glória. * Neque. *Matth.* 11. *Joan.* 14.

C A N O N.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Can.* 25.

INnumerabília sunt sanctárum Scripturárum testimónia, quæ possunt ad probandam grátiam proferri : sed brevitátis stúdio prætermissa sunt, quia & revérà cui pauca non suffíciunt, plura non próderunt.

F E R I A S E X T A.

L E C T I O I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 12.

SI gloriári oportet (non éxpedit quidem :) véniam autem ad visiónes, & revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo, ante annos quatuórdecim, sive in córpore néscio, sive extra corpus néscio, Deus scit, raptum hujúsmodi usque ad tértium cœlum. Et scio hujúsmodi hóminem, sive in córpore, sive extra corpus néscio, Deus scit : quóniam raptus est in paradísum : & audívit arcána verba quæ non licet hómini loqui. Pro hujúsmodi gloriábor : pro me autem nihil gloriábor nisi in infirmitátibus meis. ¶ Nam, & si volúero gloriári, non ero insípiens : veritátem enim dicam : parco autem, ne quis me exístimet supra id, quod vidit in me, aut áliquid audit ex me. Et ne magnitúdo revelatiónum extollat me, datus est mihi stímulus carnis meæ ángelus sátanæ, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi ut discéderet à me : & dixit mihi : Súfficit tibi grátia mea : nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libenter ígitur glo-

riábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

LECTIO II.

PRopter quod pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in necessitátibus, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo : cùm enim infirmor, tunc potens sum. Factus sum insípiens, vos me coëgistis. Ego enim à vobis débui commendári : nihil enim minùs fui ab iis, qui sunt supra modum Apóstoli : tametsi nihil sum : signa tamen Apostolátûs mei facta sunt super vos in omni patiéntiâ, in signis, & prodígiis, & virtútibus. Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris Ecclésiis, nisi quod ego ipse non graváví vos? Donáte mihi hanc injúriam. ¶ Ecce tértiò hoc parátus sum veníre ad vos : & non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent fílii paréntibus thesaurizáre, sed parentes fíliis. Ego autem libentíssimè impendã, & superímpendar ipse pro animábus vestris; licèt plus vos díligens, minùs díligar. Sed esto : ego vos non graváví; sed cùm essem astútus, dolo vos cepi. Numquid per áliquem eórum, quos misi ad vos circumvéni vos? Rogávi Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvénit? Nonne eódem spíritu ambulávimus? Nonne iisdem vestígiis?

℟. I. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, * Per quē mihi mundus crucifixus est & ego mundo. ℣. Ego in Dómino gaudébo, & exsultábo in Deo Jesu meo. * Per. *Galat. 6. Habac. 3.*

℟. II. Gáudeo in passiónibus, * Et adímpleo quæ desunt passiónum Christi in carne meâ, pro córpore ejus, quod est Ecclésia; ℣. Labóro, certando secundùm operatiónem Christi quam operátur in me in virtúte; * Et. *Coloss. 1.*

℟. III. In quo quis audet, áudeo & ego. Ministri Christi sunt, plus ego : * In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis supra modũ, in mórtibus frequenter. ℣. Ter virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci, nocte & die in profundo maris fui, * In. *II. Cor.* 11.

℟. IV. Grátia data est mihi à Deo ut sim minister Christi Jesu in Géntibus : sanctíficans Evangélium Dei : * Ut fiat oblátio Géntium accepta & sanctificáta in Spíritu sancto. ℣. Quámdiu ego sum Géntium Apóstolus, ministérium meum honorificábo.

* Ut.

* ℣. Glória. * Ut. *Rom.* 15 & 11.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris ad Jubaïánum. *Ep.* 73. *Edit. Baluz. III. Sec. med.*

QUod in Evangéliis & in Apostolórum Epístolis Jesu Christi nomen insinuátur ad remissiónem peccatórum, non ita est quasi aut sine Patre aut contra Patrem prodesse cuíquam solus Fílius possit; sed ut Judæis, qui jactitábant se Patrem habére, ostenderétur quòd nihil eis Pater profutúrus esset, nisi in Fílium créderent, quem ille misisset. Nam qui Deum Patrem creatórem sciébant, Fílium quoque Christum scire debébant, ne sibi blandirentur & pláuderent de solo Patre, sine Fílii ejus agnitióne, qui & dicébat: Nemo venit ad Patrem nisi per me. Duórum autem cognitiónem esse quæ salvet, idem ipse manifestat dicens: Hæc est autem vita ætérna, ut cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.

℟. Qui credit in Fílium, habet vitâ ætérnam: * Qui autem incrédulus est Fílio, non vidébit vitam, sed ira Dei manet super eum. ℣. Hæc est vita ætérna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. * Qui. ℣. Glória. * Qui. *Joan.* 3 & 17.

CANON.

Ex Epístolâ Episcopórum in Sardíniâ éxulum, de Grátiâ & humáno arbítrio. *An.* 521. *Cap.* 31.

SPerámus in Dómino quóniam grátiæ suæ ita subsídium largiétur, ut & bene sentiéntibus tríbuat augmentum, & áliter quàm oportet credéntibus donet agnoscendæ veritátis intúitum.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 12 & 13.

OLim putátis quòd excusémus nos apud vos? Coram Deo in Christo lóquimur: ómnia autem, caríssimi, propter ædificatiónem vestram. Tímeo enim ne fortè cùm vénero, non quales volo, invéniam vos: & ego invéniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiónes, æmulatiónes, animositátes, dissensiónes, detractiónes, susurratiónes, inflatiónes, seditiónes sint inter vos: ne íterum cùm vénero, humíliet me Deus apud vos, & lúgeam multos ex iis,

qui ante peccavérunt, & non egérunt pœniténtiam super immundítiâ, & fornicatióne, & impudicítiâ, quam gessérunt. ¶ Ecce tértiò hoc vénio ad vos: in ore duórum, vel trium téstium stabit omne verbum. Prædixi, & prædico, ut præsens, & nunc absens, iis qui ante peccavérunt, & cæteris ómnibus, quóniam si vénero íterum non parcam. An experimentum quæritis ejus, qui in me lóquitur Christus, qui in vobis non infirmátur, sed potens est in vobis? Nam etsi crucifixus est ex infirmitáte: sed vivit ex virtúte Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo: sed vivémus cum eo ex virtúte Dei in vobis.

Responsoria ut suprà Feriâ III. pag. 472.

L E C T I O I I.

VOsmetipsos tentáte si estis in fide: ipsi vos probáte. An non cognóscitis vosmetipsos quia Christus Jesus in vobis est? nisi fortè réprobi estis. Spero autem quòd cognoscétis, quia nos non sumus réprobi. Orámus autem Deum ut nihil mali faciátis, non ut nos probáti appareámus, sed ut vos quod bonum est faciátis: nos autem ut réprobi simus. Non enim póssumus áliquid adversùs veritátem, sed pro veritáte. ¶ Ideò hæc absens scribo, ut non præsens dúriùs agam secundùm potestátem, quam Dóminus dedit mihi in ædificatiónem, & non in destructiónem. De cætero, fratres, gaudéte; perfecti estóte, exhortámini, idem sápite, pacem habéte, & Deus pacis, & dilectiónis erit vobiscum. Salutáte ínvicem in ósculo sancto. Salútant vos omnes sancti. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, & cáritas Dei, & communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis. Amen.

L E C T I O I I I.

Ex Sermóne décimo quarto sancti Leónis Papæ in Passióne Dómini. *Serm. 63. Edit. Paris. Cap. 2.*

COnsílium misericórdiæ & justítiæ Dei, licèt in prætéritis séculis quibusdam velamínibus fúerit obumbrátum, non tamen ita obtectum est, ut sanctórum, qui ab inítio usque ad adventum Dómini laudábiles exstitérunt, intelléctui negarétur: cùm & prophéticis verbis, & rerum gestárum significatiónibus, salus quæ in Christo erat ventúra, promíssa sit: quam non solùm qui prædicábant, adepti sunt, sed omnes étiam qui prædicántibus credidérũt. Una enim fides justíficat universórum

temporum sanctos, & ad eamdem spem & fidem pértinet, quidquid per Mediatórem Dei & hóminum Jesum Christum, vel nos confitémur factum, vel patres nostri adoravére faciendum. Nec inter Judæos atque Gentíles ulla distántia est. Síquidem, sicut ait Apóstolus: Circumcísio nihil est, sed observátio mandatórum Dei: quæ si cum integritáte fídei serventur, veros Abrahæ fílios, id est, perfectos fáciunt Christiános.

℟. Scientes quòd non justificátur homo nisi per fidem Jesu Christi: * Et nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi. ℣. Crédidit Abraham Deo, & reputátum est illi ad justítiam. * Et nos. ℣. Glória. * Et nos. *Galat.* 2 & 3.

CANON.

Ex Epístolâ Episcopórum in Sardíniâ éxulum, de Grátiâ & humáno arbítrio. *An.* 521. *Cap.* 31.

FAcit Dóminus grátiæ suæ partícipes, quos prædestinávit ad vitam: ut in ómnibus bonis suis humánæ arbítrium voluntátis grátiæ Dei subjíciant, & ab ipso sibi cognoscant descéndere omne datum óptimum, & omne donum perfectum: sciant étiam ab ipso exspectandum semper auxílium, qui prædestinátis suis & grátiam, & perseverántiam donat: ut grátiam pro grátiâ, donum vitæ perennis accípiant.

SABBATO ANTE SEPTUAGESIMAM.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Psalterio.

LECTIO. *Exod.* 31.

CUstódiant fílii Israel sábbatum, & célebrent illud in generatiónibus suis. † Pactum est sempiternum inter me & fílios Israel, signumque perpétuum. * Sex enim diebus fecit Dóminus cœlum & terram, & in séptimo ab ópere cessávit.

℟. *br.* Quàm magnificáta sunt * Opera tua, Dómine. ℟. Quàm. ℣. Omnia in sapiéntiâ fecisti, * Opera. ℣. Glória. ℟. Quàm. *Ps.* 103.

HYMNUS. *C.*

TE læta, mundi Cónditor,
Unum manet semper quies:
Festíva cœlestes choros
Semper decent præcónia.

Nos, sanctitáte pérditâ,
Pœnális exspectat labor:
Hymnos-ne dulces pátriæ
Mœsti canámus éxsules?

Qui te piis placábilem
Spondes futúrum flétibus,
Lugére da longi, Pater,
Delicta, causas éxsilî.
Verùm salúbrem témperet
Spe nixa mœrórem fides:
Tu mox quiéti nos tuæ,
Lætisque reddes cánticis.
Qui nos creávit laus Patri;
Laus qui redémit, Fílio;
Qui corda nostra cónsecras,
Par sit tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Priusquàm montes fierent, aut formarétur terra & orbis, ℟. A século & usque in séculum tu es Deus. *Ps.* 89.

Ad Magníficat. *Ant.* Dóminus Deus noster fecit terram in fortitúdine suâ, præparávit orbem in sapiéntiâ suâ, & prudéntiâ suâ extendit cœlos. *Jerem.* 51.

Collecta infrà ad Laudes. pag. 489.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Deum qui in princípio creávit cœlum & terram. * Veníte, adorémus. *Gen.* 1.

HYMNUS. *C.*

Rebus creátis nil egens,
Temet beátus, nunc tuo
Prodis ab arcáno, Deus,
Mundóque das primórdia.
Tu cuncta quæ non sunt vocas;
Et illa se sistunt tibi;
Miróque concentu, suo
Dant Conditóri glóriam.
At mundus è sinu tuo
Dum prodit adspectábilis,
Augustiórem cógitas
Mundum, Creátor, álterum.
Illum Rédemptor ártifex
Virtútibus condet suis,
Sparsóque terris ómnibus
Verbi potentis sémine.
Illum peractis séculis
Cœlo locábit, & throni
Mensæque consortem suæ
Deo redonábit Patri.
Utríque mundo qui præes,
Utrumque conserva, Pater:
Utrumque, Fili, dirige:
Utrumque, Flamen, consecra. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiphonæ, & ℣. *I. & II. Nocturni ut in Psalterio.*

LECTIO I.

Incipit Liber Génesis. *Cap.* 1.

IN princípio creávit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inánis & vácua, & ténebræ erant super fáciem abyssi: & Spíritus Dei ferebátur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd esset bona: & divísit lucem

à ténebris. Appellavitque lucem Diem, & ténebras Noctem; factumque est véspere & mane, dies unus. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in médio aquárum: & dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentũ, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum, Cœlum. Et factum est véspere, & mane, dies secundus.

℟. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. * Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. ℣. Verbo Dómini cœli firmári sunt, & spíritu oris ejus omnis virtus eórum. *Joan.* 1. *Ps.* 32.

LECTIO II.

DIxit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum: & appáreat árida. Et factum est ita. Et vocávit Deus áridam, Terrã, congregationesque aquárum appellávit Mária. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et ait: Gérminet terra herbam virentem & faciéntem semen, & lignum pomíferum fáciens fructũ juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et prótulit terra herbam virentem, & faciéntem semen juxta genus suum, lignumque fáciens fructum, & habens unumquodque sementem secundùm spéciem suam. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est véspere & mane, dies tértius.

℟. Horum spécie delectáti hómines; sciant quantò his dominátor eórum speciósior est. * A magnitúdine enim speciéi & creatúræ, cognoscibíliter póterit Creátor horum vidéri. ℣. Invisibília ipsíus, à creatúrâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. * A magnitúdine. *Sap.* 13. *Rom.* 1.

LECTIO III.

DIxit autem Deus: Fiant luminária in firmamento cœli, & dívidant diem ac noctem, & sint in signa & témpora, & dies & annos: ut lúceant in firmamento cœli, & illúminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminária magna, luminare majus, ut præesset diéi; & lumináre minus, ut præesset nocti; & stellas. Et pósuit eas in firmamento cœli, ut lucérent super terram & præessent diéi ac nocti, & divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est véspere & mane, dies quartus.

℟. Tu in princípio, Dómine, terram fundasti, & ópera mánuum tuárum sunt cœli. * Ipsi peribunt, & velut amictum mutábis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient. ℣. Cœli qui nunc sunt, & terra, eódem verbo repósiti sunt, igni reserváti: * Ipsi. *Hebr.* 1. *II. Petr.* 3.

LECTIO IV.

DIxit étiam Deus: Prodúcant aquæ réptile ánimæ viventis, & volátile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grándia, & omnem ánimam viventem atque motábilem, quam prodúxerant aquæ in spécies suas, & omne volátile secundùm genus suum. Et vidit Deus quòd esset bonum. Benedixitque eis, dicens: Créscite, & multiplicámini, & repléte aquas maris; avesque multiplicentur super terram. Et factum est véspere & mane, dies quintus.

℟. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam; * Quia tu creasti ómnia, & propter voluntátem tuam creáta sunt. ℣. Dómine, magnus es tu, quem superáre nemo potest: tibi sérviat omnis creatúra tua; quia dixisti & facta sunt; * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Apoc.* 4. *Judith.* 16.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Libro sancti Augustini Epíscopi de Peccáto origináli. *Edit. Ben. Cap.* 24.

IN causâ duórum hóminum, quorum per unum venúmdati sumus sub peccáto, per álterum redímimur à peccátis; per unum præcipitáti sumus in mortem, per álterum liberámur ad vitam; quorum ille nos in se pérdidit, faciendo voluntátem suam, non ejus à quo factus est; iste nos in se salvos fecit, non faciendo voluntátem suam, sed ejus à quo missus est: in horum ergo duórum hóminum causâ próprie fides Christiána consistit. Unus est enim Deus, & unus Mediátor Dei & hóminum Homo Christus Jesus. Quóniam non est áliud nomen sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fieri: & in illo definívit Deus fidem ómnibus, súscitans illum à mórtuis.

℟. Sicut per inobediéntiam uníus hóminis peccatóres constitúti sunt multi; ita & per uníus obeditiónem, justi constituentur multi: * Ut sicut regnávit peccátum in mortem; ita & grátia regnet per justítiam in vitam ætemam, per Jesum Christum Dóminum nostrum. ℣. Ubi abundá-

vit delíctum, superabundávit grátia; * Ut. *Rom.* 5.

LECTIO VI.

ITaque sine istâ fide, hoc est sine fide uníus Mediatóris Dei & hóminum hóminis Christi Jesu, sine fide, inquam, resurrectiónis ejus, quam Deus ómnibus definívit, quæ útique sine incarnatióne ejus ac morte non potest veráciter credi; sine fide ergo incarnatiónis & mortis & resurrectiónis Christi, nec antíquos justos, ut justi essent, à peccátis potuisse mundári, & Dei grátiâ justificári, véritas Christiána non dúbitat. Et ipsórum enim corda eâdem mundabantur Mediatóris fide, & diffundebátur in eis cáritas per Spíritum sanctum, qui ubi vult spirat, non mérita sequens, sed étiam ipsa mérita fáciens. Non enim Dei grátia erit ullo modo, nisi gratúita fúerit omni modo.

℟. Non est in álio áliquo salus; * Nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fieri. ℣. Fundamentum áliud nemo potest, pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus; * Nec. *Act.* 4. *I. Cor.* 3.

LECTIO VII. *Cap.* 29.

QUapropter quisquis humánam contendit in quálibet ætáte natúram non indigére médico secundo Adam, quia non est vitiáta in primo Adam, non in áliquâ quæstióne, in quâ dubitári vel errári salvâ fide potest, sed in ipsâ régulâ fídei quâ Christiáni sumus, grátiæ Dei convíncitur inimícus. Ex quo témpore ígitur per unum hóminem peccátum intrávit in mundum, & per peccátum mors, & ita in omnes hómines pertránsiit, in quo omnes peccavérunt, profectò universa massa perditiónis facta est posséssio perditóris. Nemo itaque, nemo prorsus inde liberátus est, aut liberátur, aut liberábitur nisi grátiâ Redemptóris.

℟. Per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, * Ita & in Christo omnes vivificabuntur. ℣. Per unũ hóminem peccátum in hunc mundum intrávit & per peccátum mors, & ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt. * Ita. *I. Cor.* 15. *Rom.* 5.

LECTIO VIII.

Ex Sermóne ducentésimo nonagésimo tértio ejusdem. *Edit. Bened. n.* 8. 9 & 10.

PEr unum salvámur, majóres, minóres, senes, júvenes, párvuli, infántes,

per unum salvámur. Nemo ad mortem nisi per Adam, nemo ad vitam nisi per Christum. Si esset álius per quem venirémus ad mortem, non omnes in Adam morerentur. Si esset álius per quem venirémus ad vitam, non omnes in Christo vivificarentur. Quid ergo, ait áliquis, & infans índiget liberatóre? Planè índiget: testis est mater fidéliter currens cum párvulo baptizando ad Ecclésiam. Testis est ipsa mater Ecclésia suscípiens párvulum abluendum. Si non habet quod in illo salvétur, auferátur hinc. Quis áudeat dícere testimónium contra tantam matrem? Postrémò & in ipso párvulo misériæ ipsius testis est fletus. Quantum potest, testátur natúra infirma, parum intélligens; non íncipit à risu, íncipit à fletu. Agnosce míserum, pórrige auxílium.

℟. Sicut per unius delíctum in omnes hómines in condemnatiónem: * Sic & per unius justítiam in omnes hómines in justificatiónem vitæ. ℣. Unius delícto mors regnávit per unum: * Sic. ℣. Glória. * Sic. *Rom.* 5.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Psalterio.

LECTIO IX.

Incipit Epístola prima beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 1.

PEtrus Apóstolus Jesu Christi, eléctis ádvenis dispersiónis Ponti, Galátiæ, Cappadóciæ, Asiæ & Bithyniæ, secundùm præsciéntiam Dei Patris, in sanctificatiónem Spíritûs, in obediéntiam, & adspersiónem sánguinis Jesu Christi: Grátia vobis, & pax multiplicétur. Benedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericórdiam suá magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, & incontaminátam, & immarcescíbilem, consservátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo. In quo exsultábitis, módicum nunc si oportet contristári in váriis tentatiónibus: ut probátio vestræ fídei multò pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem, in revelatióne Jesu Christi: quem cùm non vidéritis, dilígitis: in quem nunc quoque non videntes credítis, credentes autem exsultábitis lætítiâ inenarrábili, & glorificátâ: repor-

tantes finem fidei vestræ, salútem animárum.

℟. Spíritus testimónium reddit spirítui nostro quòd sumus filii Dei. Si autem filii, & hærédes; hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi: * Si tamen compátimur, ut & conglorificémur. ℣. Salvátor noster Deus salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis, ut justificáti grátiâ ipsius, hærédes simus secundùm spem vitæ æternæ: * Si tamen. *Rom.* 8. *Tit.* 3.

LECTIO X.

DE quâ salúte exquisiérunt, atque scrutáti sunt Prophétæ, qui de futúrâ in vobis grátiâ prophetavérunt: scrutantes in quod, vel quale tempus, significáret in eis Spíritus Christi: prænúntians eas quæ in Christo sunt passiónes, & posterióres glórias: quibus revelátum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrábant ea, quæ nunc nuntiáta sunt vobis per eos, qui evangelizavérunt vobis, Spíritu sancto misso de cœlo, in quem desíderant Angeli prospícere.

℟. Vobis datum est nosse mystéria regni cœlórũ: * Vestri autem beáti óculi, quia vident, & aures vestræ quia áudiunt. ℣. Multi Prophétæ & justi cupiérunt vidére quæ vidétis, & non vidérunt; & audíre quæ audítis, & non audiérunt: * Vestri. *Matth.* 13.

LECTIO XI.

PRopter quod succincti lumbos mentis vestræ, sóbrii perfectè speráte in eam, quæ offertur vobis, grátiam, in revelatiónem Jesu Christi: quasi filii obediéntiæ, non configuráti prióribus ignorántiæ vestræ desidériis; sed secundùm eum, qui vocávit vos, Sanctum; & ipsi in omni conversatióne sancti sitis: quóniam scriptum est: Sancti éritis, quóniam ego Sanctus sum.

℟. Primus homo de terrâ, terrénus; secundus homo de cœlo, cœlestis: ígitur * Sicut portávimus imáginem terréni, portémus & imáginem cælestis. ℣. Exspoliantes véterem, & induentes novum, eum qui renovátur in agnitiónem, secundùm imáginem ejus qui creávit illum; * Sicut. *I. Cor.* 15. *Coloss.* 3.

LECTIO XII.

ET si Patrem invocátis eum, qui sine acceptióne personárum júdicat secundùm uniuscujusque opus, in timóre incolátûs vestri témpore conversámini. Scientes quòd non corruptibílibus auro, vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatióne patérnæ traditiónis; sed pretióso sánguine quasi agni immaculáti Christi,

X c

& incontamináti, præcógniti quidem ante mundi constitutiónem, manifestáti autem novíssimis tempóribus propter vos, qui per ipsum fidéles estis in Deo, qui suscitávit eum à mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides vestra, & spes esset in Deo. Animas vestras castificantes, in obediéntiâ caritátis, in fraternitátis amóre, símplici ex corde ínvicem dilígite adténtiùs: renáti non ex sémine corruptíbili, sed incorruptíbili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum. Quia omnis caro ut fœnum: & omnis glória ejus tamquàm flos fœni: exáruit fœnum, & flos ejus décidit. Verbum autem Dómini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod evangelizátum est in vos.

℞. Misericórdiæ Dómini quia non sumus consumpti, * Quia non defecérunt miseratiónes ejus. ℣. Erámus natúrâ filii iræ: Deus autem, cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo; * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Thren.* 3. *Ephes.* 2.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 20.

DIxit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum hómini patri-famílias, qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam suam. Conventióne autem factâ cum operáriis ex denário diurno, misit eos in víneam suam. Et egressus circa horam tértiam, vidit álios stantes in foro otiósos, & dixit illis: Ite & vos in víneam meam, & quod justum fúerit dabo vobis. Illi autem abiérunt. Iterum autem éxiit circa sextam & nonam horam: & fecit simíliter. Circa undécimã verò éxiit, & invénit álios stantes, & dicit illis: Quid hìc statis totâ die otiósi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in víneam meam. Cùm sero autem factum esset, dicit dóminus víneæ procuratóri suo: Voca operários, & redde illis mercédem, incípiens à novíssimis usque ad primos. Cùm veníssent ergo qui circa undécimam horam vénerant, accepérunt síngulos denários. Venientes autem & primi, arbitráti sunt quòd plus essent acceptúri: accepérunt autem & ipsi síngulos denários. Et accipientes murmurábant adversùs patremfamílias, dicentes: Hi novíssimi unâ horâ fecérunt, & pares illos nobis fecisti, qui portávimus pondus diéi, & æstûs. At ille respondens uni eórum, dixit:

Amíce, non fácio tibi injúriam: nonne ex denário convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic novíssimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo, fácere? An óculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt novíssimi primi, & primi novíssimi: multi enim sunt vocáti, pauci verò electi.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Apoc.* 4.

DIgnus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, & honórem, & virtútem: quia tu creasti ómnia, & propter voluntátem tuam, erant, & creáta sunt.

℟. *br.* Generátio & generátio laudábit ópera tua, * Et poténtiam tuã pronuntiábunt. ℣. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur. * Et. ℣. Glória. ℟. Generátio. *Ps.* 144.

HYMNUS. *C.*

QUi nos creas solus,
Pater,
De prístino lapsos statu
Non solus instauras: simul
Nostros labóres éxigis.

Delicta pœniténtibus
Clemens relaxas: ímprobos
Vocas morantes, & viam
Erróris urges línquere.

Scelus remordet, íntimo
Pectus dolóre scínditur:
Ultóris & partes Dei
Exercet in semet nocens.

Vitáre plagas ádmonet
Ægrè recepta sánitas,
Et arctiórem sénsuum
Hortátur ad custódiam.

Divína non scrutábilis
O altitúdo cónsilì!
Sic vel malórum próvidus
Edúcis è sinu bona.

At obstinátis víndicem
Iram reservas: mérgitur
Scelestus orbis: únicus
Noë superstes éffugit.

Hic præco pœniténtiæ,
Novi sequester fœderis,
Servátor orbis & parens,
Christi figúram prætulit.

Sit laus Patri, laus Filio:
Utrumque qui nectis,
Deus,
Utríque compar, sit tibi
Laus sempiterna, Spíritus.
Amen.

℣. Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, ℟. Et magnitúdinis ejus non est finis. *Ps.* 144.

Ad Benedictus. *Ant.* Amíce, nonne ex denário convenisti mecum? Tolle quod tuum est. Non licet mihi quod volo fácere? an óculus tuus nequam est, quia ego bonus sũ? *Matth.* 20.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

PReces pópuli tui, quæsumus, Dómine, clementer exaudi; † ut qui justè pro peccátis nostris afflígimur, * pro tui nóminis glóriâ misericórditer liberémur; Per Dóminum.

AD HORAS, *Antiphonæ ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno *An.* 1546. *Seff.* 5. *Can.* 1.

SI quis non confitétur, primum hóminē Adam, cùm mandátum Dei in paradíso fuisset transgressus, statim sanctitátem & justítiam in quâ constitútus fúerat, amisísse, incurrisséque per offensam prævaricatiónis hujúsmodi iram & indignatiónem Dei, atque ídeò mortem, totumque per illam prævaricatiónis offensam, secundùm corpus & ánimam in detérius commutátum fuisse: Anáthema sit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *II. Cor.* 11.

FRatres, tímeo ne sicut serpens Hevam sedúxit astútiâ suâ, † ita corrumpantur sensus vestri, * & éxcidant à simplicitáte, quæ est in Christo.

℣. Salvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus, ℟. Quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum. *Ps.* 11.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Sap.* 10.

SApiéntia illum, qui primus formátus est à Deo Pater orbis terrárum, cùm solus esset creátus, custodívit, † & edúxit illum à delícto suo, * & dedit illi virtútem continendi ómnia.

℣. Recordátus est Dóminus, quóniam pulvis sumus: ℟. Homo, sicut fœnum dies ejus. *Ps.* 102.

AD NONAM.

LECTIO. *Sap.* 1.

DEus mortem non fecit, nec lætátur in perditióne vivórum; † creávit enim ut essent ómnia: * & sanábiles fecit natiónes orbis terrárum.

℣. Dómine, misericórdia tua in séculum; ℟. Ópera mánuum tuárum ne despícias. *Ps.* 137.

AD VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. DOmine Deus, ómnium, creátor qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos, custódi partem tuam, & sanctífica. *II. Mach.* 1.

II. Ne áuferas misericórdiam tuam à nobis, propter Abraham diléctum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum. *Dan.* 3.

III. Juxta fidem defuncti sunt isti, non accéptis repromissiónibus, sed à longè eas adspicientes, & salutantes, & confiténtes quia peregríni & hóspites sunt super terram. *Hebr.* 11.

IV. Móyses secùs rubum

dicit Dóminum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob: Deus autem non est mortuórum, sed vivórum. *Luc.* 20.

LECTIO. *I. Mach.* 2.

MEmentóte óperum Patrum, † quæ fecérunt in generatiónibus suis; * & accipiétis glóriam magnam, & nomen æternum.

℟. *br.* Quanta audívimus, * Et cognóvimus ea. ℟. Quanta. ℣. Patres nostri narravérunt nobis; * Et. ℣. Glória. ℟. Quanta. *Ps.* 77.

HYMNUS. *C.*

VOs, ante Christi témpora,
Christi fidéles ássecla,
Verenda justórum cohors,
Primíque credentûm Patres:
Vestram quis ô dignis queat
Efferre láudibus fidem?
Crebros anhelantis spei
Quis éxplicet suspíritus?
Hìc éxsules, hìc ádvenæ,
Mundi figúram spérnitis:
Non litterâ, sed spíritu
Promissa pensátis bona.
Intenta mens uni Deo
Respectat æternas domos:
Fac, Christe, nos veram quoque
Desideráre pátriam.
Per quem vetus lex désiit
JESU, tibi sit glória
Cum Patre, & almo Spíritu
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis: ℟. A generatióne in generatiónem. *Ps.* 89.

Ad Magníficat. *Ant.* Erunt novíssimi primi, & primi novíssimi; multi enim sunt vocáti, pauci verò elécti. *Matth.* 20.

IN FERIIS POST SEPTUAGESIMAM, *omnia ut in Psalterio præter Antiphonas ad* Benedíctus *&* Magníficat, *&* *Collectas singulis diebus proprias.*

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 1.

DIxit quoque Deus: Prodúcat terra ánimam viventem in génere suo, juménta, & reptília, & béstias terræ secundùm spécies suas. Factumque est ita. Et fecit Deus béstias terræ juxta spécies suas, & juménta & omne réptile terræ in génere suo. Et vidit Deus quòd esset bonum, & ait: Faciámus hóminem ad imáginem & similitúdinem nostram: & præsit píscibus maris, & volatílibus cœli, & béstiis, universæque terræ, omníque réptili quod movétur in terrâ. ¶ Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam: ad imáginem Dei creávit illum: másculum & féminam creávit eos. Be-

nedixitque illis Deus, & ait: Créscite, & multiplicámini, & repléte terram, & subjícite eam, & dominámini píscibus maris, & volatílibus cœli, & univérsis animántibus, quæ moventur super terram.

LECTIO II. *Cap.* 1 & 2.

DIxitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem géneris sui, ut sint vobis in escam: & cunctis animántibus terræ, omníque vólucri cœli, & univérsis quæ moventur in terrâ, & in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fécerat: & erant valdè bona. Et factum est véspere & mane, dies sextus. ¶ Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornátus eórum. Complevitque Deus die séptimo opus suum quod fécerat: & requiévit die séptimo ab univérso ópere quod patrârat. Et benedixit diéi séptimo, & sanctificávit illum: quia in ipso cessáverat ab omni ópere suo quod creávit Deus ut fáceret.

℟. I. In die quâ creávit Deus hóminem, ad similitúdinem Dei fecit illum. * Ad imáginem quippe Dei factus est homo. ℣. Vir imágo & glória Dei est. * Ad. *Gen.* 5 & 9. *I. Cor.* 11.

℟. II. Deus creávit de terrâ hóminem: creávit ex ipso adjutórium símile sibi: * Et disciplínâ intellectûs replévit illos; & mala & bona ostendit illis. ℣. Qui fecit hóminem ab inítio, másculum & féminam fecit eos; * Et. *Eccli.* 17. *Matth.* 19.

℟. III. Sensu implévit cor illórum, * Ut nomen sanctificatiónis collaudent in mirabílibus illíus. ℣. Pósuit óculum suum super corda illórum, osténdere illis magnália óperum suórum: * Ut. *Eccli.* 17.

℟. IV. Sex diébus fecit Dóminus cœlum, & terram, & mare, & ómnia quæ in eis sunt, & * Requiévit in die séptimo, & sanctificávit eum. ℣. Relínquitur sabbatismus pópulo Dei: qui enim ingressus est in réquiem ejus, étiam ipse requiévit ab opéribus suis, sicut à suis Deus, * Requiévit. ℣. Glória. * Requiévit. *Exod.* 20. *Hebr.* 4.

LECTIO III.

Ex Libro sexto Operis imperfecti sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánũ. *Edit. Ben. Cap.* 14.

NOs dícimus tam beátum fuisse primum hóminem ante peccátum,

tamque líberæ voluntátis, ut Dei præceptum magnis víribus mentis obſervans, reſiſtentem ſibi carnem nullò certámine paterétur, nec áliquid omníno ex áliquâ cupiditáte ſentíret, quod nollet; voluntatemque ejus priùs fuiſſe vitiátam venenósâ perſuaſióne ſerpentis, ut oriréttur cupíditas quæ ſequerétur pótiùs voluntátē, quàm reſiſteret voluntáti; perpetratóque peccáto jam pœna infirmátæ menti étiã carnis concupiſcéntia repugnáret. Ac per hoc, niſi priùs homo fáceret peccando quod vellet, non paterétur concupiſcendo quod nollet. Ecce nos quemádmodum víncimus Manichæum, introdúcere conantem natúræ hóminis conditórem malum.

℟. Deus creávit hóminem inexterminábilem, & ad imáginem ſimilitúdinis ſuæ fecit illum. * Invídiâ autem diáboli mors introívit in orbem terrárum. ℣. Regnávit mors ab Adam, étiam in eos qui non peccavérunt in ſimilitúdinem prævaricatiónis Adæ. * Invídiâ. ℣. Glória. * Invídiâ. *Sap.* 2. *Rom.* 5.

Ad Benedíctus. *Ant.* Deus ab inítio conſtítuit hóminem, & relíquit illum in manu consílii ſui: adjécit mandáta & præcepta ſua. *Eccli.* 15.

Collecta. *Sacr. Leon.*

MAjeſtátem tuam, Dómine, devótis méntibus implorámus, † ut ſicut ex te habémus eſſe quod ſumus, * ſic per grátiam tuam & bene velle ſumámus, & bonum poſſe quod vólumus; Per Dóminum.

Canon.

Ex Concílio Arauſicáno ſecundo. *An.* 529. *Cap.* 2.

SI quis ſoli, Adæ prævaricatiónem ſuam, non & ejus propágini, áſſerit nocuiſſe; aut certè mortem tantùm córporis, quæ pœna peccáti eſt, non autem & peccátum, quod mors eſt ánimæ, per unum hóminem in omne genus humánum tranſiſſe teſtátur, injuſtítiam Deo dabit, contradícens Apóſtolo dicenti: Per unum hóminem peccátum intrávit in mundum, & per peccátum mors; & ita in omnes hómines mors pertránſiit, in quo omnes peccavérunt.

Ad Magníficat. *Ant.* Ante hóminem vita & mors, bonum & malum; quod placúerit ei, dábitur illi. *Eccli.* 15.

FERIA TERTIA.

Lectio I.

Ex Libro Géneſis. *Cap.* 2.

FOrmávit ígitur Dóminus Deus hóminem de limo terræ, & inſpirávit

in fáciem ejus Spiráculum vitæ, & factus est homo in ánimam viventem. Plantáverat autem Dóminus Deus Paradísum voluptátis à princípio: in quo pósuit hóminem quē formáverat. Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suáve: lignum étiam vitæ in médio paradísi, lignúmque sciéntiæ boni & mali. Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis ad irrigandum paradísum, qui inde divíditur in quátuor cápita. ¶ Tulit ergo Dóminus Deus hóminem, & pósuit eum in paradíso voluptátis, ut operarétur & custodíret illum: præcepítque ei dicens: Ex omni ligno paradísi cómede: de ligno autem sciéntiæ boni & mali ne cómedas. In quocúmque enim die coméderis ex eo, morte moriéris.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

DIxit quoque Dóminus Deus: Non est bonum hóminem esse solum: faciámus ei adjutórium símile sibi. Formátis ígitur, Dóminus Deus, de humo cunctis animántibus terræ, & univérsis volatílibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea: omne enim quod vocávit Adam ánimæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavítque Adam nomínibus suis cuncta animántia, & univérsa volatília cœli, & omnes béstias terræ: Adæ vero non inveniebátur adjútor símilis ejus. ¶ Immísit ergo Dóminus Deus sopórem in Adam: cúmque obdormísset, tulit unam de costis ejus, & replévit carnem pro eâ. Et ædificávit Dóminus Deus costam quam túlerat de Adam, in mulíerem: & adduxit eam ad Adam. Dixítque Adam: Hoc nunc os ex óssibus meis, & caro de carne meâ: hæc vocábitur Virágo, quóniam de viro sumpta est. Quamobrem relínquet homo patrem suum, & matrem, & adhærébit uxóri suæ: & erunt duo in carne unâ. Erat autem uterque nudus, Adam scílicet & uxor ejus: & non erubescébant.

LECTIO III.

Ex Libro primo Operis imperfecti sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum. *Edit. Bened. Cap. 39.*

MIsériam in párvulis si nullam esse dicitis, eis misericórdiam præbendam negátis; si ullam esse dícitis, malum méritum osténditis. Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereátur, potest. Ecce duo párvuli jacent; unus eórum baptizátus, alter

non baptizátus exſpírat: cui eórum dicis Deū fuiſſe clementem? Si uni, oſtende altérius malum méritum, qui negas eſſe originále peccátum: ſi ambóbus, oſtende baptizáti ullum bonum méritum, qui negas grátiam, ubi nulla eſt accéptio perſonárum; & dic, ſi potes, cur ambos adoptáre nolúerit, qui certè ambos ad imáginem ſuam cóndidit. An ita juſtus eſt, ut non ſit omnípotens, ſi vóluit & non pótuit? Ubi certè illórum nullus nóluit, ne impedimentum poteſtátis divínæ referátis ad méritum voluntátis humánæ: hìc certè nulli eórum dícere poteſt Deus: Vólui, & noluiſti. Aut ſi proptérea non vult infans, quia plorat cùm baptizátur: ambo ergo relinquantur, ambo enim nolunt: & tamen unus aſsúmitur, & alter relínquitur, quia magna eſt grátia Dei, & verax juſtítia Dei. Sed quare ille pótiùs quàm ille? inſcrutabília ſunt judícia Dei.

℟. Dómine in cœlo miſericórdia tua, & véritas tua uſque ad nubes. * Juſtítia tua ſicut montes Dei, judícia tua abyſſus multa. ℣. O altitúdo divitiárum ſapiéntiæ & ſciéntiæ Dei! quàm incomprehenſibília ſunt judícia ejus! * Juſtítia. ℣. Glória. * Juſtítia. *Pſ.* 35. *Rom.* 11.

Ad Benedictus. *Ant.* Deus creávit de terrâ hóminem, & ſecundùm imáginem ſuam fecit illum. *Eccli.* 17.

Collecta. *Sacr. Leon.*

Laudent te, Dómine, ora noſtra, laudet ánima, laudet & vita: † & quia tui múneris eſt, quod ſumus, * tuum ſit omne, quod vívimus; Per Dóminum.

Canon.
Ex Concílio Tridentíno.
Seſſ. 5. *Can.* 2.

Si quis Adæ prævaricatiónem ſibi ſoli, & non ejus propágini áſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitátem & juſtítiam, quam pérdidit, ſibi ſoli, & non nobis, étiam eum perdidiſſe; aut inquinátum illum per inobediéntiæ peccátum mortem & pœnas córporis tantùm in omne genus humánum transfúdiſſe, non autem & peccátum quod mors eſt ánimæ, anáthema ſit: cùm contradícat Apóſtolo dicenti: Per unum hóminem peccátum intrávit in mundum, & per peccátum mors; & ita in omnes hómines mors pertránſiit, in quo omnes peccavérunt.

Ad Magníficat. *Ant.* Deus creávit ex hómine adjutórium símile ſibi: consílium, & linguam, & óculos, & aures, & cor

dedit illis excogitandi : & disciplínâ intellectûs replévit illos. *Eccli.* 17.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 3.

SEd & serpens erat callídior cunctis animántibus terræ quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem : Cur præcépit vobis Deus ut non comederétis de omni ligno paradísi ? Cui respondit múlier : De fructu lignórum quæ sunt in paradíso, véscimur : de fructu verò ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus, ne comederémus, & ne tangerémus illud, ne fortè moriámur. Dixit autem serpens ad mulíerem : Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus quòd in quocumque die comedéritis ex eo, aperientur óculi vestri, & éritis sicut dii, scientes bonũ & malum. Vidit ígitur múlier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum óculis, adspectúque delectábile : & tulit de fructu illíus, & comédit : deditque viro suo, qui comédit. Et aperti sunt óculi ambórum : cùmque cognovissent se esse nudos, consuérunt fólia ficûs, & fecérunt sibi perizómata. Et cùm audissent vocem Dómini Dei deambulantis in paradíso ad auram post merídiem, abscondit se Adam & uxor ejus à fácie Dómini Dei in médio ligni paradísi. ¶ Vocavitque Dóminus Deus Adam, & dixit ei : Ubi es ? Qui ait : Vocem tuam audívi in paradíso : & tímui, eo quòd nudus essem, & abscondi me. Cui dixit : Quis enim indicávit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedísti ? Dixitque Adam : Múlier, quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, & comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem : Quare hoc fecísti ? Quæ respondit : Serpens decépit me, & comédi. Et ait Dóminus Deus ad serpentem : Quia fecísti hoc, maledictus es inter ómnia animántia, & béstias terræ : super pectus tuum gradiéris, & terram comedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus : ipsa cónteret caput tuum, & tu insidiáberis calcáneo ejus.

LECTIO II.

MUlíeri quoque dixit : Multiplicábo ærumnas tuas, & conceptus tuos : in dolóre páries fílios, & sub viri potestáte eris, & ipse dominábitur

tuî. Adæ verò dixit: Quia audisti vocem uxóris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præcéperam tibi, ne coméderes, maledicta terra in ópere tuo: in labóribus cómedes ex eâ cunctis diébus vitæ tuæ. Spinas & tríbulos germinábit tibi, & cómedes herbam terræ. In sudóre vultûs tui vescéris pane, donec revertáris in terram de quâ sumptus es: quia pulvis es, & in púlverem revertéris. Et vocávit Adam nomen uxóris suæ, Heva: eo quòd mater esset cunctórum vivéntiū. ¶ Fecit quoque Dóminus Deus Adæ & uxóri ejus túnicas pellíceas, & índuit eos: & ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat étiam de ligno vitæ, & cómedat, & vivat in æternum. Et emísit eum Dóminus Deus de paradíso voluptátis, ut operarétur terram de quâ sumptus est. Ejecitque Adam: & collocávit ante paradísum voluptátis Chérubim, & flámmeum gládium, atque versátilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

℟. I. A muliere inítium factum est peccáti, * Et per illam omnes mórimur. ℣. Adam enim non est sedúctus, múlier autem sedúcta in prævaricatióne fuit, * Et. *Eccli.* 25. *I. Tim.* 2.

℟. II. Sicut per inobediéntiam unius hóminis, peccatóres constitúti sunt multi; * Ita & per unius obeditiónem, justi constituentur multi. ℣. Sicut per unius delictum in omnes hómines in condemnatiónem. * Ita. *Rom.* 5.

℟. III. Deus creávit hóminem inexterminábilem, * Invídiâ autem diáboli mors introívit in orbem terrárum. ℣. Deus mortem non fecit, nec lætátur in perditióne vivórum, * Invídiâ. *Sap.* 2. & 1.

℟. IV. Inítium supérbiæ hóminis apostatáre à Deo: quóniam ab eo qui fecit illum recessit cor ejus, * Quóniam inítium peccáti est supérbia. ℣. Noli altum sápere, sed time; * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Eccli.* 10. *Rom.* 11.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum Pelagiánum. *Edit. Bened. Cap.* 6. *n.* 22.

ALia sunt, in quibus inter se aliquando étiam doctissimi atque óptimi régulæ Cathólicæ defensóres, salvâ fidei compáge, non cónsonant, & álius álio de unâ re mélius áliquid dicit & vérius. Hoc autem unde nunc ágimus, ad ipsa fidei pértinet fundamen-

ra. Quisquis in Christiánâ fide vult labefactáre quod scriptum est : per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum ; sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur : totum quod in Christum crédimus auferre molitur. Omníno & parvulórum salvátor est Christus ; omníno, nisi ab illo redimantur, períbunt; quóniam sine carne ejus & sánguine, vitam habére non possunt.

℟. Moysi dicit Deus : miserébor cujus miséreor, & misericórdiam præstábo cujus miserébor. * Omnes enim peccavérunt & egent glóriâ Dei. ℣. Sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors, & ita in omnes hómines mors pertránsiit in quo omnes peccavérunt ; * Omnes. ℣. Glória. * Omnes. *Rom. 9. 3, & 5.*

Ad Benedíctus. *Ant.* Invídiâ diáboli mors introívit in orbem terrárum ; imitantur autem illum qui sunt ex parte illíus. *Sap. 2.*

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui peccáti véteris hæreditáriam mortem, in qua posteritátis genus omne succésserat, Christi Dómini nostri passióne solvisti ; † dona ut conformes eídem facti, sicut imáginem terréni natúræ necessitáte portávimus ; * ita imáginem cœléstis, grátiæ sanctificatióne portémus, ejusdem Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui ; Qui tecum.

CANON.

Ex Epístolâ séptimâ Gelásii Papæ contra Pelágium. *Ad omnes Episcopos in Picœno. An. 493.*

SI ipsi primi hómines ex nullis paréntibus nati, & sine ullo formáti contágio, per ámbitum præsumptiónis illícitæ semetipsos depraváre potuérunt, & in ópere Dei opus diabólicæ fraudis annéctere ; quid mirum, si iídem depraváti protulérunt sóbolem depravátam ?

Ad Magníficat. *Ant.* A muliere inítium factum est peccáti, & per illam omnes mórimur. *Eccli. 25.*

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap. 4.*

ADam veró cognóvit uxórem suam Hevam; quæ concépit, & péperit Cain, dicens : Possédi hóminem per Deum. Rursumque péperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor óvium, & Cain agrícola. Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de frúctibus terræ múnera Dómino. Abel quo-

que óbtulit de primogénitis gregis sui, & de adípibus eórum: & respexit Dóminus ad Abel, & ad múnera ejus. Ad Cain verò, & ad múnera illíus non respexit: iratusque est Cain vehementer, & cóncidit vultus ejus. ¶ Dixitque Dóminus ad eum: Quare irátus es? & cur cóncidit fácies tua? Nonne si bene égeris, recípies, sin autem malè, statim in fóribus peccátum áderit? Sed sub te erit appetítus ejus, & tu domináberis illíus. Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediámur foràs. Cùmque essent in agro, consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfécit eum.

LECTIO II.

ET ait Dóminus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Néscio: num custos fratris mei sum ego? Dixitque ad eum: Quid fecisti? Vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. Nunc ígitur maledictus eris super terram, quæ apéruit os suum, & suscépit sánguinem fratris tui de manu tuâ. Cùm operátus fúeris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & prófugus eris super terram. ¶ Cognóvit quoque adhuc Adam uxórem suam: & péperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Pósuit mihi Deus semen áliud pro Abel, quem occídit Cain. Sed & Seth natus est filius, quem vocávit Enos: iste cœpit invocáre nomen Dómini.

℟. I. Per fidem Abel testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo; * Et per illam defunctus adhuc lóquitur. ℣. Fide plúrimam hóstiam quàm Cain óbtulit Deo, * Et. *Hebr.* 11.

℟. II. Cain ex maligno erat, occídit fratrem suum, * Quóniam ópera ejus malígna erant, fratris autem ejus justa. ℣. A sapiéntiâ ut recessit injustus in irâ suâ, per iram homicídii fraterni depériit, * Quóniam. *I. Joan.* 3. *Sap.* 10.

℟. III. Omnes hómines de solo, & ex terrâ unde créatus est Adam, Et * Ex ipsis sanctificávit, & ad se applicávit: & ex ipsis maledixit, & humiliávit. ℣. Vide bonitátem & severitátem Dei: * Ex. *Eccli.* 33. *Rom.* 11.

℟. IV. Henoch plácuit Deo, & translátus est in paradísum, * Ut det Géntibus pœniténtiam. ℣. Fide translátus est ne vidéret mortem, & non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus; * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Eccli.* 44. *Hebr.* 11.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Augustini Epíscopi contra Juliánum Pelagiánum. *Ed. Bened. Cap.* 7. *n.* 31 & 32.

DIvites & páuperes, excelsi atque ínfimi, docti & indocti, mares & féminæ novérunt quid cuíque ætáti in baptísmate remittátur. Unde étiam matres quotídie toto orbe terrárum non ad Christum tantùm, id est ad unctum; sed ad Christum Jesum, id est étiam salvatórem cum párvulis currunt. En adest in hoc fídei firmíssimo fundamento de peccáto originàli adsertórum memorábilis & venerábilis conséssus atque consensus. Sanctus Irenæus dicit, antíquam serpentis plagam fide Christi & cruce sanári, & quòd protoplasti peccáto fúimus tamquàm vínculis alligáti. Sanctus Cypriánus dicit, períre párvulum, nisi fúerit baptizátus, quamvis ei non própria dimittantur, sed aliéna peccáta. Sanctus Retícius dicit, véteris hóminis, quo per lavácrum regeneratiónis exúimur; non tantùm vétera, sed ingénita esse peccáta. Sanctus Olympius dicit, vítium de protoplasto in gérmine sparsum, ut peccátum cum hómine nascerétur. Sanctus Hilárius dicit, ex peccáto esse omnem carnem, præter illíus, qui venit in similitúdine carnis peccáti sine peccáto. Sanctus Ambrósius dicit; solum ex natis de fémina sanctum Dóminum Jesum, nulla terrénæ contágia corruptélæ immaculáti partûs novitáte sensisse. Dicit fuisse Adam, & in illo fuisse omnes; perisse Adam, & in illo perisse omnes.

℟. Per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, * Ita & † In Christo omnes vivificabuntur. ℣. Sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors, & ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt, * Ita. ℣. Glória. † In. *I. Cor.* 15. *Rom.* 5.

Ad Benedictus. *Ant.* Hæc est annuntiátio quam audistis ab inítio: ut diligátis altérutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occídit fratrem suum. *I. Joan.* 3.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DEus, qui delinquentes períre non pateris, donec convertantur & vivant; † débitam, quæsumus, peccátis nostris suspende vindictam; * & præsta propítius, ne dissimu-

látio cúmulet ultiónem, sed ut pótiùs emendátis prosit ad véniam; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Epístolâ séptimâ Gelásii Papæ contra Pelágium. *Ad omnes Ep. in Picœno. An.* 493.

PRimi Parentes géneris humáni de nullis útique genitóribus, sed de innóxiâ limi matériâ procréati, & purè atque sincérè potenter arte divínâ compacti, factíque rationábiles, própriâ voluntáte seductórem secúti diábolum, pravis cupiditátibus per excessum prævaricatiónis infecti sunt.

Ad Magníficat. *Ant.* Abel óbtulit de primogénitis gregis sui, & de adípibus eórum: & respexit Dóminus ad Abel, & ad múnera ejus. *Gen.* 4.

FERIA SEXTA.

L E C T I O I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 6.

CUmque cœpissent hómines multiplicári super terram, & filias procreassent, videntes filii Dei filias hóminum quòd essent pulchræ, accepérunt sibi uxóres ex ómnibus, quas elégerant. Dixitque Deus: Non permanébit spíritus meus in hómine in ætérnum, quia caro est; eruntque dies illíus centum viginti annórum. Gigantes autem erant super terram in diébus illis. Postquàm enim ingressi sunt filii Dei ad filias hóminum, illæque genuérunt, isti sunt potentes à século viri famósi. ¶ Videns autem Deus quòd multa malítia hóminum esset in terrâ, & cuncta cogitátio cordis intenta esset ad malum omni témpore, pœnítuit eum quòd hóminem fecisset in terrâ. Et tactus dolóre cordis intrínsecùs: Delébo, inquit, hóminem, quem creávi, à fácie terræ, ab hómine usque ad animántia. Noë verò invénit grátiam coram Dómino.

L E C T I O II.

HÆ sunt generatiónes Noë: Noë vir justus atque perfectus fuit in generatiónibus suis, cum Deo ambulávit. Et génuit tres filios, Sem, Cham, & Japhet. Corrupta est autem terra coram Deo, & repléta est iniquitáte. Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam, (omnis quippe caro corrúperat viam suam super terram,) dixit ad Noë: Fac tibi arcam de lignis lævigátis: mansiúnculas in arcâ fácies, & bitúmine línies intrínsecùs & extrínsecùs. ¶ Ecce ego addúcam aquas dilúvii super terram, ut in-

terficiam omnem carnem in quâ spíritus vitæ est subter cœlum: universa quæ in terrâ sunt, consumentur. Ponamque fœdus meum tecum; & ingrediéris arcam tu & filii tui, uxor tua, & uxóres filiórum tuórum, tecum. Et ex cunctis animántibus universæ carnis bina indúces in arcam, ut vivant tecum: masculini sexûs & feminini.

℟. I. Non exoravérunt pro peccátis suis antíqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtúti: * Et quóniam non habuérunt sapiéntiam, interiérunt propter suam insipiéntiam. ℣. Non hos elégit Dóminus, neque viam disciplínæ invenérunt: * Et. *Eccli. 16. Baruch. 3.*

℟. II. Corrupta est terra coram Deo; & repléta est iniquitáte; dixitque Deus: * Non permanébit Spíritus meus in hómine, quia caro est. ℣. Quóniam in malévolam ánimam non introíbit sapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis; * Non. *Genes. 6. Sap. 1.*

℟. III. Ab inítio cùm perírent superbi gigantes, spes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remísit século semen nativitátis, * Quæ manu tuâ, Pater, erat gubernáta. ℣. Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, métuens aptávit arcam in salútem domûs suæ. * Quæ. *Sap. 14. Hebr. 11.*

℟. IV. Sicut factum est in diébus Noë, ita erit & in diébus Fílii hóminis: edébant & bibébant, usque in diem, quâ intrávit Noë in arcam: & venit dilúvium, & pérdidit omnes: * Secundùm hæc erit quâ die Fílius hóminis revelábitur. ℣. Sicut enim in diébus ante dilúvium, non cognovérunt donec venit dilúvium; * Secundùm. ℣. Glória. * Secundùm. *Luc. 17. Matth. 24.*

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum Pelagiánum. *Edit. Bened. Cap. 7. n. 32.*

DIcit tibi sanctus Innocéntius, lavácro regeneratiónis prætéritum vítium omne purgári, quod per illum áccidit, qui líbero arbítrio cadens, in profunda demersus est. Sanctus Gregórius dicit, regeneratióne ex aquâ & Spíritu purgári máculas primæ nativitátis, per quas in iniquitátibus concípimur. Dicit tibi sanctus Basílius, nos ægritúdinē contraxisse peccáti, quóniam Heva nóluit à ligno prohíbito jejunáre. Dicit postrémò nos

de paradíso decidísse, quia non jejunávimus, atque ut illò redeámus, præcipit jejunémus. Dicunt tibi ore uno tot sancti Epíscopi, Eulógius, Joannes, Ammoniánus, Porphyrius álius, Fidus, Zonínus, Zoboennus, Nymphídius, Chromátius, Jovínus, Eleuthérius, Clemátius: Nos Pelágium non absólvimus, nisi quia damnávit eos, qui dicunt párvulos, etiamsi non baptizentur, habére vitam ætérnam.

℟. Ego carnális sum, venúmdatus sub peccáto. * Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, & in peccátis concépit me mater mea. ℣. Jugum grave super filios Adam à die éxitûs de ventre matris eórum, usque in diem sepultúræ. * Ecce. ℣. Glória. * Ecce. *Rom.* 7. *Ps.* 50. *Eccli.* 40.

Ad Benedictus. *Ant.* Non exoravérunt pro peccátis suis antíqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtúti. *Eccli.* 16.

Collecta. *Sacr. Leon.*

EXaudi nos, Dómine Deus noster, † & à pravitátibus mundi tuórum discerne corda fidélium: * ut qui Dóminum suâ voce pronúntiant, in diabólicam non récidant servitútem; Per Dóminum.

Canon.

Ex Epístolâ séptimâ Gelásii Papæ contra Pelágium.

Ad omnes Ep. per Picœn. An. 492.

TAles effecti príncipes nostræ substántiæ, semetipsos passíbiles & corruptíbiles reddidérunt; in tantùm conditiónis divínæ dona violantes, ut mortis fúerint ultióne puníti.

Ad Magníficat *Ant.* Noë vir justus atque perfectus fuit in generatiónibus suis: cum Deo ambulávit. *Gen.* 6.

SABBATO.

Lectio I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 7.

ANno sexcentésimo vitæ Noë, mense secundo, séptimo décimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt: & facta est plúvia super terram quadraginta diébus & quadraginta nóctibus. In artículo diéi illíus ingressus est Noë, & Sem, & Cham, & Japhet filii ejus; uxor illíus, & tres uxóres filiórum ejus cum eis, in arcam. ¶ Ipsi & omne ánimal secundùm genus suum, universaque jumenta in génere suo, & omne quod movétur super terram in génere suo, cunctumque volátile secundùm genus

suum, universæ aves, omnesque vólucres ingressæ sunt ad Noë in arcam, bina & bina ex omni carne, in qua erat spíritus vitæ. Et quæ ingressa sunt, másculus & fémina ex omni carne introiérunt, sicut præcéperat ei Deus: & inclúsit eum Dóminus déforis.

Responsoria ut heri.

LECTIO II.

FActumque est dilúvium quadraginta diébus super terram, & multiplicátæ sunt aquæ, & elevavérunt arcam in sublíme à terrâ. Vehementer enim inundavérunt: & ómnia replevérunt in superficie terræ: porrò arca ferebátur super aquas. Et aquæ prævaluérunt nimis super terram: opertíque sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo. ¶ Quíndecim cúbitis áltior fuit aqua super montes, quos operúerat. Consumptaque est omnis caro quæ movebátur super terram, vólucrum, animántium, bestiárum, omniumque reptílium, quæ reptant super terram, universi hómines, & cuncta, in quibus spiráculum vitæ est in terrâ, mórtua sunt. Remansit autem solus Noë & qui cum eo erant in arcâ. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diébus.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum Pelagiánum. *Ed. Ben. Cap. 7. n. 33.*

POstrémò sanctus Epíscopus Joannes dicit, quem tu testimónium & glóriam de consórtio veritátis suscepisse dixisti: étiam ipse dicit, Adam sic peccasse illud grande peccátum, ut omne genus humánum in commúne damnáret. His tot ac tantis mólibus virórum sanctorumque vallátus, adhuc causam nostram putábis nullum adsertórem de tantâ multitúdine inveníre potuisse? An tantam confessiónem Sacerdótum Catholicórum, conspiratiónem dictúrus es perditórum? Nec sanctum Hierónymum, quia presbyter fuit, contemnendum arbitréris: qui omnes vel penè omnes qui ante illum áliquid ex utrâque parte orbis de doctrinâ Ecclesiásticâ scrípserant legit, nec áliam de hâc re ténuit, prompsitque sententiá. Qui cùm expóneret Jonam Prophétam, apertíssimè dixit, quòd étiam párvuli peccáto offendentis Adam tenerentur obnóxii.

℟. Ego carnális sum, venúmdatus sub peccáto. Infélix ego homo, quis me liberábit de córpore mortis hujus? * Grátia Dei

per Jesum Christum Dóminum nostrum. ℣. Quis potest fácere mundum de immundo conceptum sémine? * Grátia. ℣. Glória. * Grátia. *Rom. 7. Job. 14.*

Ad Benedictus. *Ant.* Omnia sanctis in bona; sic & ímpiis & peccatóribus in mala convertentur. *Eccli. 39.*

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnípotens sempitérne Deus, da nobis voluntátem tuam fidéli mente retinére & piâ conversatióne deprómere; † ut Ecclésia tua à profánis vanitátibus expiáta, * non áliud profiteátur verbis, áliud exérceat actióne; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concilio Milevitáno secundo. *An. 416. in Cod. Can. Ecclesiæ Afric. Cap. 109.*

QUicúmque díxerit Adam primũ hóminem mortálem factum, ita ut sive peccáret, sive non peccáret, moreretur in córpore, hoc est, de córpore exíret, non peccáti mérito, sed necessitáte natúræ; Anáthema sit.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Sap. 14.*

AB inítio cùm perírent supérbi gigántes, † spes orbis terrárum ad ratem confúgiens, * remísit sǽculo semen nativitátis, quæ manu tuâ, Pater, erat gubernáta.

℟. *br. Hymnus &* ℣. *ut in Sabbato ante Septuagesimam, pag. 481.*

Ad Magníficat. *Ant.* Noë inventus est perfectus, justus, & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Ideò dimissum est réliquum terræ, cùm factum est dilúvium. *Eccli. 44.*

Collecta infrà ad Laudes, pag. 512.

DOMINICA

SEXAGESIMÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

In Psalm. Veníte. *Ant.* Deum totíus creatúræ Dóminum, * Veníte, adorémus. *Judith, 9.*

Hymnus, Rebus creátis *ut in Dominicâ Septuages. suprà, pag. 482.*

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap. 8.*

REcordátus autem Deus Noë, cunctorumque animántium, & ómnium jumentórum, quæ erant cum eo in arcâ, addúxit spíritum super terram, & imminútæ sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyssi,

& cataractæ cœli : & prohibitæ sunt plúviæ de cœlo. Reversǽque sunt aquæ de terrâ euntes & redeuntes : & cœpérunt minui post centum quinquaginta dies. Requievítque arca mense séptimo, vigésimo séptimo die mensis, super montes Arméniæ.

℟. Noë inventus est perfectus; justus, & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio * Testamenta séculi pósita sunt apud illum, ne deléri possit dilúvio omnis caro. ℣. Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, métuens aptávit arcam in salútem domûs suæ. * Testamenta. *Eccli.* 44. *Hebr.* 11.

LECTIO II.

MEnse secundo, séptimo & vigésimo die mensis, arefacta est terra. Locútus est autem Deus ad Noë, dicens : Egrédere de arcâ, tu, & uxor tua, filii tui, & uxóres filiórum tuórum tecum. Cuncta animántia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatílibus quàm in béstiis, & univérsis reptílibus, quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredímini super terram, créscite & multiplicámini super eâ. Egressus est ergo Noë, & filii ejus, uxor illíus, & uxóres filiórum ejus, cum eo. Sed & ómnia animántia, egressa sunt de arcâ.

℟. In arcâ pauci, id est octo ánimæ, salvæ factæ sunt per aquam : * Quod & vos nunc símilis formæ salvos facit baptísma. ℣. Ab initio cùm períirent supérbi gigántes, spes orbis terrárum ad ratem confúgiens remísit século semen nativitátis. * Quod. *I. Petr.* 3. *Sap.* 14.

LECTIO III.

ÆDificávit autem Noë altáre Dómino : & tollens de cunctis pecóribus & volúcribus mundis, óbtulit holocausta super altáre. Odoratúsque est Dóminus odórem suavitátis, & ait : Nequáquam ultrà maledícam terræ propter hómines : sensus enim & cogitátio humáni cordis in malum prona sunt ab adolescéntiâ suâ : non ígitur ultrà percútiam omnem ánimam viventem sicut feci. Cunctis diébus terræ, seméntis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, nox & dies, non requiéscent.

℟. Egressus Noë de arcâ, ædificávit altáre Dómino, & óbtulit holocausta : * Et dixit Deus ad Noë & ad filios ejus cum eo : Ecce ego státuam pactum meum vobíscum, & cum sémine vestro post vos. ℣. Justítiæ quæ per

fidem est, Noë hæres est institútus. * Et. Gen. 8. & 9. Hebr. 11.

LECTIO IV. Cap. 9.

BEnedixitque Deus Noë & filiis ejus. Et dixit ad eos: Créscite, & multiplicámini, & repléte terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animália terræ, & super omnes vólucres cœli, cum univérsis quæ moventur super terram: omnes pisces maris mánui vestræ tráditi sunt. Et omne, quod movétur & vivit, erit vobis in cibum: quasi ólera viréntia trádidi vobis ómnia: excepto, quòd carnem cum sánguine non comedétis. Sánguinem enim animárũ vestrárum requíram de manu cunctárum bestiárum: & de manu hóminis; de manu viri, & fratris ejus requíram ánimam hóminis. Quicumque effúderit humánum sánguinem, fundétur sanguis illíus: ad imáginem quippe Dei factus est homo.

℟. Dixit Deus: Arcum meum ponam in núbibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram; * Et † Non erunt ultrà aquæ dilúvii ad delendum univérsam carnem. ℣. Ille tunc mundus aquâ inundátus périit. Cœli autem & terra eódem verbo repósiti sunt, igni reserváti in diem judícii & perditiónis impiórum hóminum; * Et non. ℣. Glória. † Non. Genes. 9. II. Petr. 3.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Catechizandis rúdibus. Edit. Ben. Cap. 19. n. 31.

DUæ civitátes, una iniquórum, áltera sanctórum, ab inítio géneris humáni usque in finem sǽculi perducuntur, nunc permixtæ corpóribus, sed voluntátibus separátæ; in die verò judícii étiam córpore separandæ. Omnes enim hómines amantes supérbiam & temporálem dominatiónem cum vano typho & pompâ arrogántiæ, omnésque spíritus qui tália díligunt & glóriam suam subjectióne hóminum quærunt, simul unâ societáte devíncti sunt. Et rursus omnes hómines, & omnes spíritus humíliter Dei glóriam quærentes, non suã, & cum pietáte sectantes, ad unam pértinent societátem.

℟. Omnes hómines de solo, & ex terrâ, unde creátus est Adam. Ex ipsis benedixit Deus, sanctificávit, & ad se applicávit: & ex ipsis maledixit & humiliávit. * Quasi lutum figuli in manu ipsíus: sic homo in manu illíus qui se

fecit. ℣. Annon habet potestátem figulus luti, ex eâdem massâ fácere áliud quidem vas in honórem, áliud verò in contuméliam? * Quasi. *Eccli.* 33. *Rom.* 9.

LECTIO VI. *n.* 31 & 32.

ET tamen Deus misericordíssimus, & super ímpios hómines pátiens est, & præbet eis pœniténtiæ, atque correctiónis locum. Nam & quòd omnes dilúvio delévit, excepto uno justo cum suis, quos in arcâ servári vóluit, nóverat quidem quòd non se correctúri essent: verúmtamen cùm per centum annos arca fabricáta est, prædicabátur útique eis ira Dei ventúra super eos: & si converterentur ad Deum, párceret eis; sicut pepercit póstea Nínive civitáti agenti pœniténtiâ, cùm ei per Prophétam futúrum intéritum prænuntiasset. Hoc autem facit Deus, étiam illis quos novit in malítiâ perseveratúros, dans pœniténtiæ spátium, ut nostram patiéntiam exérceat & informet exemplo suo; quo novérimus quantùm nos opórteat tolerabíliter malos sustinére, cùm ignorémus quales póstea futúri sunt, quando ille parcit, & finit eos vívere, quem nihil futurórum latet.

℟. O quàm bonus & suávis est, Dómine, spíritus tuus in ómnibus. * Ideóque eos qui exerrant ádmones & adlóqueris, ut relíctâ malítiâ, credant in te, Dómine. ℣. Ob hoc quòd ómnium Dóminus es, ómnibus te párcere facis; * Ideóque. *Sap.* 12.

LECTIO VII. *n.* 32.

PRænuntiabátur tamen étiam dilúvii sacramento quo per lignum justi liberáti sunt, futúra Ecclésia quam Rex ejus & Deus Christus mystério suæ crucis ab hujus séculi submersióne suspendit. Neque enim Deus ignorábat, quòd étiam ex illis qui fuerant in arcâ serváti, nascitúri erant mali, qui fáciem terræ iniquitátibus íterum implérent: sed tamen & exemplum futúri judícii dedit, & sanctórum liberatiónem ligni mystério prænuntiávit.

℟. Cùm aqua deléret terram, sanávit sapiéntia, * Per contemptíbile lignũ, justum gubernans. ℣. Octávum Noë justítiæ præcónem custodívit, dilúvium mundo impiórum indúcens, * Per. *Sap.* 10. *II. Petr.* 2.

LECTIO VIII. *n.* 4.

NEque tunc sanè defuérunt justi, qui Deum piè quærerent, & supérbiam diáboli vincerent,

cives illíus sanctæ civitátis, quos Regis sui Christi ventúra humílitas per spíritum reveláta sanávit. Horum sanctórum, qui præcessérunt témpore nativitátem Dómini, non solùm sermo, sed étiam vita, & conjúgia, & filii, & facta, prophetía fuit hujus témporis, quo per fidem passiónis Christi ex Géntibus congregátur Ecclésia. Per illos sanctos Patriarchas & Prophétas carnáli pópulo Israel, qui póstea étiam Judæi appelláti sunt, & visibília benefícia ministrabantur quæ carnáliter à Dómino desiderábant, & coercitiónes pœnárum corporálium quibus pro témpore terrerentur, sicut eórum durítiæ congruébat. Et in his tamen ómnibus mystéria spiritália significabantur, quæ ad Christum & Ecclésiam pertinérent: cujus Ecclésiæ membra erant étiam illi sancti, quamvis in hâc vitâ fúerint ántequam secundùm carnem Christus Dóminus nasceretur.

℟. Illi viri misericórdiæ sunt quorum pietátes non defuérunt: * Cum sémine eórum pérmanent bona; hæréditas sancta nepótes eórum, & † In testamentis stetit semen eórum. ℣. Non confúnditur Deus vocári Deus eórum; parávit enim illis civitátem. * Cum. ℣. Glória. † In. *Eccli.* 44. *Hebr.* 11.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Psalterio.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 2.

DEponentes ígitur omnem malítiam, & omnem dolum, & simulatiónes, & invídias, & omnes detractiónes, sicut modò géniti infantes, rationábile, sine dolo lac concupíscite: ut in eo crescátis in salútem: si tamen gustastis quóniam dulcis est Dóminus. Ad quem accedentes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem electum, & honorificátum: & ipsi tamquàm lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdótium sanctum, offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum.

℟. Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, hic factus est in caput ánguli. * Unusquisque vídeat quómodò superædíficet. ℣. Fundamentũ áliud nemo potest pónere, præter id quod est Christus Jesus. * Unusquisque. *Ps.* 117. *I. Cor.* 3.

LECTIO X.

PRopter quod cóntinet Scriptúra: Ecce pono in Sion lápidem summum

angulárem, electum, pretiósum: & qui crediderit in eum, non confundétur. Vobis ígitur honor credéntibus: non credéntibus autem, lapis quem reprobavérunt ædificantes, hic factus est in caput ánguli, & lapis offensiónis, & petra scándali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & pósiti sunt.

℟. Justus meus ex fide vivit; quòd si subtráxerit se, non placébit ánimæ meæ. * Nos autem non sumus subtractiónis filii in perditiónem, sed fidei in acquisitióně ánimæ. ℣. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetipso; * Nos. *Hebr.* 10. *Habac.* 2.

LECTIO XI.

VOs autem genus electum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis: ut virtútes annuntiétis ejus, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. Qui aliquando non pópulus, nunc autem pópulus Dei: qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti. Caríssimi, óbsecro vos tamquàm ádvenas & peregrínos abstinére vos à carnálibus desidériis quæ mílitant adversùs ánimam, conversatiónem vestram inter Gentes habentes bonam; ut in eo quòd detrectant de vobis tamquàm de malefactóribus, ex bonis opéribus vos considerantes, gloríficent Deum in die visitatiónis.

℟. Custodíte mandáta Dei vestri. * Hæc est enim vestra sapiéntia & intellectus coram pópulis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En pópulus sápiens & intélligens, gens magna. ℣. Sitis sine querélâ, & símplices filii Dei, sine reprehensióne, in médio natiónis pravæ & perversæ: * Hæc est. *Deuter.* 4. *Philip.* 2.

LECTIO XII. *Cap.* 3.

MElius est enim benefacientes (si volúntas Dei velit) pati, quàm malefacientes: quia & Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu. In quo & his, qui in cárcere erant, spirítibus véniens prædicávit: qui incréduli fuerant aliquando, quando exspectábant Dei patiéntiam in diébus Noë, cùm fabricarétur arca: in quâ pauci, id est octo ánimæ, salvæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc símilis formæ salvos facit baptísma: non carnis depósitio sórdium, sed consciéntiæ bonæ interrogátio in Deum per resurrectió-

nem Jesu Christi, qui est in déxterâ Dei, deglútiens mortem, ut vitæ ætérnæ hærédes efficerémur: proféctus in cœlum subjectis sibi Angelis, & potestátibus, & virtútibus.

℟. Quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? sed & si quid patímini propter justítiam, beáti. * Timórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini. ℣. Dóminum Christũ sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad satisfactiónem omni poscenti vos ratiónem de eâ, quæ in vobis est, spe. * Timórem. ℣. Glória. * Timórem. *I. Petr.* 3.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 8.

Cum turba plúrima convenírent, & de civitátibus properárent ad Jesum, dixit per similitúdinem: Exiit qui séminat, semináre semen suum: & dum séminat, áliud cécidit secus viam, & vólucres cœli comedérunt illud. Et áliud cécidit supra petram: & natum áruit, quia non habébat humórem. Et áliud cécidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocavérunt illud. Et áliud cécidit in terram bonam, & ortum fecit fructum céntuplum. Hæc dicens clamábat: Qui habet aures audiendi, áudiat. Interrogábant autem eum discípuli ejus, quæ esset hæc parábola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mystérium regni Dei, cæteris autem in parábolis: ut vidéntes non videant, & audientes non intélligant. Est autem hæc parábola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui áudiunt; deinde venit diábolus, & tollit verbum de corde eórum, ne credentes salvi fiant. Nam qui supra petram: qui cùm audíerint, cum gáudio suscípiunt verbum: & hi radíces non habent: qui ad tempus credunt, & in témpore tentatiónis recédunt. Quod autem in spinas cécidit: hi sunt qui audiérunt, & à sollicitudínibus, & divítiis & voluptátibus vitæ, euntes, suffocantur, & non réferunt fructũ. Quod autem in bonam terram: hi sunt qui in corde bono & óptimo audientes verbum rétinent, & fructum ásferunt in patiéntiâ.

AD LAUDES.

Ant. Lectio, ℟. br. Hymnus & ℣. ut in Dominicâ Septuagesimæ, pag. 489.

Ad Benedictus. *Ant.* Cùm turba plúrima convenírent, & de civitátibus properárent ad Jesum, dixit per similitúdinem: Exiit

qui séminat, semináre semen suum. *Luc.* 8.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

OMnípotens sempiterne Deus, multíplica in honórem nóminis tui, quod Patrum fidei spopondísti; † & promissiónis filios sacrâ adoptióne diláta: * ut quod prióres sancti non dubitavérunt futúrum, Ecclésia tua magnâ jam ex parte cognoscat implétum; Per Dóminum.

AD HORAS, *Antiphonæ ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 5. *Can.* 3.

SI quis Adæ peccátum, quod orígine unum est, & propagatióne non imitatióne transfúsum, ómnibus inest unicuíque próprium, vel per humánæ natúræ vires, vel per áliud remédium ádserit tolli, quàm per méritum uníus Mediatóris Dómini nostri Jesu Christi, qui nos reconciliávit in sánguine suo, factus nobis justítia, sanctificátio & redémptio: aut negat ipsum Jesu Christi méritum, per baptísmi sacramentum in formâ Ecclésiæ ritè collátum, tam adultis, quàm párvulis applicári; anáthema sit: quia non est áliud nomen sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fieri.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Hebr.* 11.

FIde plúrimam hóstiam Abel quàm Caïn óbtulit Deo, † per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo; * & per illam defunctus adhuc lóquitur.

℣. Acceptábis Dómine, sacrifíciũ justítiæ; ℟. Oblatiónes & holocausta. *Ps.* 50.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Hebr.* 11.

FIde Enoch translátus est, ne vidéret mortem: † & non inveniebátur quia tránstulit eum Deus: * ante translatiónem enim testimónium hábuit placuisse Deo.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus; ℟. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39.

AD NONAM.

LECTIO. *Hebr.* 11.

FIde Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, † métuens aptávit arcam in salútem domûs suæ, per quam damnávit mundum; * & justítiæ, quæ per fidem est, hæres est institútus.

℣. Salus justórum à Dómino, ℟. Et protector eórum in témpore tribulatiónis. *Ps.* 36.

AD VESPERAS.

Ant. Lectio, ℟. br. Hymnus & ℣. ut in Dominicâ Septuagesimæ, pag. 490.

Ad Magníficat. *Ant.* Vobis datum est nosse mystérium regni Dei, cæteris autem in parábolis; ut videntes non vídeant, & audientes non intélligant. *Luc.* 8.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 9.

HÆc dixit Deus ad Noë, & ad filios ejus cum eo: Ecce ego státuam pactum meum vobiscum, & cum sémine vestro post vos: & ad omnem ánimam viventem, quæ est vobiscum. Státuam pactum meũ vobiscum, & nequáquam ultrà interficiétur omnis caro aquis dilúvii, neque erit deinceps dilúvium dissipans terram. ¶ Dixitque Deus: Arcum meum ponam in núbibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Cùmque obdúxero núbibus cœlum, apparébit arcus meus in núbibus: & recordábor fœderis mei vobiscum, & cum omni ánimâ vivente, quæ carnem végetat; & non erunt ultrà aquæ dilúvii ad delendum universam carnem.

LECTIO II.

ERant ergo filii Noë, qui egressi sunt de arcâ, Sem, Cham, & Japhet: & ab his disseminátum est omne genus hóminum super universam terram. Cœpitque Noë vir agrícola exercére terram, & plantávit víneam. Bibensque vinum inebriátus est, & nudátus in tabernáculo suo. Quod cùm vidisset Cham pater Chánaan, nuntiávit duóbus frátribus suis foràs. At verò Sem & Japhet pállium imposuérunt húmeris suis, & incedentes retrorsum, operuérunt verenda patris sui. ¶ Evígilans autem Noë ex vino, cùm didicisset quæ fécerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chánaan, servus servórum erit frátribus suis. Dixitque: Benedictus Dóminus Deus Sem, sit Chánaan servus ejus. Diláter Deus Japhet, & hábitet in tabernáculis Sem, sitque Chánaan servus ejus. Vixit autem Noë post dilúvium trecentis quinquaginta annis. Et impléti sunt omnes dies ejus nongentórum quinquaginta annórum: & mórtuus est.

℟. I. Cùm obdúxero núbibus cœlum, apparébit arcus meus in núbibus, & non erunt ultrà aquæ dilúvii ad delendum universam

carnem. * Hoc erit signum fœderis quod constitui inter me & omnem carnem super terram. ℣. Vide arcum & bénedic eum qui fecit illum; valde speciósus est in splendóre suo; * Hoc. *Genes.* 9. *Eccli.* 43.

℟. II. Sicut in diébus Noë jurávi ne indúcerem aquas ultra super terram; sic jurávi ut non irascar tibi, Jerúsalem; * Dixit miserátor tuus Dóminus. ℣. Montes commovebuntur; misericórdia autem mea non recédet à te, & fœdus pacis meæ non commovébitur, * Dixit. *Isai.* 54.

℟. III. In ópere & sermóne, & omni patiéntiâ honóra patrem tuum: * Ut supervéniat tibi benedíctio ab eo, & benedíctio illíus in novíssimo máneat. ℣. Honóra patrem tuum & matrem tuam, quod est mandátum primum in promissióne: * Ut. *Eccli.* 3. *Ephes.* 6

℟. IV. Benedíctio patris firmat domos filiórum: maledíctio autem matris eradícat fundamenta. * Ne gloriéris in contumélià patris tui: non enim est tibi glória, ejus confúsio. ℣. Glória hóminis ex honóre patris sui. * Ne. ℣. Glória. * Ne. *Eccli.* 3.

LECTIO III.

Ex Responsiónibus sancti Prósperi Aquitáni ad Excerpta Genuénsium. *Edit. Nov. Excerpt.* 9.

ABsint hæc à Cathólicis córdibus, absit talis impíetas, ut quemquam putémus méritis suis érui de potestáte tenebrárum, & in regnum Filii Dei débitâ non gratúitâ adoptióne transferri. Magno peccáto périit Adam, & in illo omnes periérunt: quia omni hómini damnátâ nativitáte génito, hoc in Adam debétur ut péreat. Et sicut non póssumus cónqueri de eo quòd in prætéritis séculis dimísit omnes gentes íngredi vias suas: ita justam non haberémus querélam, si cum iis, cum quibus nobis fuit causa commúnis, cessante adhuc grátiâ, perirémus. Quæ tamen sicut tunc de omni mundo éruit paucos; ita nunc de universo génere hóminum salvat innúmeros; non secundùm ópera nostra, sed secundùm propósitum & grátiam quæ data est nobis in Christo Jesu, ante témpora seculária.

℟. Misericórdiæ Dómini quia non sumus consumpti: * Quia non defecérunt miseratiónes ejus. ℣. Erámus natúrâ filii iræ, sicut & cæteri: Deus au-

tem, propter nímiam caritátem suam, quâ diléxit nos, & cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo; * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Thren. 3. Ephes. 2.*

Ad Benedíctus. *Ant.* Sicut in diébus Noë istud mihi est, cui jurávi ne indúcerem aquas Noë ultrà super terram: sic jurávi ut non irascar tibi: dixit miserátor tuus Dóminus. *Isai. 54.*

Collecta. *Sacr. Gelas.*

DOmine Deus, qui ad hoc irásceris, ut subvénias: ad hoc mináris, ut parcas: † lapsis manum pórrige, & laborántibus multíplici miseratióne succurre: * ut qui per te redempti sunt, ad spem vitæ æternæ tuâ moderatióne serventur; Per Dóminum.

Canon.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 5. Can. 4. & Milevit. II. Can. 2.*

SI quis párvulos recentes, ab úteris matrum baptizandos negat, étiamsi fúerint à baptizátis paréntibus orti; aut dicit in remissiónem quidem peccatórum eos baptizári, sed nihil ex Adam tráhere originális peccáti, quod regeneratiónis lavácro necesse sit expiári ad vitam ætérnam consequendam; unde fit cónsequens ut in eis forma baptísmatis in remissiónem peccatórum non vera, sed falsa intelligátur; Anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Benedíctio patris firmat domos filiórum: glória hóminis ex honóre patris sui. *Eccli. 3.*

FERIA TERTIA.

Lectio I.

Ex Libro Génesis. *Cap. 11.*

ERat autem terra lábii uníus, & sermónum eorumdem. Dixitque alter ad próximum suum: Veníte, faciámus latéres, & coquámus eos igni. Habuerúntque latéres pro saxis, & bitúmen pro cæmento: & dixérunt: Veníte, faciámus nobis civitátem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum: & celebrémus nomen nostrum, ántequam dividámur in univérsas terras. ¶ Descendit autem Dóminus ut vidéret civitátem & turrim, quam ædificábant filii Adam, & dixit: Ecce, unus est pópulus, & unum lábium ómnibus: cœperúntque hoc fácere nec desistent à cogitatiónibus suis, donec eas ópere cómpleant. Veníte ígitur, descendámus, & confundámus ibi linguam eórum, ut non áudiat unusquísque vocem próximi sui. Et cessavérunt ædificáre civitátem. Et idcircò vo-

cátum est nomen ejus Babel, quia ibi confúsum est lábium universæ terræ: & inde dispersit eos Dóminus super fáciem cunctárum regiónum.

LECTIO II. *Cap. 12.*

DIxit Dóminus ad Abrã: Egrédere de terrâ tuâ, & de cognatióne tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrábo tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedícam tibi, & magnificábo nomen tuum, erisque benedictus. Benedícam benedicéntibus tibi, & maledícam maledicéntibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognatiónes terræ. ¶ Egressus est ítaque Abram sicut præcéperat ei Dóminus, & ivit cum eo Lot: septuaginta quinque annórum erat Abram cùm egrederétur de Haran. Tulitque Sárai uxórem suam, & Lot filium fratris sui, universamque substántiam quam possséderant, & ánimas quas fécerant in Haran: & egressi sunt ut irent in terram Chánaan. Appáruit autem Dóminus ad Abram, & dixit ei: Sémini tuo dabo terram hanc. Qui ædificávit ibi altáre Dómino, qui apparúerat ei.

℟. I. Per sapiéntiã sanáti sunt quicumque placuérunt tibi, Dómine, à princípio. Hæc * Et in consensu nequítiæ cùm se natiónes contulissent, scivit justum, & conservávit sine querélâ Deo. ℣. Cognóvit Dóminus qui sunt ejus. * Et. *Sap. 9 & 10. II. Tim. 2.*

℟. II. Quando dividébat Altíssimus Gentes: * Quando separábat fílios Adam, constítuit términos populórum juxta númerum filiórum Israel. ℣. Notum à século est Dómino opus suũ: * Quando. *Deut. 32. Act. 15.*

℟. III. Tu ipse, Dómine Deus, elegisti Abram, & eduxisti eum de igne Chaldæórum; * Et invenisti cor ejus fidéle coram te, & percussisti cum eo fœdus. ℣. Fide obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem, & éxiit nésciens quò iret; * Et invenisti. *II. Esdr. 9. Hebr. 11.*

℟. IV. Vos estis filii Prophetárum & testamenti quod dispósuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et * In sémine tuo benedicentur omnes famíliæ tuæ. ℣. Próvidens Scriptúra quia ex fide justíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ. * In. ℣. Glória. * In. *Act. 3. Galat. 3.*

LECTIO III.

Ex Epístolâ trigésimâ sancti Paulíni Epíscopi ad Sevérum. *Edit. Nov.*

PAuper ego & dolens, quia adhuc terrénæ imáginis squalóre concré-

tus sum, & plus de primo quàm de secundo Adam cárneis sénsibus & terrénis áctibus réfero, quómodo tibi audébo me píngere, cùm cœlestis imáginem inficiári prober corruptióne terrénâ? Utrimque me conclúdit pudor; erubesco píngere quod sum, non áudeo píngere quod non sum: odi quod sum, & non sum quod amo. Sed quid mihi mísero próderit odisse iniquitátem & amáre virtútem, cùm id pótiùs agam quod odi, nec elabórem piger id pótiùs ágere quod amo? Ipse discors meî intestíno bello dístrahor, dum spíritus adversùs carnem, & caro adversùs spíritum dímicat; & lex córporis lege peccáti legem mentis impugnet. Infélix ego, qui venenátum inimícæ árboris gustum nec crucis ligno digessi: durat enim mihi illud ab Adam virus patérnum, quo universitátem géneris sui pater prævaricátus infécit: ut qui naturáli bono óculos mentis apertos innocéntiæ, & iniquitáti clausos habébam, lethálem prudéntiam boni malíque delectu, de infausto némoris interdicti cibo cæcátus páriter & malè luminátus haurírem.

℟. Vídeo áliam legem in membris meis, repugnantē legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccáti, * Infélix ego homo, quis me liberábit de córpore mortis hujus? ℣. Scio quia non hábitat in carne meâ bonum. Nam velle ádjacet mihi: perfícere autem bonum, non invénio. * Infélix. ℣. Glória. * Infélix. *Rom.* 7.

Ad Benedictus. *Ant.* In consensu nequítiæ cùm se natiónes contulissent, sapiéntia scivit justum, & conservávit sine querélâ Deo. *Sap.* 10.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus qui nobis per Prophetárum ora præcepisti temporália relínquere, atque ad ætérna festináre: † da fámulis tuis, ut quæ à te jussa cognóvimus, * implére cœlesti inspiratióne valeámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 5. *Can.* 4.

NOn áliter intelligendum est id quod dixit Apóstolus: Per unum hóminem peccátum intrávit in mundum, & per peccátum mors, & ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt: nisi quemádmodum Ecclésia cathólica ubíque diffusa semper intellexit. Propter hanc enim régulam fidei ex traditióne Apostolórum, étiam párvuli qui nihil peccatórum, in semetipsis adhuc commíttere potuérunt,

ídeò in remissiónem peccatórum veráciter baptizantur, ut in eis regeneratióne mundétur quod generatióne contraxérunt. Nisi enim quis renátus fúerit ex aquâ & spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei.

Ad Magníficat. *Ant.* Quando dividébat Altíssimus gentes, quando separábat filios Adam, constítuit términos populórum. Pars autem Dómini pópulus ejus. *Deut.* 32.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro Genesis. *Cap.* 15.

FActus est sermo Dómini ad Abram per visiónem dicens : Noli timére Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Dixitque Abram : Dómine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis : & filius procuratóris domûs meæ iste Damascus Eliezer. Addiditque Abram : Mihi autem non dedisti semen : & ecce vernáculus meus, hæres meus erit. ¶ Statimque sermo Dómini factus est ad eum, dicens : Non erit hic hæres tuus : sed qui egrediétur de útero tuo, ipsum habébis hærédem. Eduxitque eum foràs, & ait illi : Súspice cœlum, & número stellas, si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum. Crédidit Abram Deo, & reputátum est illi ad justítiam.

Responsoria ut heri.

LECTIO II. *Cap.* 18.

APpáruit autem ei Dóminus in convalle Mambre sedenti in óstio tabernáculi sui in ipso fervóre diéi. Cùmque elevasset óculos, apparuérunt ei tres viri stantes prope eum : quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eórum de óstio tabernáculi, & adorávit in terram. Et dixit : Dómine, si invéni grátiam in óculis tuis, ne tránseas servum tuum : sed ásferam pauxillum aquæ, & laváte pedes vestros, & requiéscite sub árbore. Ponamque buccellam panis, & confortáte cor vestrum, póstea transíbitis : idcirco enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixérunt : Fac ut locútus es. ¶ Cùmque comedissent, dixérunt ad eum; Ubi est Sara uxor tua? Ille respondit : Ecce in tabernáculo est. Cui dixit : Revertens véniam ad te témpore isto, vitâ cómite, & habébit filium Sara uxor tua.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Augustíni Episcopi de Líbero arbítrio. *Edit. Bened.* *n.* 51.

NOn est bonus homo, nec habet in potestáte ut bonus sit, sive non

videndo qualis esse débeat, sive videndo, & non valendo esse, qualem debére esse se videt : pœnam istam esse quis dúbitet ? Omnis autem pœna, si justa est, peccáti pœna est. Et supplícium nominátur : si autem injusta est pœna, quóniam pœnam esse nemo ámbigit, injusto áliquo dominante hómini impósita est. Porrò quia de omnipoténtiâ Dei, & justítiâ dubitáre dementis est, justa hæc pœna est, & pro peccáto áliquo pénditur. Illa est enim peccáti pœna justíssima, ut amittat quisque quo bene uti nóluit, cùm sine ullâ posset difficultáte, si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit : & qui rectè fácere cùm posset nóluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt revérâ omni peccanti ánimæ duo ista pœnália, ignorántia & difficultas. Ex ignorántiâ dehonestat error, ex difficultáte cruciátus afflígit. Sed approbáre falsa pro veris, ut erret invítus; & resistente atque torquente dolóre carnális vínculi, non posse à libidinósis opéribus temperáre, non est natúra institúti hóminis, sed pœna damnáti. Cùm autem de líberâ voluntáte rectè faciendi lóquimur, de illâ scílicet, in quâ homo factus est, lóquimur.

℟. De necessitátibus meis érue me. * Vide humilitátem meam, Dómine, & labórem meum. ℣. Caro concupiscit advérsùs spíritum; spíritus autem advérsùs carnem : * Vide. ℣. Glória. * Vide. *Ps.* 24. *Gal.* 5.

Ad Benedictus. *Ant.* Abraham pater est ómnium nostrûm (sicut scriptum est : Quia patrem multárum géntium pósui te) ante Deum, cui crédidit. *Rom.* 4.

COLLECTA. *Mss. Vatic.*

Caput misericórdiæ Deus, qui propter nos descendens in úterum Vírginis, affixus es ligno; † precámur ut hujus commércii non ímmemor, * sis pópuli ab ore leónis ereptor, qui fuisti quondam Pátribus in te sperántibus liberátor; Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Vaurensi. *An.* 1368. *Cap.* 1.

Præcípuè autē est baptismus necessárius ómnibus párvulis & adultis, ex quo fuit à Dómino institútus; & ália contra peccátum originále remédia cessárunt. Est enim baptismus contra vulnus originále, sine quo, secundùm Sanctos, in filiis hóminum nemo unquam concептus est, præter Christum,

mortis hujus? ℣. Condelector legi Dei secundùm interiórem hóminem. Vídeo autem áliam legem in membris meis captivantem me in lege peccáti. * Infélix. ℣. Glória. * Infélix. *Rom.* 7.

Ad Benedictus. *Ant.* Quâ die éxiit Lot à Sódomis, pluit ignem & sulfur de cœlo, & omnes pérdididit: secundùm hæc erit quâ die Fílius hóminis revelábitur. *Luc.* 17.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DIrige, Dómine, quæsumus Ecclésiam tuâ dispensatióne cœlesti: † ut quæ ante mundi princípium in tuâ semper est præséntiâ præparáta, * usque ad plenitúdinem gloriamque promissam, te moderante pervéniat; Per Dóminum.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Episcopórum in Sardíniâ éxulum, de Grátiâ & humáno arbítrio. *An.* 521. *Cap.* 5.

ILlud præcípuè observandum est & tenendum, parvulórum ánimas nexu peccáti originális obstrictas, omnibusque necessárium esse sancti baptísmatis sacramentum, quo dimíttitur peccáti originális vínculum, & amissa in primo hómine, per secundum hóminem recípitur adóptio filiórum.

Ad Magníficat. *Ant.* Péperit Sara fílium in senectúte suâ: quóniam fidélem crédidit esse eum, qui repromíserat. *Genes.* 21. *Hebr.* 11.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 22.

TEntávit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Isaac, & vade in terram visiónis: atque ibi ófferes eum in holocaustum super unum móntium quē monstrávero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit ásinum suum: dúcens secum duos júvenes, & Isaac fílium suum. Cùmque concidisset ligna in holocaustum, ábiit ad locum quem præcéperat ei Deus. ¶ Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul: dixitque ad púeros suos: Exspectáte hìc cum ásino: ego & puer illuc usque properantes, postquàm adoravérimus, revertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, & impósuit super Isaac fílium suum: ipse verò portábat in mánibus ignem & gládium.

Cùmque duo pérgerent simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: ubi est víctima holocausti? Dixit autem Abraham: Deus providébit sibi víctimam holocausti, fili mi.

LECTIO II.

PErgébant ergo páriter, & venérunt ad locum quem osténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre. & désuper ligna compósuit: cùmque alligasset Isaac filium suum, pósuit eum in altáre super struem lignórum. Extenditque manum, & arrípuit gládium: ut immoláret filium suum. ¶ Et ecce Angelus Dómini de cœlo clamávit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum. Dixitque ei: Non extendas manum tuam super púerum, neque fácias illi quidquam: nunc cognóvi quòd times Deum, & non pepercisti unigénito filio tuo propter me. Levávit Abraham óculos suos, viditque post tergum aríetem inter vepres hærentem córnibus, quem assúmens óbtulit holocaustum pro filio.

℟. I. Abraham in tentatióne inventus est fidélis. * Ideò jurejurando dedit illi glóriam in gente suâ créscere illum quasi terræ cumulum, & ut stellas exaltáre semen ejus. ℣. In repromissióne Dei non hæsitávit diffidéntiâ, sed confortátus est fide, dans glóriam Deo. * Ideò. *Eccli.* 44. *Rom.* 4.

℟. II. Mémores esse debent, quómodo pater noster Abraham tentátus est; * Et per multas tribulatiónes probátus, Dei amícus effectus est. ℣. Fide óbtulit Abraham Isaac, cùm tentarétur; * Et. *Judith*, 8. *Hebr.* 11.

℟. III. Fide Abraham unigénitum offerébat, qui suscéperat repromissiónes: ad quem dictum est: Quia in Isaac vocábitur tibi semen; * Arbitrans quia & à mórtuis suscitáre potens est Deus. ℣. Extendit manum, & arrípuit gládium, ut immoláret filium suum, * Arbitrans. *Hebr.* 11. *Genes.* 22.

℟. IV. Per memetipsum jurávi, dicit Dóminus; Quia non pepercisti filio tuo unigénito propter me, benedícam tibi, * Et † Benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Abrahæ dictæ sunt promissiónes & sémini ejus. Non dicit: & semínibus quasi in multis: sed quasi in uno: Et sémini tuo qui est Christus; * Et. ℣. Glória. † Benedicentur. *Genes.* 22. *Galat.* 3.

LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Augustíni Epíscopi, de Peccatórum méritis & remissióne. *Edit. Bened. Cap. 4. n. 4.*

Concupiscéntia tamquàm lex peccáti manens in membris córporis mortis hujus cum párvulis náscitur, in párvulis baptizátis à reátu sólvitur, ad agónem relínquitur, ante agónem mórtuos nullâ damnatióne pərséquitur; párvulos non baptizátos reos innectit, & tamquàm iræ fílios, etiamsi párvuli moriantur, ad condemnatiónem trahit. In grándibus autem baptizátis, in quibus jam ratióne uténtibus quidquid eídem concupiscéntiæ mens, ad peccandum consentit, própriæ voluntátis est delétis peccátis ómnibus, solúto étiam reátu, quo vinctos originálitér detinébat, ad agónem ínterim manet, non sibi ad illícita consentiéntibus nihil omníno nocitúra. Consentientes autem sibi ad illícita reos tenet, & nisi per medicínam pœniténtiæ & ópera misericórdiæ, per cœlestem sacerdótem pro nobis interpellantem sanentur, ad secundam mortem damnatiónemque perdúcit.

℟. Condelector legi Dei secundùm interiórem hóminem: * Vídeo autem áliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccáti. ℣. Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, Dómine; * Vídeo. ℣. Glória. * Vídeo. *Rom. 7. Ps. 118.*

Ad Benedictus. *Ant.* Fide óbtulit Abraham Isaac, cùm tentarétur, & unigénitum offerébat, qui suscéperat repromissiónes. *Hebr. 11.*

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

Deus, qui in Abrahæ fámuli tui ópere, humáno géneri obediéntiæ exempla præbuisti: † concéde nobis, & nostræ voluntátis pravitátem frángere, * & tuórum præceptórum rectitúdinem in ómnibus adimplére; Per Dóminum.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Episcopórum in Sardíniâ, éxulum, de Grátiâ & humáno arbítrio. *An. 521. Cap. 25.*

De párvulis indubitanter tenenda cathólicæ régula veritátis; quia párvulus qui baptizátur, gratúitâ Dei bonitáte salvátur: qui verò sine baptísmate móritur, propter peccátum originále damnátur. Nec áliquo dicendus est Dei benefício futúræ impie-

ati præreptus, qui absque ustificatiónis grátiâ mórtuus, est impiórum consórtio deputátus: à quâ mpietáte sive párvulus, ive majóris ætátis, solo uisque remédio erípitur, i Christi sánguine redimátur.

Ad Magníficat, *Ant.* Abraham in tentatióne invéntus est fidélis; ídeò jurejurando dedit illi Deus glóriam in gente suâ. *Ecli.* 44.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis, *Cap.* 25.

CUm quadraginta esset annórum, duxit Isaac uxórem Rebeccam filiam Bathuélis Syri de Mesopotámiâ, sorórem Laban. Deprecatusque est Isaac Dóminum pro uxóre suâ; eo quòd esset stérilis: qui exaudívit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in útero ejus párvuli. Perrexitque ut consúleret Dóminum. Qui respondens ait: Duæ gentes sunt in útero tuo, & duo pópuli ex ventre tuo dividentur, populusque pópulum superábit, & major sérviet minóri. ¶ Jam tempus pariendi advénerat: & ecce gémini in útero ejus reperti sunt. Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis híspidus: vocatumque est nomen ejus Esaü. Prótinus alter egrédiens, plantam fratris tenébat manu: & idcirco appellávit eum Jacob. Sexagenárius erat Isaac, quando nati sunt ei párvuli.

LECTIO II. *Cap.* 26.

ORtâ autem fame super terram, post eam sterilitátem quæ accíderat in diébus Abrahã, ábiit Isaac ad Abímelech regem Palæstinórum in Gérara. Apparuitque ei Dóminus, & ait, Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terrâ, quam díxero tibi. Et peregrináre in eâ, eróque tecum, & benedícam tibi. ¶ Tibi enim & sémini tuo dabo universas regiónes has, complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo. Et multiplicábo semen tuum sicut stellas cœli: dabóque pósteris tuis universas regiónes has: & benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obedíerit Abraham voci meæ, & custodíerit præcepta & mandáta mea, & cæremónias legesque serváverit.

℟. I. Ut secundùm electiónem propósitum Dei manéret: non ex opéribus, sed ex vocante * Dictum est: Quia major sérviet minóri. ℣. Cùm enim nondum nati fuissent aut áliquid boni egissent, aut mali, * Dictum. *Rom.* 9.

℟. II. Móysi dicit Deus: Miserébor cujus miséreor, & misericórdiam præstábo cujus miserébor. * Igitur non volentis, neque curréntis, sed miseréntis est Dei. ℣. Nonne frater erat Esaü Jacob, dicit Dóminus; & diléxi Jacob, Esaü autem ódio hábui. *Igitur. *Rom. 9. Malach. 1.*

℟. III. Cogitáte per generatiónem & generatiónem, quia * Omnes qui sperant in eum, non infirmantur. ℣. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere: * Omnes. *I. Mach. 2. II. Petr. 2.*

℟. IV. Appáruit Isaac Dóminus, & ait: Benedícam tibi, complens juraméntum quod spopondi Abraham patri tuo: * Et † Benedicéntur in sémine tuo omnes Gentes terræ. ℣. Non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelítæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocábitur tibi semen. * Et. ℣. Glória. † Benedicéntur. *Genes. 26. Rom. 9.*

LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum Pelagiánū. *Edit. Bened. Cap. 9. n. 32.*

QUómodo peccátū mórtuum est, cùm multa operétur in nobis, reluctántibus nobis? quæ multa? nisi desidéria stulta & nóxia, quæ consentientes mergunt in intéritum & perditiónem: quæ útique pérpeti, eisque non consentíre, certámen est, conflíctus est, pugna est. Quorum pugna, nisi boni & mali, non natúræ adversùs natúram, sed n[...]úræ adversùs vítium, jam mórtuum, sed adhuc sepeliéndum, id est, omníno sanandum? Quómodo ergo mórtuum dícimus hoc peccátum in baptísmate, sicut étiam sanctus Ambrósius dicit, & quómodo habitáre in membris fatémur, & multa operári desidéria reluctántibus nobis, quibus non consentiendo resístimus, sicut étiam hic vir fatétur, nisi quia mórtuum est in hoc reátu quo nos tenébat, & donec sepultúræ perfectióne sanétur, rebellat & mórtuum? Quàmvis jam non eo modo appellétur peccátum, quo facit reum; sed quòd sit reátu primi hóminis factum, & quòd rebellando nos tráhere nítitur ad reátum, nisi ádjuvet nos grátia Dei per Jesum Christum Dóminum nostrum, ne sic étiam mórtuum peccátum rebellet, ut vincendo revivíscat & regnet.

℟. Sana me, Dómine, & sanábor; * Salvum me fac, & salvus ero; quóniam laus mea tu es. ℣. Velle

ádjacet mihi; perfícere autem bonum, non invénio. * Salvum. ℣. Glória. * Salvum. *Jerem.* 17. *Rom.* 7.

Ad Benedictus. *Ant.* Major sérviet minóri, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esaü autem ódio hábui. *Rom.* 9.

COLLECTA.
Liturg. S. Basilii.

DOna, Dómine, virtútem ac tutamentum: malos, quæsumus, bonos fácito; bonos in bonitáte conserva: † ómnia enim potes, & non est qui contradícat tibi: * cum enim volúeris, salvas, & nullus resistit voluntáti tuæ; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concíliis Lugdunensi secundo, & Florentíno. *An.* 1274. *An.* 1438.

ILlórum ánimas, qui in actuáli mortáli peccáto, vel solo originali decédunt, diffinímus mox in infernum descéndere, pœnis tamen dispáribus puniendas.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Psalterio.

LECTIO. *Rom.* 9.

NOn omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ; † neque qui semen sunt Abrahæ, omnes fílii; * sed in Isaac vocábitur tibi semen.

℟. *br. Hymnus,* & ℣. *ut in Sabbato ante Septuagesimam, pag.* 481.

Ad Magníficat. *Ant.* Fide & de futúris benedixit Isaac Jacob, & Esaü. *Hebr.* 11.

Collecta, infrà ad Laudes, pag. 532.

DOMINICA
QUINQUAGESIMÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dóminum Deum Patrum nostrórum; * Veníte, adorémus. *Dan.* 3.

Hymnus, Rebus creátis. *ut in Dominicâ Septuagesimæ, pag.* 482.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 27.

DIxit Rebecca fílio suo Jacob: Audívi patrem tuum loquentem cum Esaü fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatióne tuâ, & fac cibos ut cómedam, & benedícam tibi coram Dómino ántequàm móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiesce consíliis meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos óptimos, ut fáciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter véscitur: quas

eum intúleris, & comédérit, benedícat tibi priusquàm moriátur.

℟. Illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; * Cum sémine eórum pérmanent bona. ℣. Non confúnditur Deus vocári Deus eórum.* Cum. *Eccli.* 44. *Hebr.* 11.

LECTIO II.

PArávit Rebecca cibos, sicut velle nóverat patrem illius. Et véstibus Esaü valde bonis, quas apud se habébat domi, índuit eum : pelliculasque hœdórum circúmdedit mánibus, & colli nuda protexit. Deditque pulmentum, & panes, quos cóxerat, trádidit. Quibus illátis, dixit : Pater mi? At ille respondit : Audio. Quis es tu, fili mi? Dixitque Jacob : Ego sum primogénitus tuus Esaü : feci sicut præcepisti mihi : Surge, sede, & cómede de venatióne meâ, ut benedícat mihi ánima tua. Rursumque Isaac ad filium suum : Quómodò, inquit, tam citò invenire potuisti, fili mi? Qui respondit : Voluntas Dei fuit ut citò occúrreret mihi quod volébam. Dixitque Isaac : Accéde huc, ut tangam te, fili mi, & probem utrùm tu sis filius meus Esaü, an non. Accessit ille ad patrem, & palpáto eo, dixit Isaac : Vox quidem, vox Jacob est : sed manus, manus sunt Esaü. Et non cognóvit eum, quia pilósæ manus similitúdinem majóris exprésserant.

℟. Cùm nondum nati fuissent, aut áliquid boni egissent aut mali, dictum est : Jacob dilexi, Esaü autem ódio hábui. * Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. ℣. Quasi lutum figuli in manu ipsíus, sic homo in manu illíus qui se fecit; & reddet illi secundùm judícium suum. * Igitur. *Rom.* 9. *Eccli.* 33.

LECTIO III.

DIxit Isaac ad Jacob : Accéde ad me, & da mihi ósculum, fili mi. Accessit, & osculátus est eum. Statimque ut sensit vestimentórum illíus fragrántiam, benedícens illi, ait : Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dóminus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguédine terræ, abundántiam frumenti & vini. Et sérviant tibi pópuli; & adórent te tribus : esto dóminus fratrum tuórum, & incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledíxerit tibi, sit ille maledictus; & qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur.

℟. Benedictiónem ómnium Géntium dedit Isaac Dóminus, & testamentum confirmávit.

confirmávit super caput Jacob. * Agnóvit eum Dóminus in benedictiónibus suis, & dedit illi hæreditátem. ℣. Fide & de futúris benedixit Isaac Jacob. * Agnóvit. *Eccli.* 44. *Hebr.* 11.

LECTIO IV.

VIx Isaac sermónem impléverat: & egresso Jacob foràs, venit Esaü, coctosque de venatióne cibos íntulit patri, dicens: Surge, pater mi, & cómede de venatióne filii tui: ut benedícat mihi ánima tua. Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogénitus Esaü. Expávit Isaac stupóre vehementi: & ultrà quàm credi potest, admírans, ait: Quis igitur ille est qui dudum captam venatiónem ádtulit mihi, & comédi ex ómnibus priusquàm tu veníres? benedixíque ei, & erit benedictus.

℟. Irrúgiit Esaü clamóre magno: & consternátus, ait: Bénedic étiam & mihi, pater mi. * Respondit Isaac: Dóminum tuum illum constítui; & tibi post hæc, fili mi, quid fáciam? ℣. Non invénit pœniténtiæ locum, quamquàm cum lácrymis inquisisset eam. * Respondit. ℣. Glória. * Respondit. *Gen.* 27. *Hebr.* 12.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Libro décimo sexto sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei. *Edit. Bened. Cap.* 37.

DUo Isaac filii Esaü & Jacob páriter crescunt. Primátus majóris transfúnditur in minórem ex pacto & plácito inter illos, eo quòd lentículam, quem cibum minor paráverat, major immoderátiùs concupívit, eóque prétio primogénita sua fratri juratióne interpósitâ véndidit. Ubi díscimus in vescendo, non cibi génere, sed aviditáte immoderátâ quemque culpandum. Senescit Isaac, ejusque óculis per senectam visus aufertur. Vult benedícere filium majórem, & pro illo nésciens benedícit minórem. Iste dolus Jacob, ne putarétur fraudulentus dolus, & non in eo magnæ rei mystérium quærerétur, supérius prædixit Scriptúra: Erat Esaü homo sciens venári, agrestis: Jacob autem homo simplex, hábitans domum.

℟. Sequímini sanctimóniam, contemplantes ne quis desit grátiæ Dei, ut Esaü, qui propter unam escam véndidit primitíva sua: scitóte enim quóniam * Et póstea cúpiens hæreditáre benedictiónem, reprobátus est. ℣. Comédit & ábiit

parvipendens quòd primogénita vendidisset; * Et póstea. *Hebr.* 12. *Genes.* 25.

LECTIO VI.

BEnedíctio Jacob, prædicátio Christi est in ómnibus Géntibus. Hoc fit, hoc ágitur: lex & prophetía est Isaac: étiam per os Judæórum Christus ab illâ benedícitur velut à nesciente, quia ipsa nescítur. Odóre nóminis Christi, sicut ager, mundus implétur: ejus est benedíctio de rore cœli, hoc est de verbórum plúviâ divinórum; & de ubertáte terræ, hoc est de congregatióne populórum. Ei sérviunt Gentes, ipsum adórant príncipes. Ipse est Dóminus fratris sui: quia pópulus ejus dominátur Judæis. Ipsum adórant filii patris ejus, hoc est filii Abrahæ secundùm fidem: quia & ipse filius est Abrahæ secundùm carnem. Ipsum qui maledíxerit, maledíctus; & qui benedíxerit, benedíctus est.

℟. Mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis; * Et accipiétis glóriam magnam & nomen ætérnum. ℣. Non segnes efficiámini, verùm imitatóres eórum qui fide & patiéntiâ hæreditábunt promissiónes; * Et. *I. Mach.* 2. *Hebr.* 6.

LECTIO VII.

ECce benedictiónem promissam repetente majóre, expavescit Isaac, & álium pro álio se benedixisse cognoscens mirátur, & quisnam ille sit, percunctátur, nec tamen se deceptum esse conquéritur; immò confestim reveláto sibi intùs in corde magno sacramento, devítat indignatiónem, confirmat benedictiónem. Quis non hìc maledictiónem pótiùs exspectáret iráti, si hæc non supernâ inspiratióne, sed terréno more gererentur? O res gestas, sed prophéticè gestas; in terrâ, sed cœlitus; per hómines, sed divínitus! Si excutiantur síngula tantis fœcunda mystériis, multa sunt implenda volúmina.

℟. Expávit Isaac stupóre vehementi; & supra quàm credi potest admírans ait: Venit germánus tuus & accépit benedictiónem tuã: * Benedixíque ei & erit benedíctus ℣. Non ex opéribus, sed ex vocante dictum est: Quia major sérviet minóri; * Benedixíque. *Genes.* 27. *Rom.* 9.

LECTIO VIII. *Cap.* 38.

MIttitur Jacob à paréntibus in Mesopotámiam, ut ibi ducat uxórem. Patris mittentis hæc verba sunt: Deus meus benedícat te, & áugeat te, & multíplicet te: & eris in congregatiónes Géntiũ: & det tibi benedictiónem

Abrahæ patris tui, tibi & sémini tuo post te. Hìc jam intellígimus segregátum semen Jacob ab ália sémine Isaac, quod factum est per Esaü. Quando enim dictum est: In Isaac vocábitur tibi semen, pértinens útique semen ad Civitátem Dei; separátum est inde áliud semen Abrahæ, quod erat in ancillæ filio. Sed adhuc erat ambíguum de duóbus géminis filiis Isaac; an ad utrumque, an ad unum eórum illa benedíctio pertinéret; & si ad unum, quisnam esset illórũ. Quod nunc declarátum est, cùm prophéticè à patre benedícitur Jacob, & dícitur ei: Et eris in congregatiónes Géntium, & det tibi benedictiónẽ Abrahæ patris tui.

℟. Deus omnípotens benedícat tibi, * Et det tibi Deus benedictiónes Abrahæ, & sémini tuo post te. ℣. Qui maledíxerit tibi, sit ille maledictus; & qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur: * Et det. ℣. Glória. * Et det. *Gen.* 28 & 27.

IN III. NOCTURNO.

Cantica, Ant. & ℣. ut in Psalterio.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 4.

CHristo ígitur passo in carne, & vos eádem cogitatióne armámini: quia qui passus est in carne, désiit à peccátis: ut jam non desidériis hóminum, sed voluntáti Dei, quod réliquum est in carne vivat témporis. Súfficit enim prætéritum tempus ad voluntátem Géntium consummandam, his qui ambulavérunt in luxúriis, desidériis, vinoléntiis, comessatiónibus, potatiónibus, & illícitis idolórum cúltibus. In quo admirantur non concurréntibus vobis in eamdem luxúriæ confusiónem, blasphemantes. Qui reddent ratiónem ei, qui parátus est judicáre vivos & mórtuos. Propter hoc enim & mórtuis evangelizátum est: ut judicentur quidem secundùm hómines in carne, vivant autem secundùm Deum in spíritu.

℟. Existimáte vos mórtuos quidem peccáto, viventes autem Deo: * Non ergo regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obediátis concupiscéntiis ejus. ℣. In Christo edocti estis depónere vos secundùm prístinam conversatiónem véterem hóminem, qui corrúmpitur secundùm desidéria erróris; * Non. *Rom.* 6. *Ephes.* 4.

LECTIO X.

OMnium autem finis appropinquávit. Estóte ítaque prudentes, & vigiláte in oratiónibus. Ante

ómnia autem, mútuam in vobismetipsis caritáté contínuam habentes: quia cáritas óperit multitúdinem peccatórum. Hospitáles ínvicem, sine murmuratióne: unusquisque, sicut accépit grátiam, in altérutrum illam administrantes, sicut boni dispensatóres multiformis grátiæ Dei. Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei: si quis ministrat, tamquàm ex virtúte, quam administrat Deus: ut in ómnibus honorificétur Deus per Jesum Christum: cui est glória, & impérium in sécula seculórum, Amen.

℟. Odium suscitat rixas, & * Universa delicta óperit cáritas ℣. Diligámus altérutrum, sicut dedit mandátum nobis Deus. * Universa. *Prov.* 10. *I. Joan.* 3.

LECTIO XI. *Cap.* 5.

SEnióres ergo, qui in vobis sunt, óbsecro, consénior & testis Christi passiónum: qui & ejus, quæ in futúro revelanda est, glóriæ communicátor: páscite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontáneè secundùm Deum: neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo. Et cùm apparúerit Princeps Pastórum, percipiétis immarcessíbilem glóriæ corónam. Similiter adolescentes, súbditi estóte senióribus. Omnes autem ínvicem humilitátem insinuáte, quia Deus superbis resistit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in témpore visitatiónis: omnem sollicitúdinem vestram projicientes in eum, quóniam ipsi cura est de vobis.

℟. Rectórem te posuérunt? noli extolli: * Esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illórum habe. ℣. Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus, & ómnium minister. * Esto. *Eccli.* 32. *Marc.* 9.

LECTIO XII.

SObrii estóte, & vigiláte: quia adversárius vester diábolus tamquàm leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide: scientes eamdem passiónem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitáti fieri. Deus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perficiet, confirmábit solidabitque. Ipsi glória, & impérium in sécula seculórum: Amen. Per Silvánum fidélem fratrem vobis, ut árbitror, bréviter scripsi: óbsecrans & contestans, hanc esse ve-

ram grátiam Dei, in quâ statis. Salútat vos Ecclésia, quæ est in Babylóne coëlecta, & Marcus filius meus. Salutáte ínvicem in ósculo sancto. Grátia vobis ómnibus, qui estis in Christo Jesu. Amen.

℟. Recogitáte eum, qui talem sustínuit à peccatóribus contradictiónem; ut ne fatigémini ánimis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sánguinem restitistis, adversùs peccátū repugnantes. * In disciplínâ persẽveráte. ℣. Non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. * In. ℣. Glória. * In. *Hebr.* 12. *Rom.* 8.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 18.

ASsumpsit Jesus duódecim, & ait illis: Ecce ascéndimus Jerosólymam, & consummabuntur ómnia, quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio hóminis. Tradétur enim Géntibus, & illudétur, & flagellábitur, & conspuétur; & postquàm flagelláverint, occídent eum, & tértiâ die resurget. Et ipsi nihil horum intellexérunt, & erat verbum istud abscónditum ab eis, & non intelligébant quæ dicebantur. Factum est autem, cùm appropinquáret Jéricho, cæcus quidam sedébat secùs viam mendícans. Et cum audíret turbam prætereuntem, interrogábat quid hoc esset. Dixérunt autem ei, quòd Jesus Nazarénus transíret. Et clamávit, dicens: Jesu fili David, miserére meî. Et qui præíbant, increpábant eum ut tacéret. Ipse verò multò magìs clamábat: Fili David, miserére meî. Stans autem Jesus jussit illum addúci ad se. Et cùm appropinquasset, interrogávit illum, dicens: Quid tibi vis fáciam? At ille dixit: Dómine, ut vídeam. Et Jesus dixit illi: Réspice; fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebátur illum magníficans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

AD LAUDES.

Antiphona de Psalterio. ℟. *br. Lectio, Hymnus & ℣. ut in Dominicâ Septuagesimæ, pag.* 489.

Ad Benedictus. *Ant.* Assumpsit Jesus duódecim, & ait: Ecce ascéndimus Jerosólymam, & consummabuntur ómnia, quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio hóminis. *Luc.* 18.

COLLECTA. *Brev. Roth.*

DEus, qui, ómnium legis véteris Sanctórum impósitâ nube téstium, fidē nostram corróboras; † da eórum précibus & méritis, ut currámus ad propósitum

nobis certámen; * adspicientes in Autórem fidei & consummatórē, Jesum Christum Filium tuum Dóminum nostrum; Qui tecum.

AD HORAS, *Antiphona ut in Psalterio.*

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1546. *Sess.* 5. *Can.* 5.

MAnére in baptizátis concupiscéntiam, vel fómitem, hæc sancta Synodus fatétur, & sentit; quæ cùm ad agónem relicta sit, nocére non consentiéntibus, & viríliter per Christi Jesu grátiam repugnántibus, non valet: quinimò, qui legítimè certáverit, coronábitur.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Hebr.* 11.

FIde Abraham demorátus est in terrâ repromissiónis, tamquam in aliénâ; † in cásulis habitando, cum Isaac & Jacob cohærédibus repromissiónis ejusdem. * Exspectábat enim fundamenta habentem civitátem: cujus ártifex & cónditor Deus.

℣. Advena ego sum apud te & peregrinus, ℟. Sicut omnes patres mei. *Ps.* 38.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Hebr.* 11.

FIde óbtulit Abraham Isaac, cùm tentarétur, & unigénitum offerébat, qui suscéperat repromissiónes; † ad quem dictum est: Quia in Isaac vocábitur tibi semen; * árbitrans quia & à mórtuis suscitáre potens est Deus.

℣. In te speravérunt patres nostri; ℟. In te speravérunt, & non sunt confúsi. *Ps.* 21.

AD NONAM.

LECTIO. *Hebr.* 11.

FIde & de futúris benedixit Isaac Jacob, & Esaü. † Fide Jacob, móriens, síngulos filiórum Joseph benedixit; * & adorávit fastígium virgæ ejus.

℣. Ad te clamavérunt patres nostri; ℟. Et salvi facti sunt. *Ps.* 21.

AD VESPERAS, *ut in Dominicâ Septuagesimæ, suprà pag.* 490.

Ad Magníficat. *Ant.* Fílius hóminis tradétur Géntibus, & illudétur, & flagellábitur, & conspuétur; & postquàm flagelláverint, occídent eum, & tértiâ die resurget. *Luc.* 18.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 28.

EGressus Jacob de Bersábee, pergébat Haran. Cùmque venísset ad quemdam locum, & vellet in eo requiéscere post solis occúbitum, tulit de

lapídibus

lapídibus qui jacébant, & suppónens cápiti suo, dormívit in eódem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacúmen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dóminum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dóminus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: terram, in quâ dormis, tibi dabo & sémini tuo. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ: dilatáberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentriónem, & Merídiem: & benedicentur in te & in sémine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero custos tuus quòcumque perréxeris, & redúcam te in terram hanc: nec dimittam nisi complévero universa quæ dixi. ¶ Cùmque evigilasset Jacob de somno, ait: Verè Dóminus est in loco isto, & ego nesciébam. Pavensque: Terríbilis est, inquit, locus iste! non est hìc áliud nisi domus Dei, & porta cœli. Surgens ergo Jacob manè, tulit lápidem quem supposúerat cápiti suo, & erexit in títulum, fundens óleum désuper. Appellavitque nomen urbis Bethel.

LECTIO II. *Cap.* 35.

APpáruit autem íterum Deus Jacob postquàm reversus est de Mesopotámiâ Syriæ, benedixitque ei, dicens: Non vocáberis ultrà Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Erant autem fílii Jacob duódecim. Fílii Liæ: Primogénitus Ruben, & Símeon, & Levi, & Judas, & Issáchar, & Zábulon. Fílii Rachel: Joseph & Bénjamin. Fílii Balæ ancillæ Rachélis: Dan, & Néphthali. Fílii Zelphæ ancillæ Liæ: Gad & Aser: hi sunt fílii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotámiâ Syriæ. ¶ Venit étiam ad Isaac patrem suum in Mambre, civitátem Arbee, hæc est Hebron: in quâ peregrinátus est Abraham & Isaac. Et compléti sunt dies Isaac centum octoginta annórum. Consumptusque ætáte mórtuus est: & appósitus est pópulo suo senex & plenus diérum: & sepeliérunt eum Esaü & Jacob fílii sui.

℟. I. Prófugum iræ fratris justum sapiéntia deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, * Et dedit illi sciéntiam sanctórum. ℣. Custodívit illum ab inimícis: & à seductóribus tutávit illum: * Et dedit. *Sap.* 10.

℟. II. Vidit Jacob Dóminum dicentem sibi: Erit semen tuum quasi pulvis terræ: & * Benedicentur in te & in sémine tuo cunctæ tribus terræ. ℣. Non

dicit : Et séminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: Et sémini tuo, qui est Christus : * Benedicentur. *Genes.* 28. *Galat.* 3.

℟. III. Testamentum confirmávit Dóminus super caput Jacob. Agnóvit eum in benedictiónibus suis ; * Et conservávit illi hómines misericórdiæ, inveniéntes grátiam in óculis omnis carnis. ℣. Dedit illi hæreditátem, & divísit illi partem in tríbubus duódecim : * Et. *Eccli.* 44.

℟. IV. In te, Dómine, speravérunt patres nostri ; speravérunt, & liberasti eos. * Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt. ℣. Juxtà fidē defuncti sunt, confiténtes quia peregríni & hóspites sunt super terram : ideò non confúnditur Deus vocári Deus eórum. * Ad te. ℣. Glória. * Ad te. *Ps.* 21. *Hebr.* 11.

LECTIO III.

Ex Libro nono sancti Augustíni Epíscopi de Trinitáte. *Ed. Bened. Cap.* 7 & 8.

NIhil ágimus per membra córporis in factis dictísque nostris, quibus vel approbántur vel improbántur mores hóminum, quod non verbo apud nos intus édito prævenímus. Nemo enim volens áliquid facit, quod non in corde suo priùs díxerit. Quod verbum amóre concípitur, sive creatúræ, sive Creatóris : idest, aut natúræ mutábilis, aut incommutábilis veritátis. Ergo aut cupiditáte, aut caritáte : non quò non sit amanda creatúra ; sed si ad Creatórem refertur ille amor, non jam cupíditas, sed cáritas erit. Tunc enim est cupíditas, cùm propter se amátur creatúra. Tunc non uténtem ádjuvat, sed corrúmpit fruéntem. Cùm ergo aut par nobis, aut inférior creatúra sit, inferióre uténdum est ad Deum, pari autem fruendum, sed in Deo.

℟. Vigiláte, state in fide, viríliter ágite, & confortámini. * Omnia vestra in caritáte fiant. ℣. Omne quodcumque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi. * Omnia. ℣. Glória. * Omnia. *I. Cor.* 16. *Coloss.* 3.

Ad Benedictus. *Ant.* Jacob supplantávit fratrem suum, & in fortitúdine suâ directus est cum Angelo. Et inváluit ad Angelum & confortátus est : flevit & rogávit eum : in Bethel invénit eum ; & ibi locútus est nobíscum. *Osee.* 12.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus humílium consolátor, & fidélium fortitúdo, propítius esto supplícibus ; † ut humána fra-

gilitas, quæ per se proclívis est ad labendum, per te semper muniátur ad standum; * & quæ per se prona est ad offensam, per te semper reparétur ad véniam; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1546. *Sess.* 5. *Can.* 5.

HAnc concupiscéntiam, quam aliquando Apóstolus peccátum appellat, sancta Synódus declárat Ecclésiam Cathólicam nunquam intellexisse peccátum appellári, quòd verè & próprié in renátis peccátum sit: sed quia ex peccáto est, & ad peccátum inclínat. Si quis autem contrárium sénserit, anáthema sit.

Ad Magníficat. *Ant.* Testamentû confirmávit Dóminus super caput Jacob. Agnóvit eum in benedictiónibus suis, & dedit illi hæreditátem, & divísit illi partem in tríbubus duódecim. *Eccli.* 44.

FERIA TERTIA.

L E C T I O I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 37.

JOseph cùm sédecim esset annórum, pascébat gregem cum frátribus suis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ & Zelphæ uxórum patris sui: accusavitque fratres suos apud patrem crímine péssimo. Israel autem diligébat Joseph super omnes filios suos, eo quòd in senectúte genuisset eum. Videntes autem fratres ejus quòd à patre plus cunctis filiis amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquàm pacíficè loqui. Accidit quoque ut visum sómnium referret frátribus suis: quæ causa majóris ódii seminárium fuit. ¶ Cùmque fratres illíus in pascendis grégibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel: Vade, & vide si cuncta próspera sint erga fratres tuos, & pécora: & renúntia mihi quid agátur. Perréxit ergo Joseph post fratres suos, & invénit eos in Dóthain. Qui cùm vidíssent eum procul, ántequam accéderet ad eos, cogitavérunt illum occídere: & mútuò loquebantur: Ecce somniátor venit: veníte, occidámus eum, & mittámus in cisternam véterem: dicemusque: Fera péssima devorávit eum; & tunc apparébit quid illi prosint sómnia sua.

L E C T I O II.

AUdiens autem hoc Ruben, nitebátur liberáre eum de mánibus eórum, & dicébat: Non interficiátis ánimam ejus, nec effundátis sánguinem:

ſed projícite eum in ciſternam hanc, quæ eſt in ſolitúdine; manuſque veſtras ſerváte innóxias: hoc autem dicébat, volens erípere eum de mánibus eórum & réddere patri ſuo. Confeſtim ígitur ut pervénit ad fratres ſuos, nudavérunt eum túnicâ talári, & polymitâ: miſeruntque eum in ciſternam véterem, quæ non habébat aquam. ¶ Et ſedentes ut coméderent panem, vidérunt Iſmaelítas viatóres veníre de Gálaad. Dixit ergo Judas frátribus ſuis: Quid nobis prodeſt ſi occidérimus fratrem noſtrum, & celavérimus sánguinem ipsíus? Mélius eſt ut venumdétur Iſmaelítis, & manus noſtræ non polluantur: frater enim & caro noſtra eſt. Acquievérunt fratres ſermónibus illíus. Et prætereúntibus Madianítis negotiatóribus, extrahentes eum de ciſternâ, vendidérunt eum Iſmaelítis, viginti argénteis: qui duxérunt eum in Ægyptum.

℟. I. Sapiéntiam non vincit malítia. * Adtingit ergo à fine uſque ad finem fórtiter & diſpónit ómnia ſuáviter. ℣. Notum à século eſt Dómino opus ſuum: * Adtingit. *Sap.* 7 & 8. *Act.* 15.

℟. II. Cogitáte per generatiónem & generatiónem, quia * Omnes qui ſperant in eum, non infirmantur. ℣. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere. * Omnes. *I. Mach.* 2. *II. Petr.* 2.

℟. III. Patriarchæ æmulantes, Joſeph vendidérunt in Ægyptum: & erat Deus cum eo; * Et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. ℣. Vénditum juſtum non derelíquit ſapiéntia, ſed à peccatóribus liberávit eum; * Et erípuit. *Act.* 7. *Sap.* 10.

℟. IV. In ſervum venúmdatus eſt Joſeph: humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránſiit ánimam ejus, * Donec veníret verbum ejus. ℣. Sapiéntia deſcendit cum illo in fóveam, & in vinculis non derelíquit eum. ℣. Glória. * Donec. *Pſ.* 104. *Sap.* 10.

LECTIO III.

Ex Libro vigéſimo ſecundo ſancti Auguſtíni Epíſcopi contra Fauſtum. *Edit. Bened. Cap.* 27 & 28.

PEccátum, eſt factũ, vel dictum, vel concupitũ áliquid contra æternam legem. Lex veró æterna, eſt rátio divína vel volúntas Dei, órdinem naturálem conſervári jubens, perturbári vetans. Nulli autem dúbium eſt, ánimam cór-

pori, naturáli órdine præponendam. Verùm ánimæ hóminis inest rátio, quæ pécori non inest. Inque ipsâ ratióne procul dúbio contemplátio præcellit: in hâc enim & imágo Dei est, quâ per fidem ad spéciem reformámur. Actio ítaque rationális contemplatióni rationáli debet obedíre, sive per fidem operanti, sícuti est quámdiù peregrinámur à Dómino; sive per spéciem, quod erit cùm símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sícuti est. Quapropter hóminis áctio sérviens fidei servienti Deo, refrénat omnes mortáles delectatiónes, & eas coërcet ad naturálem modum, melióra inferióribus ordinátâ dilectióne præpónens. Si enim nihil delectáret illícitum, nemo peccáret. Peccat ergo, qui delectatiónem illíciti relaxat pótiùs quàm refrénat. Est autem illícitum, quod lex illa próhibet, quâ naturális ordo servátur.

℟. Omnibus diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum: & * Cave ne alíquando peccáto consséntias, & prætermittas præcepta Dómini Dei nostri. ℣. Omnis, qui facit peccátum, & iniquitátem facit: & peccátum est iníquitas. * Cave. ℣. Glória. * Cave. *Tob.* 4. *I. Joan.* 3.

Ad Benedictus. *Ant.* Sapiéntia vénditum justum non derelíquit, sed à peccatóribus liberávit eum, descenditque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit illum, donec afferret illi sceptrum regni. *Sap.* 10.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

OMnípotens & miséricors Deus, qui peccántium non vis ánimas períre, sed culpas; † cóntine, quam merémur, iram: * & quam precámur, effunde cleméntiam; Per.

CANON.

Ex Litterâ sancti Cároli Mediolanensis Epíscopi de témpore Septuagésimæ. *An.* 1574.

QUantò magis mundus suis ómnibus dissolutiónibus, profánis lúsibus, dæmonisque opéribus insaníre vidébitur, tantò magìs, ex caritátis débito, cœcitáti eórum, qui ad convívia, festa, alíaque vétita oblectaménta læti & álacres currunt, debétis unâ cum Ecclésiâ condolére, & ardentióribus oratiónibus Dóminum deprecári, nolit ad tot ingráti nostri erga ipsum ánimi vítia respícere; sed pro immensâ suâ misericórdiâ his dignétur, ut pote frátribus nostris, licet obcæcátis, compunctiónis spíritum, no-

pæ, quæ ei provincia ad Christi fidem disseminandam obtigerat, Evangélium prædicávit. Cumque in Græciam pervenisset, multis ab idolórum cultu ad Christum colendum adductis, urbem Patras in Achaja, cruci, seu árbori affixus, sua morte nobilitávit.

℟. Ecce ego & púeri mei, quos dedit mihi Dóminus. * In signum & in portentum Israël. ℣. Pater, sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos, * In. *Isai.* 8. *Joan.* 17.

Lectio VII.

Ex Sermóne secundo sancti Bernardi Abbátis de sancto Andrea. *n.* 1.

Beáti Andreæ Apóstoli solémnitas hódiè celebrátur, quam si piâ sollicitúdine perscrutémur, multa inveniémus in eâ, quæ ædificent ánimas nostras. In ipso síquidem conversiónis suæ inítio, magnum nobis perfectæ obediéntiæ præstat exemplum. Quod quidem Christiánis ómnibus necessárium, nobis tamen est cárius amplectendum, qui nimírùm speciáliter ex ipsâ professióne nostrâ tenémur obediéntiæ debitóres. Sola enim est cáritas quæ obediéntiam gratam facit, & acceptábilem Deo: hílarem quippe datórem diligit Deus.

℟. Nemo est qui relíquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxórem, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat multò plura * In hoc témpore, & in século ventúro vitam ætérnam. ℣. Qui sequitur me non ambulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, * In. *Luc.* 18. *Joan.* 12.

Lectio VIII.

Unde autem in Andreâ jamjam moritúro, tam spirituális mens fuit, tam fervens cáritas, ánimus tam robustus? Planè Spíritus erat qui adjuvábat infirmitátem ejus, per quē diffundebátur in corde ipsíus cáritas fortis ut mors, immò & fórtior morte. Cujus ô! si & nos partícipes inveniámur! & sicut beáto Andreæ crucem & mortem ipsam, sic nobis quoque labórem & pœniténtiam nostram fáceret non solùm non molestam, sed étiam desiderábilem atque omnínò delectábilem esse.

℟. In nullo confundor: * Sed in omni fidúciâ magnificábitur Christus in córpore meo, † Sive per vitam, sive per mortem. ℣. Impropérium expectávit cor meum, & misériam: * Sed. ℣. Glória. † Sive. *Philip.* 1. *Ps.* 68.

IN III. NOCTURNO.

Lectio IX.

Ex Epistolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 10.

Finis legis Christus, ad justítiam omni creden-

ti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam quæ ex lege est, qui fécerit homo, vivet in eâ. Quæ autem ex fide est justítia, sic dicit: Ne díxeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? id est, Christum dedúcere: aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mórtuis revocáre. Sed quid dixit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, & in corde tuo credíderis quòd Deus illum suscitávit à mórtuis, salvus eris.

℟. Ecce pono in Sion lápidem summum anguláren, eléctum, pretiósum: *Et qui credíderit in eum, non confundétur. ℣. Dóminus exercítuum erit vobis in sanctificatiónem; * Et. *I. Petr.* 2. *Isai.* 8.

LECTIO X.

CORde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum; * Et erit: Omnis quicumque invocáverit nomen Dómini salvus erit. ℣. Est repromíssio ómnibus quoscumque advocáverit Dóminus Deus. * Et erit. *Act.* 10 & 2.

LECTIO XI.

QUómodo ergo invocábunt in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei quem non audiérunt? quómodo autem áudient sine prædicante? quómodo verò prædicábunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes credunt Evangélio. Isáias enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi.

℟. Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium Géntium: * Et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei. ℣. Euntes in mundum universum, prædicáte Evangélium omni creatúræ; * Et. *Isai.* 52. *Marc.* 16.

LECTIO XII.

SEd dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit

ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico: Numquid Iſrael non cognóvit? Primus Móyſes dicit: Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam. Iſaías autem audet, & dicit: Inventus ſum à non quæréntibus me: palàm appárui iis qui me non interrogábant. Ad Iſrael autem dicit: Totâ die expandi manus meas ad pópulum non credentem, & contradicentem.

℞. Quómodo nos effugiémus ſi tantam neglexérimus ſalútem? quæ cùm inítium accepiſſet enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt in nos confirmáta eſt, * Conteſtante Deo ſignis & portentis,& váriis virtútibus. ℣. In omnem terram exívit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum; * Conteſtante. ℣. Glória. * Conteſtante. *Hebr.* 2. *Pſ.* 18.

EVANGELIUM.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum. *Cap.* 4.

AMbulans Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem qui vocátur Petrus, & Andreã fratrem ejus: mittentes rete in mare; erant enim piſcatóres. Et ait illis: Veníte poſt me, & fáciam vos fieri piſcatóres hóminum. At illi, contínuò relictis rétibus, ſecúti ſunt eum. Et procédens inde, vidit álios duos fratres, Jacóbum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eórũ, reficientes rétia ſua: & vocávit eos. Illi autem ſtatim relictis rétibus & patre, ſecúti ſunt eum.

Ad Benedictus. *Ant.* Erant Petrus & Andreas piſcatóres. Et ait illis Jeſus: Veníte poſt me, & fáciam vos fieri piſcatóres hóminum. At illi, contínuò relictis rétibus, ſecúti ſunt eum. *Matth.* 4.

COLLECTA. *Brev. Clun.*

OMnípotens Deus, qui beáto Andreæ Apóſtolo tuo Chriſti configi cruci tribuiſti; † præſta, quæſumus, eódem intercedente, * Ut terréna in nobiſmetipſis deſidéria crucifigentes, tibi firmiter adhærére valeámus; per eumdem Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* Omnia detrimentum feci, ut Chriſtum lucrifáciam, ad cognoſcendum illum, & virtútem reſurrectiónis ejus, & ſocietátem paſſiónum illíus, configurátus morti ejus. *Philipp.* 3.

FESTA DECEMBRIS.

Die VI.

S. NICOLAI, MYRENSIS EPISCOPI.

Omnia de Communi Pontificum, exceptis quæ sequuntur.

AD OFFICIUM NOCT.

HYMNUS. S. V.

TAnta quæ virtus tua, Nicoláe,
Tránstulit nomen geminos ad axes?
Sol tuos surgens videt, Occidénsque
Semper honóres.
E sinu matris tibi durus infans,
Signa virtútis dederas futúræ.
Te diù multâ prece, postulárat
Mater ad aras.
O tuas dicat quis amóris artes,
Nube qui densâ benefacta celas,
Vírginum custos, pater & relictis
Tutor egénis?
Tuque Nicæni nova lux Senátûs,
Asseris vindex, erebo frémente,
Par Patri Verbum; genitumque summo
Númine Numen.
Prófuit vivus, favet & sepultus,
It salutáris liquor è sepulchro;
Turba languentum properáte; præstat
Ille salútem.
Te procellósi tremuére fluctus,
Ut jubes, proni posuére venti;
Te vocant nautæ, maris æstuósi
Unda quiescit.
Te nurus castæ, viduæque matres,
Vírgines, sponsæ, juvenes, senesque
Omnis & sexus reperit Patrónum
Omnis & ætas.
Summa laus Patri; tibi summa Nate,
Cujus æternum bene Nicoláus
Víndicat Numen; tibi par superni
Nexus Amóris.
Amen.

LECTIO III.

Ex Lithurg. S. Chrysost. Concil. 2. Nicæno. act. 4. Surio. &c.

NIcoláus Myræ quæ Lyciæ Metrópolis est, Epíscopus, pópulis ómnibus véteri & vulgátâ famâ notus est. Quanto honóre fúerit hábitus apud Græcos, vel una testátur precátio inserta Lithurgiæ, quæ sancti Joannis Chrysóstomi nómine inscríbitur. Multæ sub ejus nómine erectæ sunt Constantinó-

poli basílicæ. Illius præséntem opem sensisse se Theodórus, qui Myrensem ejus sedem tenébat, coram Pátribus in Nicænâ secundâ Synodo contestátus est ad asserendam & confirmandam, quam priùs impugnáverat, débitâ sanctórum imagínibus venerationem. Corpus ejus Myræ in Lyciâ sepultum. Dein Barium in Apuliâ fuit allátum. Ex ejus sepulchro stillábat óleum depellendis váriis morbórum genéribus salúbre, quod penículo extractum ex urnâ fidélibus distríbui solébat in vásculis. Eórum nonnullis in Occidentem allátis, cœpit apud Latínos nóminis & miraculórum ejus fama celebrári, quam prædicant nono século Martyrológia Usuardi & Adónis.

℟. Dóminus * Glórificávit illum in conspectu regum, & jussit illi coram pópulo suo, & ostendit illi glóriam suam. ℣. Qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquárum, * Glorificávit. ℣. Glória. * Glorificávit. *Eccli. 45. Apoc. 14.*

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, qui beátum Nicoláum Pontíficem innúmeris decorasti miráculis: † tribue, quæsumus, ut omnes qui ejus implórant auxilium, * petitiónum suárum salutárem consequantur effectum; Per Dóminum.

AD VESPERAS, *Hymnus ut supra ad Offic. Noct.*

DIE VII.

S. AMBROSII,

EPISCOPI

ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Omnia de Communi Doctorum, exceptis quæ sequuntur.

LECTIO III.

Ex vitâ S. Ambrosii per Paulinum ejus Diaconum scriptâ.

AMbrósius, patre Ambrósio Galliárum Præfecto, in Gálliis natus, liberálibus disciplinis Romæ excultus, primò summâ cum laude causas dixit. Póstea Ligúriæ & Æmíliæ, à Probo Præfecto Prætórii, præpósitus venit Mediolánum, ubi mórtuo Auxéntio Epíscopo Ariáno, Cathólici & Hærétici de successóre deligendo inter se dissidébant. Quare cùm ingressus Ecclésiam Ambrósius multa ad sedandam seditiónem præclára dixisset, de repentè púero Ambrósium Epíscopum proclamante, universi pópuli vox erúpit, Ambrósium Epíscopum depofcentis. Recusante illo, & tantum onus váriis ártibus, atque étiam fugâ declinante, ardens pópuli stúdium ad Valentiniá-

num seniórem Imperatórem delátum est; cui gratíssimum fuit à se delectos júdices ad sacerdótium postulári. Probo quoque Præfecto id jucundum fuit, qui Ambrósio proficiscenti quasi vaticinans díxerat: Vade, age non ut judex, sed ut Epíscopus. Ab Epíscopo Cathólico baptizári vóluit: (erat enim tantùm catechúmenus:) & susceptis intra septem dies ómnibus Ordínibus, octávo die, qui fuit séptimus Decembris, Epíscopus consecrátus est. Fácilis erat ómnibus ad eum áditus. Litigántium causas summâ patiéntiâ & æquitáte dirimébat. Quóties illi áliquis ob percipiendam pœniténtiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compélleret. Convívia quæ ad Mártyrum sepulcra fiébant abrogávit. Plúrimos Ariános, aliosque hæréticos convertit ad fidem, & claríssimum ínprimis Ecclésiæ lumen Augustínum Christo péperit. Multa passus est à Justínâ Valentiniáni junióris matre, quam Ariáni sedúxerant, eíque fórtiter óbstitit, ne ulla iis basílica Mediolání traderétur. Eâ occasióne institútum est, ut Antiphónæ, Psalmi, & Hymni juxta morem Orientálium canerentur, ne pia plebs éxcubans in Ecclésiâ, & cum Epíscopo mori paráta, mœróris tædio contabésceret. Theodósium imperatórem, propter cædem Thessalónicæ factam ingressu Ecclésiæ prohíbuit. Cui obtendenti David quoque regem adúlterum & homicídam fuisse, respondit Ambrósius: Qui secútus es errantem, séquere pœnitentem. Quare Theodósius impósitam sibi ab eo públicâ pœniténtiam humíliter egit. Máximis pro Ecclésiâ labóribus curísque perfunctus, multis étiam libris egrégiè conscriptis, morbo correptus est, & receptâ ab Honoráto Vercellensi Epíscopo Domínici córporis communióne, spíritum Deo réddidit, anno Christi trecentésimo nonagésimo séptimo, quarto die Aprílis, in pervigílio Paschæ, Episcopátûs autem vigésimo tértio.

℟. Prædica verbum, insta opportúnè, importúnè; árgue, óbsecra, íncrepa, * In omni patiéntiâ & doctrínâ. ℣. Quis potest símiliter gloriári tibi, qui ungis reges ad pœniténtiam? * In. ℣. Glória. *In. *II. Tim.* 4. *Eccli.* 48.

COLLECTA. *Brev. Senon.*

DEus qui beátum Ambrósium Pontíficem, fídei defensórem & Apostólicæ sapiéntiæ ac firmitátis exemplum in Ecclésiâ tuâ constituísti, † dírige in caritáte tuâ, & con-

firma corda nostra, * ut in fide inveniámur stábiles, & in ópere efficáces; Per Dóminum.

Die VIII.

IN CONCEPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Festivitas III. Classis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. A Muliere inítium factum est peccáti, & per illam omnes mórimur. *Eccli.* 25.

II. Dixit Dóminus Deus ad mulíerem: Quare hoc fecisti? Quæ respóndit: Serpens decépit me. *Genes.* 3.

III. Ait Dóminus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus. *Genes.* 3.

IV. Ipsa cónteret caput tuum, & tu insidiáberis calcáneo ejus. *Genes.* 3.

Lectio. *Rom.* 5.

UBi abundávit delíctũ, superabundávit grátia; † ut sicut regnávit peccátum in mortem, * ita & grátia regnet per justítiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dóminũ nostrum.

℟. *br.* Prope timentes Dóminum * Salutáre ipsíus: ℟. Prope. ℣. Ut inhábitet glória in terrâ nostrâ, * Salutáre. ℣. Glória. ℟. Prope. *Ps.* 84.

Hymnus. *C.*

DEbitam morti sobolem creárat
Eva peccátrix; nova destinátur,
Quæ sacro partu scelus atque mortem
Déstruat, Eva.

Victa serpentis fuit illa fraude;
Intimis virus recipit medullis:
Vulnus hæc sanat, tumidíque colla
Cónterit anguis.

Quò dolus cessit? domitâ parente,
Tótius sperat sobolis ruínam:
Omnibus reddet Soboles parentis
Una salútem.

Sic lucro cedunt, Domino volente,
Damna, dum gratâ vice per Maríam
Delet antíquam nova vita mortem,
Grátia culpam.

Díceris mater quoque nostra, Virgo,
Te proba, nostram, pia Virgo, matrem,
Efficax blandis précibus sevérum
Fléctere Numen.

Laus sit ætérnæ sua Trinitáti,
Quæ laborantem miseráta mundum

Próximos Christi, præeunte matre,
Núntiat ortus. Amen.

℣. Mitigasti, Dómine, omnem iram tuam: ℟. Avertisti ab irâ indignatiónis tuæ. *Ps.* 84.

Ad Magníficat. *Ant.* Lætáre, & exsúlta in omni corde, filia Jerúsalem: ábstulit Dóminus judícium tuum: avertit inimícos tuos; Rex Israel Dóminus in médio tuî. *Sophon.* 3.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 556.

¶ *Ad Horas, Doxologia.*

Qui natus es de Vírgine,
JESU tibi sit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Fílium Dei qui factus est ei ex sémine David secundùm carnem; * Veníte, adorémus. *Rom.* 1.

HYMNUS. *C.*

LÆtis terra sonet pláusibus; huic Dei
Mater Virgo datur: múnere quo nova
Se rerum facies prótinus éxserit;
Mundo pax redit áurea.

Hæc est illa domus, quâ Deus ádvena
In terris habitat digna Deo domus,
Templum grande, sibi quod propriâ manu
Summus cóndidit ártifex.

Aureis arca vetus fúlserit úndique
Scintillans radiis: hæc vacuas decent
Umbras: interior Núminis ipsius
Arcam nobilitas decet.

Non hìc manna latet, légifer aut lapis,
Non ramus sterilis: flos viget hìc ferax
Virtútum; sacer hìc panis, Homo-Deus,
Hìc legis residet dator.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Ambórum sit idem Spirítui decus,
Arcánis habilem qui thalamum modis
Christo præparat hóspiti. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Sanctificábo tabernáculum testimónii: & habitábo in médio filiórum Israel, eróque eis Deus. *Exod.* 29.

II. Opus grande est: neque enim hómini præparátur habitátio, sed Deo. *I. Paral.* 29.

III. Domum majestátis meæ glorificábo. *Is.* 60.

IV. In domo hâc quam elégi, ponam nomen meũ in sempiternũ. *II. Paral.* 33.

V. In ipsâ erit templum, Sanctumque Sanctórum. *Ezech.* 45.

VI. Scient gentes quia ego Dóminus sanctificátor

Israel, cùm fúerit sanctificátio mea in médio eórum. *Ezech.* 37.

℣. Elégit eam Dóminus.
℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Lectiones cum ℟℟. de Scripturá occurente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Ipsa est múlier quam præparávit Dóminus fílio Dómini mei. *Gen.* 24.

II. Benedícam ei, & ex illá dabo filium cui benedictúrus sum. *Gen.* 17.

III. Constítuam pactum meum illi in fœdus sempitérnum, & sémini ejus. *Gen.* 17.

IV. Ego sum Deus Abraham Patris tui; noli timére quia ego tecum sum: benedícam tibi. *Gen.* 26.

V. Ponam thronum regni super Israël in sempitérnum, sicut locútus sum David patri tuo. *III. Reg.* 7.

VI. Benedictiónes patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus; donec veníret desidérium cóllium æternórũ. *Gen.* 49.

℣. Visitásti terram, Dómine, & inebriásti eam.
℟. Multiplicásti locupletáre eam. *Ps.* 95.

LECTIO V.

Ex Libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. Cap.* 21.

QUemádmodum per inobediéntiam uníus hóminis intróitum peccátum hábuit, & per peccátum mors obtínuit, sic & per obediéntiam uníus hóminis justítia introducta vitam fructíficat his, qui olim mórtui erant, homínibus. Et quemádmodum protoplastus ille Adam de rudi terrâ, & de adhuc vírgine hábuit substántiá, & plasmátus est manu Dei, id est, Verbo Dei: ita recapítulans in se Adam, ipse Verbum exsístens ex Maríâ, quæ adhuc erat virgo, rectè accipiébat generatiónem Adæ recapitulatiónis: ut non ália plasmátio fieret, neque ália esset plasmátio quæ salvarétur; sed éadem ipsa recapitularétur, servátâ similitúdine.

℟. Erámus natúrâ filii iræ. * At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus filium suum factum ex mulíere, ut adoptiónem filiórum reciperémus. ℣. A mulíere inítium factum est peccáti. * At ubi. *Ephes.* 2. *Galat.* 4. *Eccli.* 25.

LECTIO VI. *Cap.* 22.

COnsequenter autem & María Virgo obédiens invenítur, dicens: Ecce ancilla tua, Dómine; fiat mihi secundùm verbum tuum. Heva verò inobédiens: non obedívit enim, adhuc cùm esset virgo. Quemádmodum illa virum quidem habens Adam; virgo tamen adhuc exsístens,

ſtens, inobédiens facta, & ſibi & univerſo géneri humáno cauſa facta eſt mortis: ſic & María habens prædeſtinátum virum, & tamen virgo, obédiens, & ſibi & univerſo géneri humáno cauſa facta eſt salútis. Sic autem & Hevæ inobediéntiæ nodus ſolutiónem accépit per obediéntiam Mariæ. Quod enim alligávit virgo Heva per incredulitátem, hoc Virgo María ſolvit per fidem.

℟. Interfécit Dóminus in manu meâ hoſtem pópuli ſui: * Per manum féminæ percuſſit illum Dóminus Deus noſter. ℣. Projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antíquus, qui vocátur diábolus & sátanas. * Per. *Judith.* 13. *Apoc.* 12.

LECTIO VII.

Ex Epíſtolâ ſancti Cyrilli Alexandríni Epíſcopi ad Mónachos Ægypti. *Apud Concil. Epheſ. An.* 431. *Edit. Labb. n.* 4.

MIror majórem in modum eſſe áliquos omnínò, qui utrùm ſacra Virgo Deípara appellanda ſit, planè addúbitent. Etenim ſi Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Deus eſt; quo tandem modo ſacra Virgo quæ illum édidit, Deípara non dicátur? Hanc fidem divíni Diſcípuli nobis tradidérunt, quàmvis iſtíus dictiónis non meminerint. Ad hunc modum à ſanctis Pátribus inſtitúti ſumus. Enimverò percélebris memóriæ pater noſter Athanáſius, qui totos quadraginta ſex annos Alexandrínæ Eccléſiæ pontificátum egrégiâ cum laude geſſit, libro quem de ſanctâ & conſubſtantiáli Trinitáte conſcripſit, oratióne tértiâ ſacram Vírginem paſſim Deíparam nóminat.

℟. Creávit Dóminus novum ſuper terram: * Fémina circúmdabit virum. ℣. Non erit impoſſíbile apud Deum omne verbum. * Fémina. *Jerem.* 31. *Luc.* 1.

LECTIO VIII.

COgor autem ipſis illíus verbis hoc loco uti, quæ hunc in modum habent: Itaque divínæ Scriptúræ ſcopus ac charácter, ut ſæpe monúimus, ejúſmodi eſt, ut utrumque de Chriſto Salvatóre noſtro pronúntiet; putà Deum illum eſſe, & nunquam non hoc ipſum exſtitiſſe ut qui Patris ſit Verbum, ejuſdemque ſplendor & ſapiéntia, tum eumdem rurſum noviſſimis hiſce tempóribus córpore ex Deíparâ Vírgine Maríâ ſumpto, noſtrî causâ hóminem factũ eſſe. Et nonnullis interjectis íterum: Multi exſtitére ſancti & ab omni pec-

cáto immúnes. Nam & Jeremías de materno útero sanctificátus est; & Joannes in lucem nondum éditus, voce Deíparæ Maríæ perceptâ, lætabundus exsíliit. Sanè idóneus est hic vir, apprimèque dignus, cui intrépidè fidem adjúngere, quemque tutò sequi líceat, ut qui nihil protulisset, quod à divínis lítteris aliénum esset.

℟. Dictum est à Dómino per Prophétam: Ecce virgo in útero habébit, & páriet Fílium; * Et vocábunt nomen ejus Emmánuel: quod est interpretátum Nobíscū Deus. ℣. Ne tímeas, María; invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, & páries Fílium; * Et. ℣. Glória. * Et. *Matth.* 1. *Luc.* 1.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Judic.* 5.

Carmen triumphale, ob victoriam Deo auxiliante reportatam.

AUdíte, reges, áuribus percípite, príncipes: † ego sum, ego sum quæ Dómino canam, * Psallam Dómino Deo Israël.

Dómine, cùm exíres de Seir, & transíres per regiónes Edom, * terra mota est, cœlíque ac nubes distillavérunt aquis.

Montes fluxérunt à fácie Dómini, * & Sínai à fácie Dómini Dei Israel.

Cessavérunt
rael & quievéru
súrgeret mater

Nova bella
nus, * & port
ipse subvertit.

Salvátæ sun
pópuli, * Dóm
tibus dimicávit

II. CANTICUM.

Liberatrix pop
omnibus ben.

BEnedícta e
Dómino
so, * præ ómn
ribus super terr

Benedíctus
qui creávit cœ
ram, * qui te
vúlnera cápiti
inimicórum no

Quia hódie n
ita magnificávi
recédat laus tua
minum, * qui
fúerint virtútis
ætérnum.

III. CANTICUM.

De speciali Dei
ne Hymnus
sticus.

INcípite Dómi
panis, * cantá
in cymbalis.

Modulámini
novum, * exa
vocáte nomen e

Dóminus cón
la, * Dóminus
illi.

Qui pósuit ca
médio pópuli

eríperet nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

Venit Assur ex móntibus ab Aquilóne,* in multitúdine fortitúdinis suæ:

Dixit se incensúrum fines meos, * & júvenes meos occisúrum gládio;

Infantes meos dare in prædam, * & vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnípotens nócuit eum, & trádidit in manus féminæ, * & confódit eum.

Ant. Cantáte Dómino qui trádidit inimícum in manus féminæ, & confódit eum. *Judith.* 16.

℣. Super áspidem & basilíscum ambulábis: ℟. Et conculcábis leónem & dracónem. *Ps.* 9.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 5.

COmmendat caritátem suam Deus in nobis: quóniam cùm adhuc peccatóres essémus secundùm tempus, Christus pro nobis mórtuus est: multò ígitur magìs nunc justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab irâ per ipsum. Si enim cùm inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus: multò magìs reconciliáti, salvi érimus in vitâ ipsíus. Non solùm autem, sed & gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus.

℟. Misericórdiæ Dómini quia non sumus consumpti: * Quia non defecérunt miseratiónes ejus. ℣. Propósuit Deus in dispensatióne plenitúdinis témporum instauráre ómnia in Christo; * Quia. *Thren.* 3. *Ephes.* 2.

LECTIO X.

PRoptérea sicut per unũ hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors, & ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt. Usque ad legem enim peccátum erat in mundo: peccátum autem non imputabátur, cùm lex non esset. Sed regnávit mors ab Adam usque ad Móysen étiam in eos, qui non peccavérunt in similitúdinem prævaricatiónis Adæ, qui est forma futúri. Sed non sicut delíctum, ita & donum. Si enim uníus delícto multi mórtui sunt: multò magìs grátia Dei, & donum in grátiâ uníus hóminis Jesu Christi in plures abundávit.

℟. In me ancillâ suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel, * Et interfécit in manu meâ ho-

stem pópuli sui. ℣. Fecit poténtiam in bráchio suo, dispersit superbos mente cordis sui; * Et. *Judith.* 13. *Luc.* 1.

LECTIO XI.

ET non sicut per unum peccátum, ita & donum. Nam judícium quidem ex uno in condemnatiónem: grátia autem ex multis delíctis in justificatiónem. Si enim uníus delícto mors regnávit per unum: multò magìs abundántiam grátiæ, & donatiónis, & justítiæ accipientes, in vitâ regnábunt per unum Jesum Christum.

℟. Benedixit te Dóminus in virtute suâ, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui; * Quia. *Judith.* 13. *Luc.* 1.

LECTIO XII.

IGitur sicut per uníus delíctum in omnes hómines in condemnatiónem; sic & per uníus justítiam in omnes hómines in justificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam uníus hóminis, peccatóres constitúti sunt multi: ita & per uníus obeditiónem justi constituentur multi. Lex autem subintrávit ut abundáret delíctum. Ubi autem abundávit delíctum superabundávit grátia. Ut sicut regnávit peccátum in mortem: ita & grátia regnet per justítiam in vitam ætenam, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℟. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? * Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. ℣. Oblivióni trádítæ sunt angústiæ prióres. * Deo. ℣. Glória. * Deo. *I. Cor.* 15. *Isai.* 65.

EVANGELIUM.

Inítium sancti Evangélii secundùm Matthæum.
Cap. 1.

LIber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, & fratres ejus. Judas autem génuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naasson. Naasson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem, ex eâ quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías

ʒénuit Aſa. Aſa au-
ıuit Jóſaphat. Jóſa-
ıtem génuit Joram.
auté génuit Ozíam.
autem génuit Jóa-
ſóatham autem gé-
:haz. Achaz autem
Ezechíam. Ezechías
génuit Manaſſen.
es autem génuit
Amon autem gé-
síam. Josías autem
Jechóniam & fra-
s, in transſmigra-
Babylónis. Et poſt
gratiónem Babylô-
:hónias génuit Salá-
aláthiel autem gé-
›róbabel. Zoróba-
em génuit Abíud.
ıutem génuit Elía-
iacim autem génuit
Azor autem génuit
Sadoc autem génuit
Achim autem gé-
ud. Elíud autem gé-
éazar. Eléazar au-
ıuit Mathan. Ma-
ıtem génuit Jacob.
utem génuit Joſeph
Maríæ, de quâ natus
;, qui vocátur Chri-

L A U D E S.

TIPHONÆ.

nedícta es tu, filia
: Dómino Deo ex-
ræ ómnibus mulié-
per terram. *Judith.*

:r memetipſum ju-
cit Dóminus, bene-
dicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. *Gen.* 22.

III. Ex te mihi egrediétur qui ſit dominátor in Iſrael; & egreſſus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. *Mich.* 5.

IV. In caritáte perpétuâ diléxi te; ídeò ædificábo te, & ædificáberis virgo. *Jer.* 31.

V. In te benedicentur univerſæ cognatiónes terræ. *Gen.* 12.

LECTIO. *Iſai.* 40.

Conſolámini, conſolámini, pópule meus, dicit Deus veſter; † loquímini ad cor Jerúſalem, & advocáte eam; * quóniam compléta eſt malítia ejus, dimiſſa eſt iníquitas illius.

℟. *br.* Deſcendet Dóminus * Sicut plúvia in vellus. ℟. Deſcendet. ℣. Et ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram, * Sicut. ℣. Glória. ℟. Deſcendet. *Pſ.* 71.

HYMNUS. *Brev. Clun.*

Afflicta quid ploras, Sion?
Depóne luctus lúgubres:
Antíqua ceſſat sérvitus;
Teſtáre plauſu gáudia.
Fruſtra profundi gúrgitis
Tyrannus inténtat minas:
Victus recédet, & gravi
Preſſus caténâ, cóncidet.
Primis negáta séculis,
Pax alma terris rédditur:
María dat lætos dies,
Rerumque mutat órdinem.

Qualem, María te canam,
O Virgo, sole púlchrior!
Hebræa quas tellus tulit,
Tu sola vincis filias.

Vixdum parentis in sinu,
Jam plena vivébas Deo;
Castumque pectus cœperat
Ardére sacris ígnibus.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Dignam parentem qui Deo
Formans, ab ortu præparas,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Semel jurávi David in sancto meo: ℟. Semen ejus in æternum manébit. *Ps.* 88.

Ad Benedictus. *Ant.* Dómine, sermo quem locútus es David, & super domum ejus, confirmétur in perpétuum, & magnificétur nomen tuum usque in sempiternum. *I. Paral.* 17.

Collecta. *Sacr. Greg.*

FAmulis tuis, quæsumus, Dómine, cœlestis grátiæ munus impertíre; † ut quibus beátæ Maríæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium, * Conceptiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat incrementum; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Lateranensi. *An.* 649. *Can.* 3.

SI quis secundùm sanctos Patres non confitétur próprię & secundùm veritatem, Dei Genitrícem sanctam semperque Vírginem & immaculátam Maríam, utpote ipsum Deum Verbi speciáliter & veráciter, qui à Deo Patre ante ómnia sécula natus est, in últimis seculórum absque sémine concepisse ex Spíritu sancto; & incorruptibíliter eam genuisse, indissolúbili, permanente & post partum ejusdem virginitáte; condemnátus sit.

AD TERTIAM.

Lectio. *Galat.* 3.

ABrahæ dictæ sunt promissiónes & sémini ejus; † non dicit: Et semínibus, quasi in multis, * sed quasi in uno: Et sémini tuo, qui est Christus.

℣. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ: ℟. Omnes gentes magnificábunt eum. *Ps.* 71.

AD SEXTAM.

Lectio. *Jerem.* 33.

HÆc dicit Dóminus: † Si írritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in témpore suo; * & pactum meum írritum esse póterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus.

℣. Dominábitur à mari usque ad mare, ℟. Et à flúmine usque ad términos orbis terrárum. *Ps.* 71.

AD NONAM.

Lectio. *Isai.* 7.

DAbit Dóminus ipse vobis signum: † Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium: * & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℣. Dóminus dabit benignitátem, ℟. Et terra nostra dabit fructum suum. *Ps.* 84.

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Ant.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

Ant. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. *Cant.* 2.

II. *Ps.* 112. Laudate púeri Dóminum. *pag.* 30.

Ant. Tota pulcra es, amíca mea; & mácula non est in te. *Cant.* 4.

III. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 75.

Ant. Fons hortórum, púteus aquárũ vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano. *Cant.* 4.

IV. *Ps.* 126 Nisi Dóminus. *pag.* 75.

Ant. Surge, amíca mea, speciósa mea, & veni. *Cant.* 2.

Lectio. *Isai.* 62.

VOcábitur tibi nomen novum quod os Dómini nominábit: † Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, * Et diadéma regni in manu Dei tui.

℟. *br.* Ipse est Dóminus Deus tuus; * Et adorábunt eum. ℟. Ipse. ℣. Vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis. * Et. ℣. Glória. ℟. Ipse. *Ps.* 44.

Hymnus. *C.*

UNus, bonórum fons, Deus, ómnium,
Quàm liberáli fundis opes manu!
Non ante concessis Maríam
Quot properas cumuláre donis.

Inter rigentes ceu rosa clauditur
Spinas, & acres vincit acúleos;
Præsens amáram virulenti
Grátia vim fruticis retundit.

Quantùm pudícas, inclyta vírgines
Præstat, remóto quæ dominam gradu
Sequuntur, & Regis parentem
Sidereâ comitantur aulâ!

Nec Angelórum par decus: hi Deo
Adstant sedenti; fert Hominem-Deum
María; nomen dulce Matris
Virgíneo socians honóri.

Regína mundi Virgo, cliéntium
Tutéla, mœstis perfugium reis,
Fer nostra Nato vota: tristem
Non patitur Genitrix repulsam.

Sit Trinitáti perpetuum decus,
Inflicta mundo quæ miserans mala,
In Matre pignus nascituri
Non dubium dat habére Christi. Amen.

℣. Pópuli confitebuntur tibi in ætérnum. ℟. Mémores erunt nóminis tui. *Ps.* 44.

Ad Magníficat. *Ant.* Una columba mea, perfecta mea; vidérunt eam fíliæ, & beatíssimam prædicavérunt. *Cant.* 6.

Die XIII.

S. LUCIÆ,

Virginis, et Martyris.

Commemoratio ut in Communi Virginum Martyrum, pag. lxxvj.

Die XXI.

S. THOMÆ,

Apostoli.

Festivitas III. Classis.

Omnia de Communi Apostolorum, exceptis quæ sequuntur.

AD I. VESPERAS.

Ad Magníficat. *Ant.* Dicit Jesu Thomæ: Ego sum via, & véritas, & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me. *Joan.* 14.

AD OFFICIUM NOCT.

IN II. NOCTURNO.

Lectio V.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* 258. *Edit. Bened. n.* 3.

Numquid non homo erat Thomas, unus de discípulis, quasi homo de turbâ? Dicébant ei condiscípuli ejus: Vídimus Dóminum; & dicébat ipse: Nisi tetígero, nisi dígitum mísero in latus ejus, non credam. Evangelistæ tibi annúntiant, & non credis. Ipsis crédidit mundus, & non credit discípulus. De ipsis dictum est: In omnem terram éxiit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Exeunt verba eórum, pervéniunt usque in fines terræ; credit totus mundus; annúntiant omnes uni, & non credit. Nondum erat dies, quem fécerat Dóminus.

℟. Christus resurrexit tértiâ die secundùm scriptúras, & visus est Cephæ, & post hæc úndecim, deinde visus est Jacóbo, deinde Apóstolis ómnibus. * Noli esse incrédulus, sed fidélis. ℣. Tradidérunt nobis qui ab inítio ipsi vidérunt. * Noli. *I. Cor.* 15. *Joan.* 20. *Luc.* 1.

Lectio VI.

Adhuc ténebræ erant in abysso, in profunditáte cordis humáni: té-

tenebræ ibi erant. Véniat ille, caput diéi hujus véniat, & dicat pátiens, mitis, non irátus, quia médicus: Veni, inquit, veni, tange hoc, & crede. Dixisti: Nisi tetígero, nisi dígitum mísero, non credam. Veni, tange, mitte dígitum, & noli esse incrédulus, sed fidélis; veni, mitte dígitum, sciébam vúlnera tua, servávi tibi cicatrícem meam.

℟. Vita manifestáta est, & vídimus, & testámur, & annuntiámus vobis *. Vitam ætérnam quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis. ℣. Quod vídimus óculis nostris, & manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ, quod vídimus & audívimus, annuntiámus vobis, * Vitam. *I. Joan.* 1.

LECTIO VII.

SEd planè mittens manum suam, complévit fidem. Quæ est enim fidei plenitúdo? ut non credátur Christus, tantúmmodò homo; nec credátur Christus tantummodò Deus, sed homo & Deus. Ipsa est fidei plenitúdo: quia Verbum caro factum est, & habitávit in nobis. Ergo iste discípulus oblátis sibi tangendis cicatrícibus & membris Salvatóris sui, ubi tétigit, exclamávit: Dóminus meus, & Deus meus.

℟. Hic est Deus noster, * Et non æstimábitur álius adversùs eum. ℣. Dóminus meus, & Deus meus. * Et non. *Baruch.* 3. *Joan.* 20.

LECTIO VIII.

HOminem tétigit, Deum cognóvit: tétigit carnem, respexit ad Verbum; quia Verbum caro factum est, & habitávit in nobis. Verbum hoc passum est carnem suam suspendi in ligno; Verbum hoc passum est in carne suâ clavos figi; Verbum hoc passum est carnem suam lánceâ transforári; Verbum hoc passum est carnem suam in sepulcro poni; Verbum hoc ressuscitávit carnem suam, óbtulit adspéctibus discipulórum videndam, præbuit mánibus contrectandam; tangunt, exclámant: Dóminus meus, & Deus meus.

℟. Cùm non vidéritis Christum, dilígitis; in quem nunc quoque non videntes créditis, * Credentes exultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ, reportantes finem fidei vestræ, salútem animárum. ℣. Beáti qui non vidérunt & credidérunt. * Credentes. ℣. Glória. * Credentes. *I. Petr.* 1. *Joan.* 20.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 20.

THomas unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis,

quando venit Jesus. Dixérunt ergo ei álii discípuli: Vídimus Dóminum. Ille autem dixit eis: Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, & mittam dígitum meum in locum clavórum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, íterum erant discípuli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit Jesus, jánuis clausis, & stetit in médio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer dígitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuã, & mitte in latus meum: & noli esse incrédulus, sed fidélis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dóminus meus, & Deus meus. Dixit ei Jesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beáti qui non vidérunt, & credidérunt.

Ad Benedictus. *Ant.* Vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incrédulus, sed fidélis. *Joan.* 20.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DA nobis, quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ solemnitáte gloriári; † ut ejus semper & patrocíniis sublevémur, * & fidem cóngruâ devotióne sectémur; Per Dóminum.

AD II. VESPERAS.

Ad Magníficat. *Ant.* Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beáti qui non vidérunt, & credidérunt. *Joan.* 20.

¶ *Officia Sanctorum quæ deinceps usque ad XIV. Januarii in Calendario sequuntur, habentur in Proprio de Tempore.*

FESTA JANUARII.

DIE XIV.

S. HILARII PICTAV.

EPISCOPI

ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Omnia de Communi Doctorum, exceptis quæ sequuntur.

LECTIO III.

Ex Vita sancti Hilarii apud Tillemont.

HIlárius Pictávis in Gálliâ nóbili génere natus cùm ætáte matúrâ in Cathólicâ consubstantiális Trinitátis fide renátus esset, hanc ita dídicit ac ténuit, ut áliter crédere se nec posse, nec velle constanter asséreret. Electus Pictavórum Epíscopus, tamquàm firmíssimum murum Ariánis se fórtiter oppósuit. Saturníni Arelatensis Epíscopi ártibus è Biterrensi conventículo in Phrygiam relegátus est, ibíque libros de Trinitáte duódecim conscripsit. Quarto exsílii an-

no, cùm Constántius imperátor concílium apud Seléuciam Isáuriæ urbe convocasset, quo témpore celebrabátur in Occidente Ariminensis synodus, dicto concílio adesse compulsus est Hilárius. Illic interrogátus quæ esset Gallórum fides, expósitâ fide suâ, juxta ea quæ à Pátribus Nicænis conscripta fúerant, Occidentálibus perhíbuit testimónium, eosque à Sabelliánæ hæréseos criminatióne vindicávit. Solúto concílio legátos ejus decem Constantinópolim secútus, ibi Occidentáles fallácibus Arianórum fórmulis deceptos, Orientáles eorumdem scélere victos advertit. In tanto fídei discrímine, popóscit Imperatóris audiéntiam, ut coram ipso de fide cum adversáriis disputáret. Annuente Constántio libellum edit, quo Arianórum impietátem, fraudibusque ac mendáciis delúsam príncipis religiónem ostendens, ipsum enixè rogat, ut nutantis fídei integritátem restituat. Sed Arianórum factiónibus effectû est, ut, quasi discórdiæ fomes & perturbátor Orientis, manente tamen exsílii pœnâ, redíre ad Gállias juberétur. Tunc Hilárium è prælio hæreticórum reverténtem, inquit Hierónymus, Galliárum Ecclésia compléxa est. Pictávos reversus, frequéntibus intra Gállias coactis concíliis, & per epístolas egit, ut detectâ synodi Ariminensis fraude, ea quæ ibi gesta fúerant, ab ómnibus condemnarentur Epíscopis, & sic Gálliæ ab hæresis contagióne servarentur. In Itáliâ quoque & Illyrico, instaurandis Ecclésiis cum sancto Eusébio Vercellensi adlaborávit. Medioláni Auxéntium Ariánum in públicâ disputatióne coégit ut Christum verum Deum profiterétur. Demùm innúmeris ad Cathólicam fidem tuendam labóribus perfunctus, multisque éditis miráculis conspícuus, Pictávis óbiit, Valentiniáno & Valente imperatóribus.

℟. Omnis spíritus qui confitétur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: * Et omnis spíritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. † In hoc cognóscimus spíritum veritátis, & spíritum erróris. ℣. Quisquis conféssus fúerit quóniam Jesus est fílius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. * Et. ℣. Glória. † In hoc. *I. Joan. 4.*

Collecta. *Brev. Paris.*

PRosit nobis, Dómine, beáti Pontíficis Hilárii festíva solémnitas: † ut sicut consubstantiális tibi Verbi fidem per universas

Gállias servávit illæsam, * ita nos ejus intercessióne, in eádem fide stábiles permanére valeámus; Per eumdem.

Fit Commemoratio S. Felicis Nolani, Presbyteri, *ut in Communi Justorum, pag.* lxv.

Die XV.

S. MAURI,

ABBATIS.

Festivitas I. Classis.

Omnia de Communi Abbatum, exceptis quæ sequuntur.

AD I. VESPERAS.

Lectio. *Hebr.* 13.

OBedíte præpósitis vestris, & subjacéte eis. † Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri; * ut cum gáudio hoc fáciant, & non geméntes; hoc enim non expedit vobis.

℟. *br.* Bonum est viro cùm portáverit jugum * Ab adolescéntiâ suâ. ℟. Bonum. ℣. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei, * Ab. ℣. Glória. ℟. Bonum est. *Thren.* 3.

Hymnus. *Hug. Vail.*

QUi te, posthabitis ómnibus, ámbiunt,
Horum præsidium, dux, Deus, & decus;
Quas Mauri meritis, munéribus tuis,
Laudes pángimus, áccipe.

Hic gentilitiis major honóribus,
Spretis lætus adit claustra palátiis;
Calcat delícias, prædia, púrpuram,
Ut Christi subeat jugum.

Sancti propósitam Patris imáginem,
Gestis comparibus sédulus éxprimit:
Spectandis pueri lucet in áctibus
Fratrum vívida régula.

Se sacco rigidus cónterit áspero;
Frænat perpetui lege siléntii;
Noctes in precibus pérvigil éxigit;
Jejúnus sólidos dies.

Dum jussis patriis éxcitus ádvolat,
Sicco calcat aquas impávidus pede;
Edúcit Plácidum gúrgite sóspitem,
Et Petro símilis redit.

Laudum jugis honor sit tibi, Trínitas,
Quæ vultûs sátias lúmine cœlites:
Da sanctæ fámulis trámite régulæ,
Mauri præmia cónsequi. Amen.

℣. Assúmpsit me Dóminus de aquis multis: ℟. Salvum me fecit quóniam vóluit me. *Ps.* 17.

Ad Magníficat. *Ant.* Dedísti ei, Dómine, in mari viam, & inter fluctus sémitam firmíssimam; osténdens quóniam potens es ex ómnibus salváre. *Sap.* 14.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 565.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dóminum Deum, cui mélior est obediéntia quàm víctimæ;* Veníte, adorémus. *I. Reg.* 15.

Hymnus, Qui te posthabítis. *ut ad I. Vesperas.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Libro secundo Dialogórum sancti Gregórii Papæ. *Cap.* 3.

CUm sanctus vir Benedíctus diu in solitúdine virtútibus signísque succrésceret, multi ab eo, in eódem loco, ad omnipoténtis Dei sunt servítium congregáti; ita ut illic duódecim monastéria, cum omnipoténtis Jesu Christi Dómini opitulatióne, constrúeret, in quibus, statútis pátribus, duodénos mónachos deputávit; paucos verò secum retínuit quos adhuc in suâ præséntiâ áptiùs erudíri judicávit. Cœpére étiam tunc ad eum Románæ urbis nóbiles & religiósi concúrrere, suósque ei fílios omnipoténti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ spei suas sóboles, Equítius Maurum, Tertullus verò patrícius Plácidum trádidit: è quibus Maurus júnior, cùm bonis pólléret móribus, magístri adjútor cœpit exsístere; Plácidus verò, puerílis adhuc índolis gerébat annos.

℟. Suscéptor meus es tu, Dómine, & in verbum tuum supersperávi: * Declináte à me, maligni; & scrutábor mandáta Dei mei. ℣. Magíster, sequar te quocumque íeris. * Declináte. *Ps.* 118. *Matth.* 8.

LECTIO VI. *Cap.* 7.

QUâdam verò die, dum idem venerábilis Benedíctus in cellâ consísteret, prædíctus Plácidus puer, sancti viri mónachus, ad hauriendam de lacu aquam egréssus est: qui vas quod tenúerat, in aquam incautè submittens, ipse quoque cadendo secútus est. Quem mox unda rápuit, & penè ad uníus sagíttæ cursum, eum à terrâ introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam pósitus, hoc prótinùs agnóvit, & Maurum festíne vocávit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille qui ad hauriendam aquam perréxerat, in lacum cécidit; jamque eum lóngiùs unda trahit.

℟. Non secundùm carnem ambulámus: sed se-

cundùm spíritum. * Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt. ℣. Vir obédiens loquétur victóriã. * Qui. *Rom.* 8. *Prov.* 21.

LECTIO VII.

RES mira, & post Petrum Apóstolum inusitáta! Benedictióne étenim postulátâ atque perceptâ, ad patris sui impérium cóncitus perrexit Maurus; atque usque ad eum locum, quo ab undâ deducebátur puer per terram se ire exístimans, super aquam cucurrit, eumque per capillos tenens, rápido quoque cursu rédiit. Qui mox ut terram tétigit, ad se reversus, post terga respexit, & quia super aquas cucurrisset, agnóvit, & quod præsúmere non potuisset ut fieret, mirátus extrémuit factum.

℟. Vocávi te nómine tuo; meus es tu. * Cùm transíeris per aquas, tecum ero, & flúmina non opérient te. ℣. Adstitit mihi Angelus Dei, cujus sum ego, & cui desérvio, dicens: Ne tímeas. * Cùm. *Is.* 43. *Act.* 27.

LECTIO VIII.

REversus ítaque ad patrem, rem gestam rétulit. Vir autem venerábilis Benedictus hoc non suis méritis, sed illíus obediéntiæ deputáre cœpit. At è contrà Maurus pro solo ejus império factum dicébat; seque cónscium in illâ virtúte non esse, quam nésciens fecisset. Sed in hâc mútuæ humilitátis amícâ contentióne, accessit árbiter puer qui ereptus est. Nam dicébat: Ego, cum ex aquâ tráherer, supra caput meum melóten Abbatis vidébam, atque ipsum me ex aquis edúcere considerabam.

℟. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta; * Ut invéniar in illo, habens justítiam quæ ex fide est, configurátus morti ejus. ℣. Desidérium habens dissolvi & esse cum Christo: * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Philip.* 3 & 1.

AD LAUDES.

LECTIO. *Eccli.* 30.

QUi docet fílium suum, laudábitur in illo: † mórtuus est pater ejus, & quasi non est mórtuus; * símilem enim relíquit sibi post se: in vitâ suâ vidit, & lætátus est in illo.

℟. *br.* Réspice de cœlo, & vide Dómine; * Et vísita víneam istam. ℟. Réspice. ℣. Et super fílium hóminis quem confirmasti tibi, * Et vísita. ℣. Glória. ℟. Réspice. *Ps.* 79.

HYMNUS.

MAure qui Francis, moderante Christo,
Régulæ sanctæ jubar attulisti;

Pelle jam nostras, rutilans beáto
Lúmine noctes.

Ut novus gestis Eliséus esses,
Te sui testem voluit triumphi
Alter Elías, radiante scandens
Trámite cœlos.

Inde justórum meritis onustus
Spíritus patris requiévit in te;
Esque virtútis speculum patérnæ
Factus & hæres.

In sacro mortem, nova res, asylo
Gestiens quæris, meritisque plenam
Claudis, optátas moriens ad aras,
Hóstia vitam.

Summæ stellantis Dominátor aulæ,
Quem fides Unum colit atque Trinum,
Súpplices Mauri superis clientes
Insere turmis.
Amen.

℣. Memor esto Congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedisti ab inítio, Dómine. *Ps.* 73.

Ad Benedictus. *Ant.* Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: bonus est Dóminus, sperántibus in eum, ánimæ quærenti illum. *Thren.* 3.

COLLECTA. *Brev. Clun.*

DEus, qui beátum Maurum non solùm, sapiéntiâ in præcipiendo, sed étiam humilitáte in obediendo illustrem reddidisti; † præsta, quæsumus, ut ejus imitatióne subjecti invicem; * sicut filii obediéntiæ, tibi líberâ caritáte serviámus; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Toletáno.
An. 1566. *Act.* 3.
Can. 25.

TAnti fuére in Christiánâ repúblicâ Sacrosáncta ac veneránda virginitátis & castitátis vota, ut Ecclésia cathólica post Dómini nostri Jesu Christi ascensiónem, ex ejus institutióne ab Apostólorum ætáte, nusquàm cessáverit, vel ea commendáre, vel continuâ traditióne ea instítuere, quæ ad illibátam eórumdem votórum custódiam necessária, commodáve visa fuérunt.

AD II. VESPERAS.

L E C T I O. *II. Cor.* 1.

GLória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ, † quòd in simplicitáte cordis & sinceritáte Dei, & non in sapiéntiâ carnáli; * sed in grátiâ Dei conversáti sumus in hoc mundo.

℟. *br.* Pérfice gressus meos, Dómine, * In sémi-

tis tuis. ℟. Pérfice. ℣. Ut non moveantur vestígia mea, * In. ℣. Glória. ℟. Pérfice. *Ps.* 16.

Hymnus, Maure qui Francis. *ut ad Laudes.*

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, ℟. Qui corónat te in misericórdiâ & miseratiónibus. *Ps.* 102.

Ad Magníficat. *Ant.* Quæ audistis & vidistis in me, hæc ágite: & Deus pacis erit vobiscum. *Philip.* 4.

Die XVII.

S. ANTONII, ABBATIS.

Omnia de Communi Abbatum, exceptis quæ sequuntur.

AD OFFICIUM NOCT.

HYMNUS. *S. V.*

QUid novos soles, nova regna quæris,
Prorsùs ignóti novus orbis hospes?
Plus facis; tete fugis, inquiéti
Tránsfuga mundi.

Háctenus nullo violáta passu
Primus, Antóni, loca sola calcas;
Et viam pandis: pia te geméntum
Castra sequentur.

Prædicat Christum tua solitúdo,
Prædicat vilis tuus ille victus,
Dura paupertas, labor, hirta vestis,
Cruxque suppellex.

Si tremens Pauli senis ad cavernam
Integer flebas, tibi visus ipsi
Jam minor; quales lacrymæ piábunt
Crímine fœdos!

Ipse præcepto Deus intonante
Nos mori semper jubet ante mortem;
Per cruces duras emimus, per ipsa
Damna salútem.

Laus patri, Nato; tibi laus suprema
Spíritus compar, utriusque Nexus
Cujus impulsu petiit profundum
Christus erémum.
Amen.

LECTIO III.

Ex Lib. S. Athanasii de vitâ ejusdem, & Hieronymi de Script. Eccl.

ANtónius nóbilis Ægyptius, cùm circa annum ætátis vigésimum ingressus Ecclésiam, ex Evangélio audisset: Si vis perfectus esse, vade, vende ómnia quæ habes, & da paupéribus; tamquàm ea sibi dicta essent, amplíssima quæ habébat prædia partítus est inter vicános, totiusque vénditæ supelléctilis prétium paupéribus erogávit: ac primùm se-

cessit haud procul à vico suo, ubi rebus ómnibus abdicátis, non désti tit ex labóris emolumento adsuétis eleemósynis páuperes fovére, non áliud sibi servans ad victum, quàm unde panem émeret, quo non ante solis occásum vescebátur, adhíbito tantùm sale ad condimentum, & aquâ ad sitim sedandam. Arctióris posthàc solitúdinis desidério, in monumento occlúsus remansit, familiári cuídam mandans ut panem sibi statútis diébus afferret. Ibi verbéribus ac plagis gravíssimis à dæmónibus vexátus est. Anno ætátis trigésimo quinto erémum pétiit, unde post annos prope vigenti, Spíritûs sancti impulsu éxiit, ut cœnobítas moderarétur. Sæviente deinde Maximíno, martyrii desidério flagrans, Mártyres usque Alexándriam quò ducebántur, secútus est, ac ipsis ministrábat. Sed cùm votis non respondéret succéssus, finítâ persecutióne in cœnóbium rédiit. Tantam suî veneratiónem sensim ubíque concitávit Antónius, ut ab ipsis Gentílibus homo Dei nuncuparétur. Magnum Athanásium ab Ariánis penè oppressum crebrò invísit. Ejus grátiâ ad Constantínum non semel scripsit. Ab hæreticórum congressu semper abstinuit. Ariános ejus autoritáte se tuentes, público sermóne damnávit. Epíscopis & Presbyteris caput submíttere sólitus erat, ut sibi benedictiónem impertirentur. Dæmones, quorum conflíctibus jam inde ab adolescéntiâ frequenter lacessítus fúerat, vicit semper ac fugávit; ac docens quibus armis illi superarentur: Mihi crédite, dicébat, fratres, pertimescit sátanas piórum vigílias, oratiónes, jejúnia, voluntáriam paupertátem, misericórdiam & humilitátem, máximè verò ardentem amórem in Christum, cujus único sanctíssimæ crucis signo debilitátus áufugit. Morti próximus inter ália mónita, hæc frátribus inculcávit: Custodienda est pia fides in Christum, & Patrum servanda tradítio. Paulum Anachoretárum primum, quem senex adíerat, sepelivit. Vixit annos quinque supra centū. Scripsit Ægyptíacè septem Epístolas quæ in græcam linguam translátæ sunt.

℟. Si vis perfectus esse vade, vende quæ habes, & da paupéribus; & habébis thesaurum in cœlo: & * Veni, séquere me. ℣. Glória magna est sequi Dóminum. * Veni. ℣. Glória. * Veni. *Matth.* 19. *Eccli.* 23.

AD LAUDES.

Hymnus. *S. V.*

QUid tu relictis úrbibus
Altâ tot annos in specu
Quid, Paule, sentis, quid vides?
Solusque tecum cógitas?
Frustra lates sub hórrido
Retectus antro jam pates:
Monentis afflátu Dei
Senex adest Antónius.
Congressus ô qualis virûm!
Se mútuis ampléxibus
Ambo salútant, & Deum
Anhela spirant péctora.
Qui corvus ante próvidus,
Paulum solébat páscere
Duóbus ille dúplicem
Delapsus annónam tulit.
Nox sancta, divínis fuit
Quæ consecráta láudibus!
Nox, cujus umbras spléndido
Christus fugábat lúmine.
Sit laus Patri; laus Filio
Qui sponte desertum petit.
Qui corda nostra súblevas,
Par sit tibi laus Spíritus.
Amen.

Collecta. *Brev. Senon.*

DEus, cujus verbo foris sonante, & grátiâ intùs movente excitátus Antónius, ut perfectus esset ómnia reliquit; † da cunctis Evangélicæ perfectiónis iter ingressis, in stádio sic cúrrere, * ut bravíum æternæ felicitátis accípere mereantur; Per Dóminum.

Fit Commemoratio S. Pauli, primi Eremitæ.

Ant. Recéde & abscóndere; de torrente bibes, corvisque præcépi ut pascant te. *III. Reg.* 17.

℣. Jacta super Dóminum curam tuam, ℟. Et ipse te enútriet. *Ps.* 54.

Collecta. *Brev. Suess.*

PRecámur te, Dómine, ut beátum Paulum imitando, † tam sevérè sensus nostros régere possímus, * ut dómito omni pravo appetítu, cœlestem in terris vitam agámus; Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Hymnus. *S. V.*

PRóximus cœlo, super astra vectus,
Quam sitis, puro bibis ore lucem;
Nil tibi tellus; tua cura soli
Vívere Christo.
Sic petis cœlum, neque corpus obstat;
Arduas sedes rapido volátu
Scandis, Antóni, novus ante tempus
Hospes olympi:
Ceu tibi totus periisset orbis,
Nil vides cæcus, neque surdus audis;
Ipsa formídant simulácra rerum
Lædere mentem.
Ecce qui Christo duce militámus,
Frángimur blando nimis hoste victi:

Ad leves pugnas trepidámus, ultro
Pónimus arma.
Fac ut, ætérnæ ſtudio ſalútis,
Chriſte, clamóſas fugiámus urbes,
Et tibi ſoli placidâ vacémus
Mentis in arce.
Summa laus Patri, ſimul æqua Nato;
Sit tibi compar, utriuſque Nexus,
Spíritus, qui nos procul à tumultu,
Númine comples.
Amen.

DIE XVIII.

PONTIFICATUS SEU CATHEDRA

S. PETRI, APOSTOLI.

AD OFFICIUM NOCT.

In Pſal. Veníte. *Ant.* Caput córporis Eccléſiæ Chriſtum Dóminum; *Veníte, adorémus. *Coloſſ.* 1.

HYMNUS. *C.*

INconcuſſa tuo, ſumme Deus, paras
Fundamenta óperi: non tamen éligis
Pollentes ópibus, non celebres vocas
Claris ſtemmatibus viros.
Petro divitiæ cymba; labor mare:
Gentes innumeras hic ſubigit tamen;
Et qui navigium píſcibus ántea,
Orbem Chriſtiadis replet.
Tu, nullíus opis ſcílicet índigus,
Unus cuncta potens vis, ſimul & facis:
Uti debílibus te juvat; ínfimis
Gaudes árdua víncere.
Sit laus ſumma Patri, ſummaque Fílio:
Ambórum ſit idem Spirituí decus,
Per quem, Chriſte, tuam vox hominum crucem
Terris éxtulit ómnibus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiphonæ, & ℣. ut in Pſalterio. Duæ primæ Lectiones cum ℟℟. de Scripturâ occurrente.

LECTIO III.

Ex Sermóne tértio ſancti Leónis Papæ, in Anniversário die Aſſumptiónis ſuæ. *Edit. Pariſ.*

RElígióſum nobis atque laudábile eſt, ut unum celebrétur in toto Eccléſiæ córpore Pontifícii ſacraméntum, quod effúſo benedictiónis unguento, copióſiùs quidem in ſuperióra proflúxit, ſed non parcè étiam in inferióra deſcendit. De toto mundo unus Petrus elígitur, qui & univerſárum géntium vocatióni & ómnibus Apóſtolis,

cunctísque Ecclésiæ Pátribus præponátur : ut quamvis in pópulo Dei multi sacerdótes sint, omnes tamen próprie regat Petrus, quos principáliter regit & Christus. Magnum & mirábile, dilectíssimi, huic viro consórtium poténtiæ suæ tríbuit divína dignátio; & si quid cum eo commúne cæteris vóluit esse princípibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid áliis non negávit. Ubi, quid hábeat sensus discipulórum, exígitur, primus est in Dómini confessióne, qui primus erat in Apostólicâ dignitáte. Qui cùm dixisset : Tu es Christus Fílius Dei vivi; respóndit ei Jesus : Et ego dico tibi, quia tu es Petrus; id est, cùm ego sim inviolábilis petra, ego fundamentum præter quod nemo potest áliud pónere : tamen tu quoque petra es, quia meâ virtúte solidáris, ut quæ mihi potestáte sunt própria, sint tibi mecum participatióne commúnia. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, & portæ ínferi non prævalébunt advérsùs eam. Super hanc, inquit, fortitúdinem ætérnum éxstruam templum : & Ecclésiæ meæ cœlo inferenda sublímitas in hujus fídei firmitáte consurget. Hanc confessiónem portæ ínferi non tenébunt, mortis víncula non ligábunt : vox enim ista vox vitæ est : & sicut confessóres suos in cœléstia próvehit, ita negatóres ad inferna demergit.

℟. Tibi dabo claves regni cœlórum; * Et quodcumque ligáveris super terram, erit ligátum & in cœlis, & † Quodcumque sólveris super terram, erit solútum & in cœlis. ℣. Vocábo servum meum, & dabo clavem domûs David super húmerum ejus, & erit in sólium glóriæ dómui patris ejus : * Et. ℣. Glória. † Quodcumque. *Matth.* 16. *Isai.* 22.

IN II. NOCTURNO.

Lectio. *I. Cor.* 1.

Quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes : & infírma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; & ignobília mundi & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus.

℣. Humília réspicit Dóminus in cœlo & in terrâ; ℟. Súscitans à terrâ ínopem, & de stércore érigens páuperem. *Ps.* 112.

Collecta ut infrà.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. Adduxit Andreas fratrem suum Simónem ad Jesum; intúitus

autem eum Jesus, dixit : Tu es Simon filius Jona, vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus. *Joan.* 1.

II. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam ; & portæ ínferi non prævalébunt adversùs eam. *Matth.* 16.

III. Ego rogávi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Luc.* 22.

IV. Dicit Jesus Simóni Petro : Simon Joannis, díligis me plùs his ? Dicit ei : Etiam Dómine; tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. *Joan.* 21.

V. Dicit ei tértiò : Simon Joannis, amas me ? Contristátus est Petrus, & dixit ei : Dómine, tu ómnia nosti ; tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce oves meas. *Joan.* 21.

LECTIO. *I. Petr.* 5.

SEnióres qui in vobis sunt, óbsecro, consénior & testis Christi passiónum : qui & ejus, quæ in futúro revelanda est, glóriæ communicátor : Páscite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontáneè secundùm Deum : neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntiâ cordis sui. ℟. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum suárũ deduxit eos; * In innocéntiâ. ℣. Glória. ℟. Pavit. *Ps.* 77.

HYMNUS. *S. V.*

QUalis potestas, Petre, quis terris honos,
Cui jura Christus ipse concessit sua ?
Quidquid ligábis, quidquid & solves solo,
Hoc & ligábit, solvet & polo Deus.

Tui probáto cordis affectu, suum
Pastor suprémus crédidit tibi gregem :
Serva, tuére, pasce nos, Pastor bone,
Illíus & nos, Petre, pars gregis sumus.

Patri suprémo, sit supréma glória ;
Tibique laudes totus orbis cóncinat,
Æterne Fili, splendor æterni Patris ;
Compar sit almo laus, decusque Flámini. Amen.

℣. Pósui adjutórium in potente : ℟. Et exaltávi eléctum de plebe meâ. *Ps.* 88.

Ad Benedictus. *Ant.* Beátus es, Simon Barjóna, quia caro & sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. *Matth.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui beáto Apóstolo tuo Petro collátis clávibus regni cœléstis, ligandi atque solvendi pontifícium tradidísti, † concéde, ut intercessiónis ejus auxílio, * à peccatórum nostrórum néxibus liberémur; qui vivis.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Isai.* 22.

ERit quasi pater habitántibus Jerúsalem & dómui Juda, † & dabo clavem domûs David super húmerum ejus: * & apériet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui apériat.

℣. Dóminus élevat páuperem ut sédeat cum princípibus, ℟. Et sólium glóriæ téneat. *I. Reg.* 2.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Act.* 10.

NOs testes sumus ómnium quæ fecit Jesus in regióne Judæórum & Jerúsalem, quem occidérunt suspendentes in ligno. † Hunc Deus suscitávit tértiâ die, & dedit eum manifestum fieri non omni pópulo, sed téstibus præordinátis à Deo, * nobis qui manducávimus & bíbimus cum illo, postquàm resurrexit à mórtuis.

℣. Nos pópulus tuus & oves páscuæ tuæ, ℟. Confitébimur tibi in sǽculum. *Ps.* 78.

AD NONAM.

LECTIO. *II. Petr.* 1.

NOn doctas fábulas secúti, † notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem & præséntiam; * sed speculatóres facti illíus magnitúdinis.

℣. Qui timétis Dóminum laudáte eum: ℟. Universum semen Jacob glorificáte eum. *Ps.* 21.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut ad Laudes.

LECTIO. *Act.* 15.

VIri fratres, vos scitis quóniam ab antiquis diébus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangélii, & crédere; † & qui novit corda Deus, testimónium perhíbuit, dans illis Spíritum sanctum sicut & nobis, * & nihil discrévit inter nos & illos, fide puríficans corda eórum.

℟. *br.* Tibi, Deus, confitébimur; * Et invocábimus nomen tuum. ℟. Tibi. ℣. Narrábimus mirabília tua; * Et. ℣. Glória. ℟. Tibi. *Ps.* 74.

HYMNUS. C.

PRome commissas tibi,
Petre, claves:
Nam tibi tradit sua jura
Christus:

)uæ polum claudunt, scelerum, precámur,
Vincula solve.
Prima te sedes Orientis oris
ɪxtulit: cunas ibi Christiánum
)btinet nomen; simul inde toto
Spárgitur orbe.
Roma mox sortis melióris hæres;
ɪxstitit mundi fideíque centrum,
)uam tuo Pastor pariterque martyr
Sánguine claras.
Qui fidem Petro stabilem rogasti,
. sinas, Jesu, titubáre nostram:
ta fac concors fidei sit omen
Dulce salútis.
Prolis æternæ Pater alme, totus
ébitas laudes tibi solvat orbis;
olvat & Verbo; simul utriusque
Solvat Amóri. Amen.

℣. Exaltent eum in Ecléśiâ plebis; ℟. Et in Cáhedrâ seniórum laudent um. *Ps.* 106.

Ad Magníficat. *Ant.* imon narrávit quemádnodùm primùm Deus viitávit súmere ex Géntibus óopulum nómini suo; & uic concordant verba Prohetárum. Notum à século :st Dómino opus suum. *Act.* 15.

DIE XX.
S. SEBASTIANI, *MARTYRIS.*
COMMEMORATIO.

Ant. Intendérunt arcum rem amáram ut sagittent immaculátum: exaltábitur Deus; sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum. *Ps.* 63.

℣. Dómine virtus salútis meæ; ℟. Obumbrasti super caput meum in die belli. *Ps.* 139.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

VIde, Dómine, infirmitátes nostras; † & intercedente beáto Sebastiáno Mártyre tuo, * céleri nobis pietáte succurre. Per Dóminum.

Fit Commemoratio S. FABIANI, PAPÆ ET MARTYRIS, *ut in Communi. Collecta*, Omnípotens sempitérne. *pag.* xvj.

DIE XXI.
S. AGNETIS, VIRGINIS ET MARTYRIS.

Omnia de Communi Virginum Martyrum, exceptis quæ sequuntur.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus. *Ed. Ben. Cap.* 2.

HOdie natális est sanctæ Agnês: mirentur viri, non despérent párvuli, stúpeant nuptæ, imitenrur innuptæ. Hæc duódecim annórum martyrium fecis-

se tráditur. Quò detestábilior crudélitas, quæ nec minúsculæ pepercit ætáti: immo magna vis fidei quæ étiam ab illâ testimónium invénit ætáte. Fuitne in illo corpúsculo vúlneri locus? Et quæ non hábuit quo ferrum recíperet, hábuit quo ferrum vínceret. Hæc inter cruentas carníficum impávida manus, hæc stridéntium grávibus immóbilis tráctibus catenárum, nunc furentis mucróni mílitis totum offerre corpus, mori adhuc néscia sed paráta: vel si ad aras invíta raperétur, téndere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrílegis focis trophæum Dómini signáre victóris: nunc ferrátis colla manusque ambas insérere néxibus: sed nullus tam tenúia membra póterat nexus inclúdere. Novum martyrii genus! Nondum idónea pœnæ, & jam matúra victóriæ: certáre diffícilis, fácilis coronári. Quanto terróre egit cárnifex ut timerétur, quantis blandítiis ut suadéret, quantórum vota ut sibi ad núptias perveníret? At illa: Et hæc sponsi injúria est exspectáre placitúrum. Qui me sibi prior elégit, accípiet. Quid percussor moráris? Péreat corpus quod amári potest óculis quibus nolo. Stetit, orávit, cervícem inflexit. Cérneres trepidáre carníficem; quasi ipse addíctus fuisset: trémere percussóris dexteram; pallére ora aliéno timentis perículo, cùm puella non timéret suo. Habétis igitur in unâ hóstiâ duplex martyrium, pudóris & relligiónis. Et virgo permansit, & martyrium obtínuit.

℟. Vivit Dóminus, quóniam custodívit me Angelus ejus; * Et † Non permísit me Dóminus ancillam suam coinquinári. ℣. Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelinquat me sine adjutório. * Et. ℣. Glória. † Non. *Judith.* 13. *Eccli.* 51.

Collecta. *Brev. Paris.*

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confundas; † concéde propítius, ut qui beátæ Agnétis Vírginis & Mártyris tuæ solémnia cólimus, * ejus in fide constántiâ subsequámur; Per Dóminum.

Die XXII.

S. Vincentii, Diaconi et Martyris.

Omnia de Communi unius Martyris, exceptis quæ sequuntur.

Lectio III.

Pássio sancti Vincéntii Levítæ. *Ex Actis sinceris ejusd. apud Ruinart.*

Vincéntius à Valério Cæsaraugustæ civitátis

tis Antístite Diáconus ordinátus, ab eódem Præsule, qui erat linguæ impeditióris, verbi ministérium accépit. Hunc Daciánus præses cum Valério Valéntiam in Hispániâ vinctum addúci præcépit. Vincéntius coram præside pro se ac pro Epíscopo verba fáciens, cum summâ fidúciâ Christiánam fidem professus est. Itaque Valérius in exsílium míttitur: Vincéntius autem, vinctus retortis bráchiis in equúleo extensus est, donec ossa sédibus suis síngula moverentur. Mox férreis úngulis semel atque íterum excarnificátus est. Subrídens autem Vincéntius ad Daciánum, dixit: Dóminum Jesum Christum confíteor, Fílium Altíssimi Patris, Unici Unicum, ipsum cum Patre & Spíritu sancto unum solum Deum esse profiteor. Ex equúleo assumptus Vincéntius cratículæ, subjectis ardéntibus prunis, impónitur, torquétur, flagellátur, exúritur: applicantur péctori & membris láminæ ignítæ, & decurrente inter ipsas candentis ferri ácies liquóre, stridens flamma arvínâ respérgitur, salis ígnibus sparsi crepitantes minútiæ per membra dissíliunt. Intérea manet Dei servus immótus, & erectis in cœlum óculis Dóminum precabátur. Post hæc in cárcere cæco ac testáceis fragmentis strato disténditur, ut testárum acúlei vúlnerum dolórem exasperárent. Verùm illustráto cœlitùs cárcere, Angelórum fovétur obséquio, solútis néxibus deámbulans psallit, cónsonat vocis Angélicæ moduláta suávitas: quod per rimas custódes cárceris conspicientes, & stupefacti, relicto gentilitátis erróre, Christiánæ religióni fidéliter se dedunt. Eductus inde Vincéntius molli cúlcitæ impónitur, ut aliquántulũ recreátus, ácriùs dénuò torquerétur: sed pretiósam resolútus in mortem, cœlo spíritum réddidit. Circumstántium frequéntia, sancti vestígia deosculando lambit, sánguinem línteis éxcipit sacrâ veneratióne pósteris profutúrum. Corpus ejus cùm projectum esset inhumátum, corvus & à volúcribus & à lupo, únguibus, rostro, alis mirabíliter defendit. Quâ re cógnitâ Daciánus insútum cúleo, saxóque illigátum in mare demergi jubet; sed inde étiam divínitus ejectum ad littus, Christiáni sepéliunt.

℟. Probávit me Dóminus quasi aurum, quod per ignem transit; * Vestígia ejus secútus est pes meus; viam ejus custodívi, & non

declinávi ex eâ. ℣. Omnia detrimentum feci, ad cognoscendum Christum, & societátem passiónũ illius, configurátus morti ejus; * Vestígia. ℣. Glória. * Vestígia. *Job.* 23. *Philip.* 3.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, advérsa mundi invictâ mentis constántiâ toleráre, † qui beátum Levítam Vincéntium nec minis terréri, * nec pœnis passus es superári; Per Dóminum.

Die XXIV.

S. TIMOTHEI, *Episcopi & Martyris*, COMMEMORATIO.

Collecta. Deus, cujus grátiâ, *de Communi unius Martyris Pontif. pag.* xvj.

Die XXV.

CONVERSIO S. PAULI, APOSTOLI.

Festivitas III. Classis.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. EGo Israelíta sum, ex sémine Abraham, de tribu Bénjamin. *Rom.* 11.

II. Sum natus in Tarso Ciliciæ, nutrítus autem in civitáte Jerúsalem, secùs pedes Gamáliel. *Act.* 22.

III. Eram secundùm legem Pharisæus, secundùm justítiam quæ in lege est conversátus sum sine querélâ. *Philip.* 3.

IV. Supra modum persequébar Ecclésiam Dei, & expugnábam illam, abundántiùs æmulátor exístens paternárum meárum traditiónum. *Galat.* 1.

LECTIO. *Act.* 9.

SAulus adhuc spirans minárum & cædis in discípulos Dómini, accessit ad Príncipem sacerdótum, † & pétiit ab eo epístolas in Damascum ad Synagógas; * ut, si quos invenisset hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem.

℟. *br.* Usquequò, Deus, * Improperábit inimícus? ℟. Usquequò. ℣. Irritat adversárius nomen tuum in finem? * Improperábit. ℣. Glória. ℟. Usquequò. *Ps.* 73.

HYMNUS. *G. Ep. S.*

PAstóre percusso, minas
Spirábat & cædes lupus;
Sparsúmque vastábat gregem,
Te, Christe, Saulus nésciens.

Et jam caténas stríngere
Ferox parábat, jam cruces;
Sed ô! repentè sternitur,
Verbóque perculsus ruit.

Quid, Saule, Saule, quid struis?

Agnosce victrícem manum:
Cœlo reluctári nefas;
Absiste Jesum pérsequi.

Jam tendit imbelles manus;
Jam colla submittit jugo;
Stupens jacet, clamat tremens;
Quid, Christe, quid victor jubes?

Ex hoste miles, ex lupo
Agnus, gregi se dévovet:
Et raptor ipse, nóbili
Raptus triumpho dúcitur.

O celsa cedrórum, Deus,
Qui voce vertis cúlmina!
O qui potenti súbjicis
Mentes superbas grátiæ!

Tu, Pastor, infensas tuo
Vires ovíli cóntere;
Et nostra, si quid dévium,
Ad te reflecte péctora.

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Quanta malignátus est inimícus in sancto! ℟. Et gloriáti sunt qui odérunt te! *Ps.* 73.

Ad Magníficat. *Ant.* Egressum tuum & introítum tuum cognóvi, cùm fureres adversùm me: ponam ergo frænum in lábiis tuis, & redúcam te in viam per quam venisti. *Is.* 37.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 583

AD OFFICIUM NOCT.

In Psalm. Veníte. *Ant.* Deum qui vocávit Paulum per grátiam suam, ut evangelizáret Fílium suum in Géntibus; * Veníte, adorémus. *Gal.* 1.

HYMNUS. S. V.

Quos in hostes, Saule, tendis?
Quo furóre pércitus?
Immoláre quid tot ardes
Innocentes víctimas?
Insequendo quem lacessis,
Sénties mox víndicem.

Christus instat; impotentem
Cæcat, urget, déjicit:
Ille cedit imperanti,
Seque totum súbjicit:
Insecútor antè Christi,
Præco Christum pérsonat.

Antè plenus qui minárum
Præparábat víncula,
Nunc tremens, nec jam rebellis
Per manus dedúcitur:
Qui lupus rapax furébat,
Nunc in agnum vértitur.

Dura, Christe, quàm potenti
Corda versas déxterâ!
Qui tuum delére nomen
Vult tuórum sánguine,
Universum mox per orbem
Ipse clarábit suo.

Sit supréma laus Parenti,
Qui creávit ómnia;
Filióque, qui redémit
Morte nos volens suâ;

Par & illi, cujus almo
Recreámur hálitu. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Bénjamin lupus rapax, manè cómedet prædam, & véspere dívidet spólia. *Gen.* 49.

II. Facta est persecútio magna in Ecclésiâ quæ erat Jerosólymis; & omnes dispersi sunt, præter Apóstolos. *Act.* 8.

III. Saulus devastábat Ecclésiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulíeres, tradébat in custódiam. *Ibid.*

IV. Cum funderétur sanguis Stéphani testis tui, Dómine, ego adstábam, & consentiébam. *Act.* 22.

V. Castigásti me, & erudítus sum, quasi juvénculus indómitus: confúsus sum, & erúbui. *Jerem.* 31.

VI. Audívi vocem sermónum ejus; & áudiens jacébam consternátus super fáciem terræ. *Dan.* 10.

℣. Dómine, inclína cœlos tuos, & descénde. ℟. Tange montes, & fumigábunt. *Ps.* 143.

Lectiones cum ℟℟. *de Scripturâ occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Baptizátus est Saulus: fuit autem cum discípulis qui erant Damasci per dies áliquot; & contínuò in synagógis prædicábat Jesum. *Act.* 9.

II. Stupébant omnes qui audiébant, & dicébant: Nonne hic est qui expugnábat in Jerúsalem eos qui invocábant nomen istud? *Ibid.*

III. Damasci consílium fecérunt Judæi, & custodiébant portas die ac nocte, ut eum interfícerent. *Ibid.*

IV. Accipiéntes eum discípuli nocte, per murum dimisérunt eum, submitténtes in sportâ. *Ibid.*

V. Cùm venísset in Jerúsalem, Bárnabas duxit illum ad Apóstolos; & narrávit illis quómodo vidísset Dóminum. *Ibid.*

VI. Erat cum illis intrans & éxiens in Jerúsalem, & fiduciáliter agens in nómine Dómini. *Ibid.*

℣. Hæc mutátio déxteræ Excelsi. ℟. Quis Deus magnus sicut Deus noster? *Ps.* 76.

LECTIO V.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi.
In illud: Saulus adhuc spirans. *Edit. Bened. Hom.* 1.

QUod majus hoc cerni possit miráculum, quod in Paulo cóntigit? Nam viventem quidem illum Petrus negávit, at mórtuum Paulus conféssus est. Porrò mentem Pauli pellexisse atque expugnasse majus signum fuit, quàm umbrárum óperâ mórtuos suscitasse. Nam illic qui-

dem sequebátur natúra, neque imperanti contradicébat: hìc verò in potestáte líberi arbítrii situm erat ut persuaderétur vel non persuaderétur; unde magna virtus ejus qui persuásit, osténditur. Multò quippe majus fuit voluntátem convertisse, quàm natúram correxisse.

℟. Grátias ago ei qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, * Qui priùs blasphémus fui, & persecútor & contumeliósus. ℣. Fidélem me existimávit, ponens in ministério, * Qui. *I. Tim.* 1.

LECTIO VI.

MAjus ígitur cæteris ómnibus signum fuit, Paulum post crucem & sepultúram ad Christum accessisse. Proptérea namque permísit eum Christus omne ódium præ se ferre, ac tum illum vocávit, ut resurrectiónis probatiónem ac doctrínæ sermónem omni suspicióne liberáret. Si enim Christus non resurrexisset, quis hóminem ádeo crudélem & inhumánum, quis ádeo infensum & efferátum sibi conciliasset & ad se adtraxisset? Non humánæ diligéntiæ fácinus illud fuit, sed grátiæ divínæ.

℟. Misericórdiam Dei consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. * Superabundávit autem grátia Dómini nostri, cum fide, & dilectióne quæ est in Christo Jesu. ℣. Non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei; * Superabundávit. *I. Tim.* 1. *I. Cor.* 15.

LECTIO VII. *Hom.* 3.

VIdélicet illum adhuc furentem, adhuc ferocientem, adhuc vi furóris commótum, adhuc cæde ferventem, adtraxit Christus. Non enim exspectávit donec cessáret ægritúdo, extinguerétur morbus, mansuetiorque fíeret ille sic efferátus, & sic illum adtráheret. Verùm in ipsâ furóris vi ipsum cepit, ut osténderet poténtiam suã, quòd in médio fervóre, æstuante ánimo, persecutórem vícerit & subégerit.

℟. Grátiâ Dei sum id quod sum; * Et grátia ejus in me vácua non fuit. ℣. Ubi abundávit delictum, superabundávit grátia; * Et *I. Cor.* 15. *Rom.* 5.

LECTIO VIII.

ETenim médicum tunc admirámur, quando febrim invalescentem & ferventem, in summo fervóre exstínguere & pénitus sedáre potest. Quod & in Paulo factum est: in ipsâ quippe flammæ veheméntiâ, vox Dómini, ceu ros

supernè manans, ipsum morbo pénitus liberávit.

℟. Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * Quis símilis tuî, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília? ℣. Qui persequebátur nos aliquando, nunc evangelízat fidem quā aliquando expugnábat. * Quis. ℣. Glória. * Quis. *Exod.* 15. *Galat.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Super Cant. ut in Communi Apost. pag. iij.

Ant. Confitébor tibi, Dómine, in Géntibus, & nómini tuo cantábo. *II. Reg.* 22.

℣. Glorificábo nomen tuum in æternum; ℟. Quia misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 85.

Lectio IX.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 22.

EGo sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutrítus autem in civitáte Jerúsalem, secus pedes Gamáliel, erudítus juxta veritátem paternæ legis, æmulátor legis, sicut & vos omnes estis hódie: quia hanc viam persecútus sum usque ad mortem, álligans & tradens in custódias viros ac mulíeres, sicut princeps sacerdótum mihi testimónium reddit, & omnes majóres natu; à quibus & epístolas accípiens, ad fratres Damascum pergébam, ut addúcerem inde vinctos in Jerúsalem ut punirentur.

℟. Existimáveram me adversùs nomen Jesu Nazaréni debére multa contrária ágere: quod & feci Jerosólymis, & multos sanctórum ego in carcéribus inclúsi; * Et cùm occiderentur, détuli senténtiam. ℣. Per omnes synagógas frequenter púniens eos, compellébam blasphemáre; & ámpliùs insániens in eos, persequébar usque in éxteras civitátes: * Et. *Act.* 26.

Lectio X.

FActum est autem, eunte me, & appropinquante Damasco médiâ die, súbitò de cœlo circumfulsit me lux copiósa: & décidens in terram, audívi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me pérsequeris? Ego autem respondi: Quis es, Dómine? Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarénus, quem tu perséqueris. Et qui mecum erant, lumen quidem vidérunt, vocem autem non audiérunt ejus qui loquebátur mecum. Et dixi: Quid fáciam, Dómine? Dóminus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum: & ibi tibi dicétur

de ómnibus quæ te opórteat fácere. Et cùm non vidérem præ claritáte lúminis illíus, ad manum dedúctus à comítibus, veni Damascum.

℟. Ananía, surge, vade, & quære Saulum nómine, Tarsensem : * Quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Géntibus : ego enim ostendam illi quanta opórteat eum pro nómine meo pati. ℣. Abiit vagus in viâ cordis sui; vias ejus vidi, & sanávi eum, & reduxi eum; * Quóniam. *Act.* 9. *Isai.* 57.

LECTIO XI.

ANanías autem, vir secundùm legem testimónium habens ab ómnibus cohabitántibus Judæis, véniens ad me, & adstans dixit mihi: Saule frater, réspice. Et ego eádem horâ respexi in eum. At ille dixit : Deus patrum nostrórum præordinávit te, ut cognósceres voluntátem ejus, & vidéres justum, & audíres vocem ex ore ejus: quia eris testis illíus ad omnes hómines, eórum quæ vidisti & audisti. Et nunc quid, moráris? Exsurge & baptizáre, & áblue peccáta tua, invocáto nómine ipsíus.

℟. Impónens Ananías Saulo manus, dixit : Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in viâ, ut vídeas, & impleáris Spíritu sancto : * Et confestim cecidérunt ab óculis ejus tamquàm squamæ, & visum recépit. ℣. Surgens baptizátus est. * Et. *Act.* 9.

LECTIO XII.

FActum est autem revertenti mihi in Jerúsalem, & oranti in templo, fieri me in stupóre mentis, & vidére illum dicentem mihi : Festína, & exi velóciter ex Jerúsalem : quóniam non recípient testimónium tuum de me. Et ego dixi : Dómine, ipsi sciunt, quia ego eram conclúdens in cárcerem, & cædens per synagógas eos qui credébant in te : & cùm funderétur sanguis Stéphani testis, tui ego adstábam, & consentiébam, & custodiébam vestimenta interficiéntium illum. Et dixit ad me : Vade, quóniam ego in natiónes longè mittam te.

℟. Ego sum Jesus erípiens te de pópulo, & Géntibus, in quas nunc * Ego mitto te, aperíre óculos eórum, ut accípiant remissiónem peccatórum, & sortem inter sanctos, †Per fidem quæ est in me. ℣. Ad ómnia quæ mittam te ibis : ecce constitui te super Gentes. * Ego. ℣. Glória. † Per. *Act.* 26. *Jerem.* 1.

Evangelium.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 15.

DIxit Jesus discípulis suis : Non vos me elegistis; sed ego elégi vos, & pósui vos ut eátis, & fructum afferátis, & fructus vester máneat : ut quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem. Si mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Si de mundo fuissétis, mundus quod suum erat díligeret : quia verò de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus. Mementóte sermónis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major dómino suo. Si me persecúti sunt, & vos persequentur : si sermónem meum servavérunt, & vestrum servábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum : quia nésciunt eum qui misit me.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. FIdélis sermo, quòd Christus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum. *I. Tim.* 1.

II. Grátias ago ei, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério; qui priùs blasphémus fui, & persecútor, & contumeliósus. *I. Tim.* 1.

III. Misericórdiam Dei consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. *I. Tim.* 1.

IV. Superabundávit grátia Dómini nostri, cum fide, & dilectióne, quæ est in Christo Jesu. *I. Tim.* 1.

V. Grátia ejus in me vácua non fuit, sed abundántiùs ómnibus laborávi : non ego autem, sed grátia Dei mecum. *I. Cor.* 15.

Lectio. *Philip.* 3.

EGo ex génere Israel, de tribu Bénjamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus, secundùm æmulatiónem pérsequens Ecclésiam Dei, secundùm justítiam quæ in lege est, conversátus sine querélâ. Sed quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta.

℟. *br.* Exsultábo & lætábor * In misericórdiâ tuâ, Dómine. ℟. Exsultábo. ℣. Quóniam respexisti humilitátem meam. * In. ℣. Glória. ℟. Exsultábo. *Ps.* 30.

Hymnus. *G. Ep. S.*

QUæ gloriósum tanta
cœlis évocat
Te, Christe, causa? Tune rursum vísere

Mundum, Redemptor?
Tu-ne Judex séculi?
Novum-ne prodis ultor hostem pérdere?
Heu quàm cruentus persecútor! quàm ferox
Insurgit! Horret, ac fugit grex, quà premit;
Humána tanto nulla par hosti manus:
Te, Christe, sparsæ víndicem poscunt oves.
Hunc ergo voce victor unâ súbjicis;
Totum sed uno subdis in Saulo tibi,
Vincisque mundum; sternis ut mox érigas,
Agnisque prædam dívidat lupus tuis.
Sit Trinitáti sempiterna glória,
Honor, potestas, atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubernans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sécula. Amen.

℣. Misericórdias Dómini in æternum cantábo: ℟. In generatiónem & generatiónem annuntiábo veritátem tuam. *Ps.* 88.

Ad Benedictus. *Ant.* Non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei: grátiâ autem Dei sum id quod sum. *I. Cor.* 15.

COLLECTA. *Brev. Senon.*

DEus, cujus grátia beátum Apóstolum tuum Paulum de persecutóre vas electiónis effécit; † nostras, quæsumus, étiam rebelles, * ejusdem grátiæ virtúte, ad te propítius compelle voluntátes; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Galat.* 1.

CUm plácuit ei qui me segregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam suam, † ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in Géntibus; * contínuò non acquiévi carni & sánguini.

℣. Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, ℟. Et in veritáte tuâ humiliasti me. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Gal.* 1.

ERam ignótus fácie Ecclésiis Judææ; † tantùm autem audítum habébant: quóniam qui persequebátur nos aliquando, nunc evangelízat fidem quam expugnábat; * & in me clarificábant Deum.

℣. Exaltas me de portis mortis, Dómine, ℟. Ut annúntiem omnes laudatiónes tuas. *Ps.* 9.

AD NONAM.

LECTIO. *Act.* 26.

NOn fui incrédulus cœlesti visióni; † sed his qui sunt Damasci primùm, & Jerosólymis, & in omnem regiónem Ju-

dææ, & Géntibus annuntiábam ut pœniténtiam ágerent, & converterentur ad Deum, * digna pœniténtiæ ópera faciéntes.

℣. Vivit Dóminus & benedíctus Deus meus: ℟. Et exaltétur Deus salútis meæ. Ps. 17.

AD II. VESPERAS.

Antiphona ut ad Laudes.

LECTIO. *Galat. 2.*

EGo per legem, legi mórtuus sum, ut Deo vivam. Christo confixus sum cruci. † Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus. * Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui diléxit me, & trádidit semetipsum pro me.

℟. *br.* Confitébor tibi, Deus meus, * In toto corde meo. ℟. Confitébor. ℣. Et glorificábo nomen tuum in ætérnum. * In. ℣. Glória. ℟. Confitébor. *Ps.* 85.

Hymnus, Pastóre percússo. *suprà ad I. Vesp. pag.* 576.

℣. Psallam tibi in natiónibus, Dómine, ℟. Quia magna est super cœlos misericórdia tua. *Ps.* 107.

Ad Magníficat. *Ant.* Ideò misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi in vitam ætérnam. *I. Tim.* 1.

DIE XXVI.

S. POLYCARPI, EPISCOPI & MARTYRIS.

Omnia de Communi unius Martyris, exceptis quæ sequuntur.

LECTIO III.

Ex Epístolâ Ecclésiæ Smyrnensis ad Ecclésiam Ponti. *Euseb. Hist. Eccl. Lib. 4. C. 15. Edit. Vales.*

POlycarpus, Smyrnensis Epíscopus ad tribúnal Procónsulis adductus, cùm intráret Proconsul, diceretque: Jura & prótinùs te dimittam: dic convítia adversus Christum; Polycarpus respondit: Sex & octoginta annos contínuos ei ministrávi, nec ullâ unquàm me affécit injúriâ; & quómodò possum ímpiè loqui adversùs Regem meum, autoremque salútis meæ? Urgente rursùs Procónsule, & dicente: Jura per génium Cæsaris: Polycarpus dixit: Si quidem ambitiósè contendis, ut ego per génium, quem vocas Cæsaris, jurem, símulans te ignoráre quis sim; audi líberè profiténtem: Christiánus sum. Quo audíto, univérsa Gentílium ac Judæórum multitúdo, incredíbili furóre acclamávit, ut Polycarpus

vivus combureretur. Exstructo igitur rogo, veste depósitâ, cùm eum clavis affigere vellent: Sinite me, inquit; qui enim mihi vires dat ad ignis supplícium fórtiter sustinendum, idem dabit ut immótus rogo insistam. Proinde omissis clavis, vínculis duntaxat eum adstrinxérunt. Ille ergo manus post tergū connectens, & ad palum revinctus, cùm orationem complesset, ministri rogum accendunt; cùmque ingens flamma exarsisset, mira res visa est; ignis enim fórnicis spéciē præbens, tamquàm velum navis ventórum flatu sinuátum, circùm corpus Mártyris stetit. Quod quidem in médio pósitum, non ut caro assa videbátur, sed velut aurum aut argentum, quod in fornáce excóquitur. Cernentes ímpii corpus flammis non posse consúmi, confectórē própiùs accédere, ensemque altè in corpus adíre jussérunt. Porrò cùm Centúrio pertináciam Judæórum animadvérteret, corpus in médio collocátum, concremávit: atque ita nos demùm ossa illíus gemmis pretiosíssimis carióra, & quovis auro purióra colligentes, uti decébat, condídimus.

℟. Angelo Smyrnæ Ecclésiæ scribe: Hæc dicit primus & novíssimus; qui fuit mórtuus, & vivit: Scio tribulatiónem tuam & paupertátem. Sed dives es: * Esto fidélis usque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ. ℣. Nihil horum tímeas quæ passúrus es; ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcerem, ut tentémini. * Esto. ℣. Glória. * Esto. *Apoc.* 2.

Collecta. *Brev. Senon.*

Imple Dómine, petitiónes nostras; † & cum beáto Polycarpo Mártyre tuo atque Pontífice, cujus hódie passiónem cólimus, * tamquàm pinguíssimum nos holocaustum adsúme. Per Dóminum.

Die XXVII.

S. PAULÆ,

Viduæ Romanæ,

COMMEMORATIO.

Ant. Quæ verè vídua est & desoláta, speret in Deum, & instet obsecratiónibus & oratiónibus nocte ac die. *I. Tim.* 5.

℣. Dóminus pupillum & víduam suscípiet; ℟. Et vias peccatórum dispérdet. *Ps.* 145.

Collecta. *Brev. Senon.*

Deus, in quem sperat omnis ánima, quæ adhuc in terris pósita, se

verè viduam sentit ac desolátam; † tribue, quæsumus, ut exemplo beátæ Paulæ, obsecratiónibus & oratiónibus nocte ac die instantes, * cœléstium consolatiónum mereámur esse participes; Per Dóminum.

DIE XXIX.

S. FRANCISCI SALESII, GENEVENSIS EPISCOPI,

COMMEMORATIO.

COLLECTA. *Brev. Parif.*

DEus qui, ad animárum salútem, beátum Franciscum Saléfium pontíficem ómnibus ómnia fieri voluisti; † concéde propítius, * ut caritátis tuæ dulcédine perfúsi, ejus dirigéntibus mónitis, ac suffragántibus méritis, ætérna gáudia consequámur; Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII.

DIE I.

S. IGNATII, ANTIOCHIÆ EPISCOPI ET MARTYRIS.

Omnia de Communi unius Martyris Pontificis, exceptis quæ sequuntur.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis. *Cap.* 16. *Edit. Bened.*

IGnátius, Antiochénæ Ecclésiæ tértius post Petrum Apóstolum Episcopus, commovente persecutiónem Trajáno, damnátus ad béstias, Romam vinctus míttitur. Cùmque návigans Smyrnam venísset, ubi Polycarpus audítor Joannis Epíscopus erat, scripsit unam Epístolam ad Ephésios, álteram ad Magnesiános, tértiam ad Trallenses, quartam ad Romános: & indè egrédiens scripsit ad Philadélphios & ad Smyrnæos, & própriam ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclésiam, in quâ, & de Evangélio quod nuper à me translátum est, super persónâ Christi ponit testimónium, dicens: Ego verò & post resurrectiónem in carne eum vidi. Dignum autem vidétur, quia tanti viri fécimus mentiónem, & de Epístolâ ejus, quam ad Romános scribit, pauca pónere. De Syriâ usque ad Romam pugno ad béstias in mari & in terrâ, nocte diéque ligátus cum decem leopardis, hoc est, milítibus, qui me custódiunt; quibus & cùm benefféceris,

pejóres fiunt. Iníquitas autem eórum, mea doctrína est; sed non idcircò justificátus sum. Utinã fruar béstiis quæ mihi sunt præparátæ, quas & oro mihi velóces esse ad intéritum, & ad supplícia, & állici ad comedendum me, ne, sicut & aliórum Mártyrum, non áudeant corpus attíngere. Quòd si veníre nolúerint, ego vim fáciam ut dévorer. Ignóscite, mihi, Filíoli; quid mihi prosit, ego scio. Nunc incípio Christi esse discípulus; nihil de iis quæ videntur, desíderans, ut Jesum Christum invéniam. Ignis, crux, béstiæ, confráctio óssium, membrórum divísio, & totíus córporis contrítio, & tota tormenta diáboli in me véniant, tantùm ut Christo fruar. Cùmque jam damnátus esset ad béstias, & rugientes audíret leónes, ardóre patiendi ait: Frumentum Christi sum, déntibus bestiárum molar, ut panis mundus invéniar. Passus est anno undécimo Trajáni. Relíquiæ córporis ejus Antiochíæ jacent extrà portam Daphníticam, in cœmetério.

℟. Desidérium habens dissolvi & esse cum Christo, ómnia detrimentum feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucri fáciam: * Mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum. ℣. Pláceo mihi in infirmitátibus meis, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo. * Mihi. ℣. Glória. * Mihi. *Philip.* 1 *&* 3. *II. Cor.* 12.

Collecta, Omnípotens sempitérne Deus. *pag.* xvj.

DIE II.

IN PRÆSENTATIONE *DOMINI*, ET PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Solemnitas II. Classis.

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. EXsulta, Fília Sion: Ecce Rex tuus véniet tibi Justus, & Salvátor. *Zach.* 9.

II. Véniet Desiderátus cunctis géntibus: & implébo domum istam glóriâ, dicit Dóminus. *Agg.* 2.

III. Magna erit glória domûs istius novíssimæ plusquàm primæ; & in loco isto dabo pacem. *Agg.* 2.

IV. Qui adhærent Dómino ut colant eum, addúcam eos, & lætificábo eos in domo oratiónis meæ. *Is.* 56.

Lectio. *Mal.* 3.

Ecce ego mitto Angelum meum, & præparábit viam ante fáciem meam: † & statim véniet ad templum suum dominátor quem vos quæritis; * & Angelus testamenti quē vos vultis.

℟. *br.* In cápite libri scriptum est de me, * Ut fácerem voluntátem tuam. ℟. In. ℣. Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei. * Ut. ℣. Glória. ℟. In. *Ps.* 39.

Hymnus. *S. V.*

Templi sacrátas pande, Sion, fores;
Christus sacerdos intrat & hóstia:
Cedant inánes veritáti,
Quæ se animis aperit, figúræ.

Non immolandi jam pecudum greges;
Fumábit ater non cruor ámpliùs:
En ipse placando Parenti
Ipse suis Deus adstat aris.

Virgo latentis cónscia Núminis,
Demissa vultus, quem peperit Deum,
Hunc gestat ulnis; pauperumque
Múnera fert, teneras volúcres.

Hìc omnis ætas, omnis & ádstitit
Sexus, propinquo Númine plénior:
Omnes anhelantis tot annos
Nunc fidei pretium reportant.

Testes tot inter, magnanimo, Deus,
Tibi litábat fida siléntio,
Verbi silentis muta mater;
Quanta animo reticébat alto!

Sit summa Patri, súmmaque Filio,
Sanctóque compar glória Flámini:
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpetuo pia corda cultu.
Amen.

℣. Conféssio & pulcritúdo in conspectu ejus: ℟. Sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus. *Ps.* 95.

Ad Magníficat. *Ant.* Ecce Dominátor quem quæritis; & purgábit filios Levi quasi aurum; & erunt Dómino offerentes sacrifícia in justítiâ; & placébit Dómino sacrificium. *Malach.* 3.

Collecta infrà ad Laudes, pag. 598.

¶ *Ad Horas Diurnas, Doxologia,*

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

AD OFFICIUM NOCT.

In Psalm. Veníte. *Ant.* Ecce venit ad templum

suum Dominátor Dóminus; * Veníte, adorémus. *Mal.* 3.

HYMNUS. S. V.

FUmant Sabæis templa vapóribus;
Nos sacra poscunt; jam præit hóstia:
Sequámur omnes, & lubente
Puri animo simul immolémur.

Lumen ministret splendidior Fides;
Ministret ignes flámmea Cáritas;
Spes thura; nec desint odóres
Quos operum bona fama fundat.

Vitæ nocentis quid trahimus moras?
Sit fas beáto sub sene nos mori;
Ut quem sub aris immolátum
Vídimus, hoc etiam fruámur.

Sit summa Patri, súmmaque Fílio,
Sanctóque compar glória Flámini:
Magistra quem trinum docendo,
Vera Fides venerátur unum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Movébo omnes gentes: & véniet Desiderátus cunctis géntibus. *Agg.* 2.

II. Ecce ego addúcam servum meum Orientem; & áuferam iniquitátem terræ. *Zach.* 3.

III. Oriétur timéntibus nomen meum sol justítiæ, & sánitas in pennis ejus. *Mal.* 4.

IV. Apparébit in finem, & non mentiétur: Exspecta illum, quia véniens véniet. *Hab.* 2.

V. Adhuc módicum aliquántulùm, qui ventúrus est véniet, & non tardábit. *Hebr.* 10.

VI. Scies quia ego Dóminus, super quo non confundentur qui exspectant eum. *Is.* 49.

℣. Benedictiónem dabit legislátor. ℟. Vidébitur Deus Deórum in Sion. *Ps.* 83.

LECTIO I.

Ex Libro Exodi.

Cap. 12 & 13.

EDuxit Dóminus filios Israel de terrâ Ægypti per turmas suas. Locutúsque est Dóminus ad Móysen, dicens: Sanctífica mihi omne primogénitum quod áperit vulvam in filiis Israel, tam de homínibus quàm de jumentis: mea sunt enim ómnia. Et ait Móyses ad pópulum: Mementóte diéi hujus in quâ egressi estis de Ægypto & de domo servitútis, quóniam in manu forti eduxit vos Dóminus de loco isto.

℟. Mea sunt ómnia primogénita filiórum Israel; ex die quo percussi omne primogénitũ in terrâ Ægypti, sanctificávi eos mihi.

* Omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur. ℣. Tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. * Omne. *Num.* 8. *Luc.* 2.

LECTIO II.

CUmque introdúxerit te Dóminus in terram Chananæi, sicut jurávit tibi & pátribus tuis, & déderit tibi eam: separábis omne quod áperit vulvam Dómino, & quod primitívum est in pecóribus tuis: quidquid habúeris masculíni sexûs, consecrábis Dómino. Primogénitum ásini mutábis ove: quòd si non redémeris, interfícies. Omne autem primogénitum hóminis de fíliis tuis, prétio rédimes. Cùmque interrogáverit te fílius tuus cras dicens: Quid est hoc? respondébis ei: In manu forti eduxit nos Dóminus de terrâ Ægypti, de domo servitútis. Nam cùm indurátus esset Phárao, & nollet nos dimíttere, occídit Dóminus omne primogénitum in terrâ Ægypti, à primogénito hóminis usque ad primogénitum jumentórũ: idcircò ímmolo Dómino omne quod áperit vulvam masculíni sexûs, & ómnia primogénita filiórum meórum rédimo.

℟. Múlier, cùm expléti fúerint dies purificatiónis suæ, déferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ sive túrturem pro peccáto. Quòd si non potúerit offerre agnum, sumet * Duos túrtures, vel duos pullos columbárum. ℣. Post quam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ, dedérunt hóstiam secundùm quod dictum est in lege Dómini: * Duos. *Levit.* 12. *Luc.* 2.

LECTIO III.

Ex Sophonía Prophéta.

Cap. 3.

LAuda, fília Sion; júbila Israel: lætáre & exsulta in omni corde, fília Jerúsalem. Abstulit Dóminus judícium tuum, avertit inimícos tuos: Rex Israel Dóminus in médio tuî, non timébis malum ultrà. In die illâ dicétur Jerúsalem: Noli timére: Sion, non dissolvantur manus tuæ. Dóminus Deus tuus in médio tuî fortis, ipse salvábit: gaudébit super te in lætitiâ, silébit in dilectióne suâ, exsultábit super te in laude.

℟. Dóminus in templo sancto suo: * Síleat à fácie ejus omnis terra. ℣. Templo major est hic: * Síleat. *Habac.* 2. *Matth.* 12.

LECTIO IV.

Ex Aggæo Prophéta.

Cap. 2.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc unum módicum est, & ego

commovébo cœlum, & terram, & mare, & áridam; & movébo omnes gentes; & véniet Desiderátus cunctis Géntibus: & implébo domum istam glóriâ, dicit Dóminus exercítuū. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dóminus exercítuum. Magna erit glória domûs istíus novíssimæ pluquàm primæ; & in loco isto dabo pacem, dicit Dóminus exercítuum.

℟. Majestas Dómini ingressa est templū, per viam portæ quæ respiciébat ad Orientem; * Et ecce repléta erat glóriâ Dómini domus. ℣. Induxérunt púerum Jesum in templum parentes ejus; * Et. ℣. Glória. * Et. *Ezech.* 43. *Luc.* 2.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Quò mihi multitúdinem victimárum vestrárum, dicit Dóminus? plenus sum; ne offerátis ultrà sacrifícium frustrà. *Isai.* 1.

II. Impossíbile est sánguine taurórum & hircórum auferri peccáta. *Hebr.* 10.

III. Ingrédiens mundum dicit Christus: Hóstiam & oblatiónem noluisti: corpus autem aptasti mihi. *Hebr.* 10.

IV. Holocautómata pro peccáto non tibi placuérunt; tunc dixi: Ecce vénio. *Hebr.* 10.

V. In consummatióne seculórum, ad destitutiónem peccáti, per hóstiam suam appáruit. *Hebr.* 9.

VI. Dilexit nos, & trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem & hóstiam Deo, in odórem suavitátis. *Ephes.* 5.

℣. Tibi, Dómine, sacrificábo hóstiam laudis, ℟. Et nomen Dómini invocábo. *Ps.* 115.

LECTIO V.

Ex Libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. Cap.* 16.

MAnifestè signíficat Paulus unū Jesum Christum Dóminum nostrum, qui de sémine David secundùm eam generatiónem quæ est ex Maríâ, hunc destinátum Fílium Dei Jesum Christum in virtúte secundùm Spíritum sanctitátis, ex resurrectióne mortuórum, ut sit primogénitus mortuórum, quemádmodum & primogénitus in omni conditióne; Fílius Dei hóminis fílius factus; ut per eum adoptiónem percipiámus, portante hómine & capiente & complectente Fílium Dei. Símeon, hunc mánibus accípiens Vírginis primogénitum, benedixit Deum; infantem quem in mánibus portábat

Jesum, natum ex Mariâ, cónfitens esse Christum Fílium Dei, lumen hóminum, & glóriam ipsíus Israel, & pacem & refrigérium eórum qui in dormitiónem iérunt. Jam enim spoliábat hómines áuferens ignorántiam ipsórũ, suam autem agnitiónem eis donans, & dispartitiónem fáciens eórum qui cognoscébant eum.

℟. Semen Abrahæ apprehendit Christus; * Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut misericors fieret, & fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delicta pópuli. ℣. Pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm: * Unde. *Hebr.* 2. *Isai.* 53.

LECTIO VI.

Ex Libro secundo Expositiónis sancti Ambrósii Epíscopi in Lucam. *Edit. Bened. Cap.* 2. *n.* 56.

Sistitur Christus in Jerúsalem. Vides omnem legis véteris sériem fuisse typum futúri. Omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur: verbis enim legis promittebátur Vírginis partus, & verè sanctus quia immaculátus. Solus enim per ómnia, ex natis de féminâ sanctus Dóminus Jesus, qui terrénæ contágia corruptélæ immaculáti partûs novitáte non sénserit, & cœlesti majestáte depúlerit. Et ecce homo erat in Jerúsalem cui nomen Símeon, & homo iste justus, & timorátus, exspectans consolatiónem Israel. Non solùm ab Angelis & Prophétis, à pastóribus & paréntibus, sed étiam à senióribus & justis generátio Dómini áccipit testimónium.

℟. Ex Sion spécies decóris ejus; Deus manifestè véniet: * Congregáte illi sanctos ejus, qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia. ℣. Véniet ad templum suũ Dominátor quẽ vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis. * Congregáte. *Ps.* 49. *Malach.* 3.

LECTIO VII. *n.* 58 *&* 59.

Omnis ætas & uterque sexus, eventorumque mirácula fidem ádstruunt. Virgo génerat, stérilis parit, mutus lóquitur, Elísabeth prophétat, Magus adórat, útero clausus exsultat, vídua confitétur, justus exspectat. Et bene justus, qui non suam, sed pópuli grátiam requirébat: cúpiens ipse corpóreæ vínculis fragilitátis absolvi. Nunc, inquit, dimitte servum tuum. Vide justum velut corpóreæ cárcere molis inclúsum, velle dissolvi ut incípiat esse cum Christo; dissolvi enim & cum Christo esse multò mélius.

Sed qui vult dimitti, véniat in templum, véniat in Jerúsalem, exspectet Christum Dómini, accípiat in mánibus Verbum Dei, complectátur velut quibusdam suæ fidei bráchiis; tunc dimittétur, ut non vídeat mortem qui víderit vitam.

℟. Accépit Símeon Jesum in ulnas, & dixit: * Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secundùm verbum tuum in pace; quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. ℣. Exspectans exspectávi Dóminum, & intendit mihi: & exaudívit preces meas; & immísit in os meum cánticum novum. * Nunc. *Luc.* 2. *Ps.* 39.

LECTIO VIII. *n.* 60.

VIdes úberem in omnes grátiam Dómini generatióne diffúsam, & prophetíam incrédulis negátam esse, non justis. Ecce & Símeon prophétat in ruínam & resurrectiónem plurimórum venisse Dóminum Jesum Christum; ut justórum iniquorumque mérita discernat, & pro nostrórum qualitáte factórum, judex verus & justus aut supplícia decernat, aut præmia.

℟. Scriptum est: Ecce pono in Sion lápidem offensiónis, & petram scándali; * Et † Omnis qui credit in eum, non confundétur. ℣. Dixit Símeon ad Maríam matrem Jesu; Ecce pósitus est hic in ruínam & in resurrectiónem multórum; * Et. ℣. Glória. † Omnis. *Rom.* 9. *Luc.* 2.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Zach.* 2.

Quàm læta, quàm salutaris, Domini in medio Ecclesiæ habitatio!

LAuda & lætáre, fília Sion: * quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tui, ait Dóminus.

Et applicabuntur Gentes multæ ad Dóminum in die illâ, * & erunt mihi in pópulum,

Et habitábo in médio tuî: * & scies quia Dóminus exercítuum misit me ad te.

Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terrâ sanctificátâ; * & éliget adhuc Jerúsalem.

Síleat omnis caro à fácie Dómini, * quia consurrexit de habitáculo sancto suo.

II. CANTICUM. *Sophon.* 3.

Promissorum Dei in gratiam Ecclesiæ prophetica descriptio.

NUgas, qui à lege recesserant, congregábo, quia ex te erant, * ut non ultrà hábeas super eis oppróbrium.

Ecce ego interficiam omnes, * qui afflixérunt te in témpore illo :

Et salvábo claudicantem; * & eam, quæ ejecta fúerat, congregábo :

Et ponam eos in laudem & in nomen, * in omni terrâ confusiónis eórum :

In témpore illo, quo addúcam vos ; * & in témpore, quo congregábo vos.

Dabo enim vos in nomen & in laudem ómnibus pópulis terræ, * cùm convértero captivitátem vestram coram óculis vestris, dicit Dóminus.

III. Canticum. *Isai. 63.*

Miserationum Domini in populum suum felix recordatio.

MIserationum Dómini recordábor, * laudem Dómini super ómnibus quæ réddidit nobis Dóminus ;

Et super multitúdinem bonórum dómui Israel, quæ largítus est eis secundùm indulgéntiam suam, * & secundùm multitúdinem misericordiárum suárum.

Et dixit : Verúmtamen pópulus meus est, filii non negantes : * & factus est eis salvátor.

In omni tribulatióne eórum non est tribulátus, * & Angelus faciéi ejus salvábit eos.

In dilectióne suâ & in indulgéntiâ suâ * ipse redémit eos,

Et portávit eos, & elevávit eos, * cunctis diébus séculi.

Ant. Aperíte portas, & ingrediátur gens justa, custódiens veritátem. *Is. 26.*

℣. Deus in Sancto appárui tibi, ℟. Ut vidérem virtútem tuam, & glóriam tuam. *Ps. 62.*

Lectio IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Cap. 10.*

UMbram habens lex futurórum bonórum, non ipsam imáginem rerum, per síngulos annos eisdem ipsis hóstiis, quas ófferunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos fácere : alióquin cessassent offerri : ídeò quòd nullam habérent ultrà consciéntiam peccáti, cultóres semel mundáti : sed in ipsis commemorátio peccatórum per síngulos annos fit. Impossíbile enim est sánguine taurórum & hircórum auferri peccáta.

℟. Quod impossíbile erat legi, in quo infirmabátur per carnem ; Deus Fílium suum mittens in similitúdinem carnis peccáti, & de peccáto damnávit peccátum in carne ; * Ut justificátio legis impleré-tur in nobis. ℣. Verè lan-

guóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit; * Ut. *Rom.* 8. *Isai.* 53.

Lectio X.

IDeò ingrédiens mundum dicit: Hóstiam & oblatiónem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautómata pro peccáto non tibi placuérunt. Tunc dixi: Ecce vénio: in cápite libri scriptum est de me: Ut fáciam, Deus, voluntátem tuam. Supériùs dicens: Quia hóstias & oblatiónes & holocautómata pro peccáto noluisti, nec plácita sunt tibi quæ secundùm legem offeruntur; tunc dixi: Ecce vénio, ut fáciam, Deus, voluntátem tuam: aufert primum, ut sequens státuat. In quâ voluntáte sanctificáti sumus per oblatiónem córporis Jesu Christi semel.

℟. Hóstiæ non possunt juxtà consciéntiam perfectum fácere servientem, solúmmodò in justítiis carnis usque ad tempus correctiónis impósitis: nunc autem * Ad destitutiónem peccáti per hóstiam suam Christus appáruit. ℣. Holocausta arietum & ádipem pínguium nólui; ne offerátis ultrà sacrificium frustrà: * Ad. *Hebr.* 9. *Isai.* 1.

Lectio XI.

ET omnis quidem sacerdos præstò est quotídie ministrans, & easdem sæpè ófferens hóstias, quæ nunquam possunt auferre peccáta. Hic autem unam pro peccátis ófferens hóstiam, in sempiternum sedet in déxterâ Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimíci ejus scabellum pedum ejus. Unâ enim oblatióne consummávit in sempiternũ sanctificátos. Contestátur autem nos & Spíritus sanctus. Postquàm enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testábor ad illos post dies illos, dicit Dóminus, Dando leges meas in córdibus eórum, & in méntibus eórum superscríbam eas; & peccatórum & iniquitátum eórum jam non recordábor ampliùs. Ubi autem horum remíssio; jam non est oblátio pro peccáto.

℟. Reprobátio quidem fit præcedentis mandáti propter infirmitátem ejus, & inutilitátem. * Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introdúctio verò melióris spei, per quam proximámus ad Deum. ℣. Sanguis Christi emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviendum Deo viventi. * Nihil. *Hebr.* 7 & 9.

Lectio XII.

HAbentes ítaque, fratres, fidúciam in introítu sanctórũ in sánguine Christi, quam initiávit

nobis viam novam, & viventem per velámen, id est, carnem suam, & sacerdótem magnum super domum Dei: accedámus cum vero corde, in plenitúdine fidei, adspersi corda à consciéntiâ malâ, & ablúti corpus aquâ mundâ, teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui repromísit;) & considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis, & bonórum óperum: non deserentes collectiónem nostram, sicut consuetúdinis est quibusdam, sed consolantes, & tantò magìs, quantò vidéritis appropinquantẽ diem.

℞. Non habémus pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris: tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto: * Adeámus ergo cum fidúciâ ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. ℣. Ipse peccáta multórum tulit, & pro transgressóribus rogávit: * Adeámus. ℣. Glória. * Adeámus. *Hebr.* 4. *Isai.* 53.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 2.

POstquàm impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secundum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini: Quia omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur; & ut darent hóstiam secundùm quod dictum est in lege Dómini, par túrturum, aut duos pullos columbárum. Et ecce homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon, & homo iste justus, & timorátus, exspectans consolatiónem Israel, & Spíritus sanctus erat in eo. Et responsum accéperat à Spiritu sancto, non visúrum se mortem, nisi priùs vidéret Christum Dómini. Et venit in spíritu in templum. Et cùm indúcerent púerum Jesum parentes ejus, ut fácerent secundùm consuetúdinem legis pro eo: & ipse accépit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuũ, Dómine, secundùm verbum tuum in pace: quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, quod parasti ante fáciem ómnium populórum; lumen ad revelatiónem Géntium, & glóriam plebis tuæ Israel.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. ERat pater Jesu & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. *Luc.* 2.

II. Benedixit illis Símeon, & dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam, & in resurrectiónem multórum in Israel. *Luc.* 2.

III. Pósitus est in signum cui contradicétur: & tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut revelentur ex multis córdibus cogitatiónes. *Luc.* 2.

IV. Erat Anna prophetissa; & hæc erat vídua usque ad annos octoginta quatuor: & hæc ipsâ horâ supervéniens confitebátur Dómino. *Luc.* 2.

V. Loquebátur de Jesu, ómnibus qui expectábant redemptiónem Israel. *Luc.* 2.

LECTIO. *Coloss.* 1.

MYstériũ quod abscónditum fuit à séculis & generatiónibus, † nunc manifestátum est sanctis ejus, * quibus vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacramenti hujus.

℟. *br.* Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * In médio templi tui. ℟. Suscépimus. ℣. Secundùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ; * In. ℣. Glória. ℟. Suscépimus. *Ps.* 47.

HYMNUS. *C.*

QUi sacris hodie síſtitur aris,
Stat signum populis ómnibus Infans,
Idem Judaicæ glória gentis,
Et toti nova lux áddita mundo.

Plausus insolitos audit uterque
Miraturque parens: vota faventûm
Votis excipiunt, & sua lætis
Gratantum ominibus gáudia miscent.

Afflátæ súbito Númine mentes
Vix sese capiunt: spesque salútis
Hàc inclúsa tenus corde sub imo,
Ipsis jam manibus prensa tenétur.

Quem vidêre procul mente Prophétæ,
Nunc te das oculis, Christe, fruendum:
Mox idem feries, ora resolvens,
Dictis adtonitas grándibus aures.

Si nostris modò te sénsibus aufers,
Horum firma fides súppleat usum;
Hâc te, Christe, manu tángere fas est:
In templis resides nunc quoque nostris.

Æterno sit honor lausque Parenti;
Qui placáre paras víctima Patrem,
Æquális tibi sit glória, Nate;
Ambórum símilis laus sit Amóri. Amen.

℣. Exortum est in ténebris lumen rectis; ℟. Miſé-

ricors, miserátor & justus. *Ps.* 111.

Ad Benedictus. *Ant.* Ut perfecérunt pater Jesu & mater ómnia secundùm legem Dómini, reversi sunt in Galilæam in civitátem suam Názareth. *Luc.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

OMnípotens sempiterne Deus, majestátem tuam súpplices exorámus, † ut sicut unigénitus Fílius tuus hodiernâ die cum nostræ carnis substántiâ in templo est præsentátus, * ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári; Per eumdem.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Ephesíno. *An.* 431. *Anath.* 1. *S. Cyril. Alexandr.*

CHristum Jesum nostræ confessiónis Pontíficem & Apóstolū exstitisse, eumdemque semetipsum pro nobis in odórem suavitátis Deo & Patri obtulisse divína Scriptúra commémorat. Si quis ergo díxerit Pontíficem & Apóstolum nostrum non esse constitútum ipsum Dei verbum, posteà quàm caro & homo nobis símilis factum est: sed hóminem illum qui ex muliere natus est, quasi álterum quémpiam ab ipso diversum: aut si quis Christum pro se ipso quoque, non pótiùs pro nobis solis sacrificium obtulisse affirmáverit: neque enim is oblatióne opus habébat qui nullum peccátum commíserat; Anáthema sit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Isai.* 8.

DOminum exercítuum ipsum sanctificáte; ipse pavor vester, & ipse terror vester. † Et erit vobis in sanctificatiónem; in lápidem autem offensiónis & in petram scándali duábus dómibus Israel; * in láqueum & in ruínam habitántibus Jerúsalem.

℣. Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, ℟. Hic factus est in caput ánguli. *Ps.* 117.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Isai.* 42.

DOminus sicut fortis egrediétur, † sicut vir præliátor suscitábit zelum; vociferábitur & clamábit; * super inimícos suos confortábitur.

℣. Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; ℟. Conquassábit cápita in terrâ multórum. *Ps.* 109.

AD NONAM.

LECTIO. *Isai.* 12.

CAntáte Dómino, quóniam magnífice fecit; † annuntiáte hoc in universâ terrâ; * exsulta & lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

℣.

℣. Dicant nunc qui timent Dóminum; ℟. Quóniam in sǽculum misericórdia ejus. *Ps.* 117.

AD II. VESPERAS.

Psalmi et Ant.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

Ant. In Christo Jesu inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter. *Coloss.* 2.

II. *Ps.* 112. Laudáte, púeri. *pag.* 30.

Ant. De plenitúdine ejus nos omnes accépimus, & grátiam pro grátiâ. *Joan.* 1.

III. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 75.

Ant. Lex per Móysen data est; grátia & véritas per Jesum Christum facta est. *Joan.* 1.

IV. *Ps.* 147. Lauda, Jerúsalem, Dóminum. *pag.* 120.

Ant. Finis legis Christus ad justítiam omni credenti: omnis qui credit in illum, non confundétur. *Rom.* 10.

LECTIO. *Hebr.* 9.

Si sanguis hircórum & taurórum, & cinis vítulæ adspersus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis; † quantò magìs sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetipsum óbtulit immalátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis,* ad serviendum Deo viventi.

℟. *br.* Memor sit Dóminus sacrificii tui, * Et holocaustum tuum pingue fiat. ℟. Memor. ℣. Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas; * Et. ℣. Glória. ℟. Memor. *Ps.* 19.

HYMNUS. *S. V.*

Stupéte, gentes: fit Deus hóstia;
Se sponte legi Légifer óbligat;
Orbis Redemptor nunc redemptus;
Seque piat sine labe Mater.

De more matrum, Virgo puérpera
Templo statútos abstinuit dies:
Intráre Sanctum quid pavébas,
Facta Dei priùs ipsa templum?

Arâ sub unâ se vovet hóstia
Triplex; honórem virgineum ímmolat
Virgo sacerdos, parva mollis
Membra Puer, Seniorque vitam.

Eheu! quot enses transádigent tuum
Pectus! quot altis nata dolóribus,
O Virgo! quem gestas in ulnis,
Imbuet hic sacer Agnus aram.

Christus futúro, corpus adhuc tener,

prudéntiâ & responsis ejus: * Et videntes parentes Jesu admiráti sunt. ℣. Sapiéntia in plenitúdine sanctâ admirábitur, & in multitúdine electórum habébit laudem: * Ut. *Luc.* 2. *Eccli.* 24.

LECTIO VII.

AT ille ut osténderet habére se præter illos Patrem, qui eum génuit præter matrem, respondit eis: Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et rursum, ne hoc dicto parentes illos negasse putaréntur, Evangelista secútus adjunxit: Et ipsi non intellexérunt verbum quod locútus est ad illos: & descendit cum eis, & venit Názareth; & erat súbditus illis. Quibus súbditus, nisi paréntibus? Quis autem súbditus, nisi Jesus Christus, qui cum in formâ Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse æquális Deo? Cur ergo illis súbditus, qui longè infra formam Dei erant, nisi quia semetipsum exinanívit formam servi accípiens, cujus formæ parentes erant?

℟. Descendit Jesus cum eis, & venit Názareth, & * Erat súbditus illis. ℣. Subjecti ígitur estóte omni humánæ creatúræ propter Deum. * Erat súbditus illis. *Luc.* 2. *I. Petr.* 2.

LECTIO VIII.

Ex Homíliâ secundâ sancti Bernardi Abbátis super Missus est. *Edit. Bened. n.* 16.

NOn est dúbium quin bonus & fidélis homo fuerit iste Joseph, cui mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus & prudens, quem constítuit Dóminus suæ matris solátium, suæ carnis nutrítium, solum dénique in terris magni consílii coadjutórem sibi fidelíssimum.

℟. Fidélis servus & prudens, quem constítuit Dóminus super famíliã suam, ut det illis cibum in témpore: * Amen dico vobis, † Super ómnia bona sua constítuet eum. ℣. Qui custos est Dómini sui, glorificábitur; * Amen. ℣. Glória. † Super. *Matth.* 24. *Prov.* 27.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 1.

CUm esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, inventa est in útero habens de Spíritu sancto. Joseph autem vir ejus, cùm esset justus, & nollet eam tradúcere, vóluit occultè dimíttere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce

Angelus Dómini appáruit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in eâ natum est, de Spíritu sancto est. Páriet autem Fílium, & vocábis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. AScendit Joseph à Galilæâ in Béthleem; eò quòd esset de domo & famíliâ David, ut profiterétur cum Maríâ. *Luc.* 2.

II. Venérunt pastóres, & invenérunt Maríam & Joseph, & infantem pósitum in præsépio. *Ibid.*

III. Tulérunt Jesum parentes ejus in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino; & erant mirantes super his quæ dicebantur de illo, & benedixit illis Símeon. *Ibid.*

IV. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Accipe Púerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. *Matth.* 2.

V. Consurgens accépit Púerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum: & erat ibi usque ad óbitum Heródis. *Ibid.*

Lectio. *Prov.* 2.

CUstódiet Dóminus rectórum salútem, & próteget gradientes simplíciter, servans sémitas justítiæ, & vias sanctórum custódiens.

℟. *br.* Qui timet Deum, * Firmábitur in illo. ℟. Qui. ℣. Et continébit illum, & non confundétur. * Firmábitur. ℣. Glória. ℟. Qui. *Eccli.* 15.

Hymnus. *S. V.*

MAtris intactæ veneránde conjux,
Testis & custos nivei pudóris,
Quid Deo plenam meditáris anceps
Línquere sponsam?

Anxium, cœlo tibi missus Ales
Firmat; hinc Virgo tibi visa major;
Mente sedátâ, modò nascitúrum
Numen adóras.

Vix Puer natus; redit ecce præpes
Núntius patri: Fuge, dixit, infans
Quæritur; matrem, Puerumque tutas
Transfer in oras.

Tu nihil contra; per opáca noctis
Prótinus matrem, Puerumque transfers:
Dírigit gressus aperitque calles,
Dum silet, infans.

Ora mox solvet; Sólymas per urbes,
Quem dolens quæres, comitante matre,

Hunc senes inter, Puerum stupébis
Mira loquentem.
Anxias mentes, tenebrisque mersas
Christus illustret, Patris ipse splendor:
Nos inoffenso pede ducat astris,
Sémita factus.
Díviti sit laus super astra Patri;
Páuperi, mundum nece qui redémit,
Æqua laus Nato; tibi par, superni
Numen Amóris.
Amen.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. *Ps.* 36.

Ad Benedíctus. *Ant.* Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & áccipe Púerum & matrem ejus, & vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quærébant ánimam Púeri. *Matth.* 2.

Collecta. *Brev. Paris.*

CUstódi nos, Dómine, protectióne perpétuâ, † qui beátum Joseph Unigénito tuo nutrítium, * & Vírgini matri custódem providísti: Per eumdem Dóminum.

Fit Commemoratio S. Blasii, Episcopi et Martyris. *Collecta*, Deus, cujus grátiâ. *pag.* xvj.

AD TERTIAM.

Lectio. *I. Joan.* 4.

NOs vídimus, & testificámur, † quóniam Pater misit Fílium suum * Salvatórem mundi.

℣. Providébam Dóminum in conspectu meo semper: ℟. Quóniam à dextris est mihi, ne commóvear. *Ps.* 15.

AD SEXTAM.

Lectio. *Eccli.* 35.

OBlátio justi impinguat altáre; † & odor suavitátis est in conspectu Altíssimi. * Sacrifícium justi acceptum est, & memóriam ejus non oblivíscétur Dóminus.

℣. Te decet Hymnus, Deus, in Sion: ℟. Et tibi reddétur votum in Jerúsalem. *Ps.* 64.

AD NONAM.

Lectio. *Sap.* 10.

PRófugum justum sapiéntia deduxit per vias rectas, † & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi sciéntiam sanctórum: * honestávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus.

℣. Consumétur nequítia peccatórum; ℟. Et díriges justum. *Ps.* 7.

AD VESPERAS.

Antiphonæ.

I. IBant parentes Jesu per omnes annos in Jerúsalem, in die solemni Paschæ. *Luc.* 2.

II. Ascendéntibus illis; remansit puer Jesus in Jerúsalem; & non cognovérunt parentes ejus. *Ibid.*

III. Existimantes illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, & requirébant eum inter cognátos & notos. *Ibid.*

IV. Non invenientes, regressi sunt in Jerúsalem; & invenérunt illum in templo sedentem in médio Doctórum. *Ibid.*

Lectio. *Sap.* 1.

IN simplicitáte cordis quærite Dóminum, † quóniam invenítur ab his qui non tentant illum; * appáret autem eis qui fidem habent in illum.

℟. *br.* Dabis eum in benedictiónem * In séculum séculi. ℟. Dabis. ℣. Lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo, * In. ℣. Glória. ℟. Dabis. *Ps.* 20.

Hymnus. *C.*

QUos pompa secli, quos opes
Fulgóre perstringunt suo,
Adeste: mundi próspera,
Auctóre magno, spérnite.
Josephus en Christi pater,
Davídis augustum genus,
Vili tabernâ cónditus,
Labóre victum quæritat.
Quin ipse, quin Homo-Deus,
Par Natus æterno Patri,
Amat, fabrílis ártifex,
Audíre fabri fílius.
Adæ nocentis ínnocens
Ultrò gravem pœnam subit,
Docetque sontes víndicem
Placáre quâ possint Deum.
Tu rector & custos domûs,
Josephe, egénus ómnium,
Adesse nobis ómnia,
Si Christus adsit, áddoces.
Sit summa Patri glória,
Natoque, pro nobis egens
Qui factus est de dívite;
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Exquisívit te fácies mea, Dómine: ℟. Fáciem tuam, Dómine: requíram. *Ps.* 26.

Ad Magníficat. *Ant.* Descendit cum eis Jesus, & venit Názareth; & erat súbditus illis. *Luc.* 2.

Die V.

S. AGATHÆ,

Virginis et Martyris,

Commemoratio.

Collecta, Deus, qui inter cætera. *de Communi Virginis & Martyris*, *pag.* lxxvj.

Die IX.

S. APOLLONIÆ,

Virginis et Martyris,

Commemoratio.

Collecta, Deus, qui inter cætera. *de Communi Virginis & Martyris*, *pag.* lxxvj.

Die X.

S. SCHOLASTICÆ,

Virginis.

Festivitas II. Classis.

Omnia de Communi Virginum, exceptis quæ sequuntur.

AD I. VESPERAS.

Hymnus. *Guerin.*

Terris lux rediit festa; Scholásticæ
Nunc templis resonet nomen in ómnibus.
Tranquillis Superûm cœtibus áddita
Præsens Númine páscitur.
Abdit se tacitis Virgo recéssibus,
Quò cœlestis agit dux amor hóspitam:
Nescíri cupidum, quà licet, éxprimit
Fratrem jam soror æmula.
Hìc dum sidereæ præmia cúriæ
Sublími reputat mentis in ótio,
Romæ délicias, príncipis úrbium
Pompam, gáudia réspuit.
Humáno metuens fœdere décipi,
Sacris se properat júngere vínculis
Christo: virginei quàm bene próvida
Laudem péctoris ástruit!
Patri máxima sit glória máximo;
Nato laus eadem Patris imágini:
Sit par Spiritui, cujus adúritur
Flammis virgo Scholástica. Amen.

Ad Offic. Noct. *Hymnus ut ad I. Vesperas.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio V.

Ex Libro secundo Dialogórum sancti Gregórii Papæ. *Edit. Bened. Cap.* 33.

Soror Benedicti Scholástica nómine, Dómino ab infántiæ témpore dedicáta, ad eum semel per annum veníre consuéverat. Ad quam vir Dei, non longè extrà jánuam in possessióne monastérii descendébat. Quâdam verò die, venit ex more; atque ad eam, cum discípulis, venerábilis ejus descendit frater: qui totum diem in Dei láudibus sacrisque collóquiis ducentes, incumbéntibus jam noctis ténebris, simul

accepérunt cibum. Cùmque adhùc ad mensam sedérent, & inter sacra collóquia tárdior se hora protráheret, éadem sanctimoniális fémina soror ejus, eum rogávit, dicens: Quæso te, ne istâ nocte me déferas, ut usque manè de cœléstis vitæ gáudiis loquámur. Cui ille respondit: Quid est quod lóqueris, soror? Manére extrà cellam nullátenus possum.

℟. Quis mihi det te fratrem meum, ut invéniam te foris. * Apprehendam te & ducam in domum matris meæ, ibi me docébis. ℣. Gáudium magnum hábui & consolatiónem in caritáte tuâ, frater. * Apprehendam. *Cant.* 8. *Philem.* ℣. 7.

Lectio VI.

TAnta verò erat cœli serénitas, ut nulla in áere nubes apparéret. Sanctimoniális autem fémina, cùm verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam pósuit, & caput in mánibus, omnipotentem Dóminum rogatúra declinávit. Cùmque de mensâ leváret caput; tanta coruscatiónis & tonítrui virtus, tántaque innundátio plúviæ erúpit, ut neque venerábilis Benedictus, neque fratres qui cum eo áderant, extrà loci limen, quo conséderant, pedem movére potuissent.

℟. Post lacrymatiónem & fletum, exultatiónem infundis. * Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sécula. ℣. Laudáte Dóminum de terrâ, ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, quæ fáciunt verbum ejus. * Sit. *Tob.* 3. *Ps.* 148.

Lectio VII.

TUnc vir Dei cœpit cónqueri contristátus, dicens: Parcat tibi omnípotens Deus, soror, quid est quod fecisti? cui illa respondit: Ecce te rogávi, & audíre noluisti: rogávi Dóminum meum, & audívit me. Modò ergo, si potes, egrédere, & me dimissâ, ad monastérium recéde. Ipse autem exíre extrà tectum non valens, qui remanére spontè nóluit, in loco mansit invítus. Sicque factum est, ut totam noctem pervígilem dúcerent, atque per sacra spiritális vitæ collóquia, sese vicáriâ relatióne satiárent.

℟. Ministráte in pietáte amórem fraternitátis, in amóre autem fraternitátis caritátem: * Hæc enim si vobiscum adsint & súperent, non vácuos, nec sine fructu vos constítuent in Dómini nostri Jesu Christi cognitióne. ℣. Sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. * Hæc enim. *II. Petr.* 1. *I. Tim.* 6.

LECTIO VIII.

CUmque die áltero, éadem venerábilis fémina ad cellam própriam recessisset, vir Dei ad monastérium rédiit. Cùm ecce post triduum in cellâ consistens, eleváris in áera óculis, vidit ejusdem soróris suæ ánimam de ejus córpore egressam, in columbæ spécie, cœli secréta penetráre. Qui tantæ ejus glóriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis & láudibus grátias réddidit, ejusque óbitum frátribus denuntiávit, quos étiam prótinus misit, ut ejus corpus ad monastérium deferrent, atque in sepulcro, quod sibi ipse paráverat pónerent. Quo facto, cóntigit ut quorum mens una semper in Deo fúerat, eórum quoque córpora nec sepultúra separáret.

℟. Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit, *Quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. ℣. Nobis autem revelávit Deus per spíritum suum. * Quæ. ℣. Glória. *Quæ. *I. Cor. 2.*

AD LAUDES.

HYMNUS. *Guerin.*

QUæ, sibi Christus vóluit dicári
Sánguinis blando sociáta nexu,
Non jubet solvi, melióre jungit
Péctora vinclo.

Síngulis ibat Benedíctus annis
Obviam frater semel ad sorórem:
Par soror fratri, bene fida pignus
Reddit amóris.

Quàm tenet dulcis mora colloquentes!
Ore concordes animóque versant
Lúcidum cœli decus, & beátæ
Gáudia vitæ.

Ecce jam terris cita nox ruébat;
Ad suos frater properat reverti:
Mœsta discessu retines euntem,
Virgo, nec audit.

Invocas Numen, gemis, ora fletu
Irrigas: cœlum tegit atra nubes;
Hórridos inter subitò fragóres
Décidit imber.

Quis tuam sensus, Benedícte, mentem
Occupat? mirâ soror arte vincit.
Te Dei terret manifesta cœlo
Facta voluntas.

Débitas omni tibi mundus ævo,
Trínitas reddat veneranda laudes,
Cujus immensum soror æqua fratri
Numen adórat.
Amen.

COLLECTA. *Brev. Clun.*

DEus, qui beátam Scholásticam vírginem, & fratrem ejus de te secum colloquentes, ab ubertáte domûs tuæ inebriáre cœpisti; † da nobis, quæsumus, sic in te uno gaudére in terris, * ut te tamdem pérfrui mereámur in cœlis; Per Dóminum.

AD II. VESPERAS.

HYMNUS. *Guerin.*

INtegræ merces sua castitáti
Pénditur; virtus tumulo superstes:
Hanc colit quisquis, placidâ beandus
Morte quiescit.
Córporis tandem laqueo solútus,
Liber ad sedes animus supernas
Evolat: longo datur ecce meta,
Virgo, labóri.
Dum vacat cœlo Benedictus imis
Altior terris, similem columbæ
Vírginem cernit, rapidis secántem
Aëra pennis.
Arcet indignos animósa fletus
Cáritas: hymnis celebrat triumphum,
Et jubet condi moriens eódem
Ossa sepulcro.
Jam tuo Sponsus capiti corónam
Cingit; æternos agitas amóres,
Sponsa: sis nostrî memor, & tuórum
Excipe vota.
Debitas omni tibi mundus ævo
Trínitas reddat veneranda laudes,
Cujus immensum soror æqua fratri
Numen adórat.
Amen.

¶ *Si in Quadragesimâ inciderit, anticipatur.*

DIE XVIII.

S. SYMEONIS *JEROSOLYMITANI*, EPISCOPI ET MARTYRIS.

Omnia de Communi unius Martyris, exceptis quæ sequuntur.

LECTIO III.

Ex Históriâ Ecclesiásticâ sancti Hegesippi. *Apud Euseb. Hist. Eccl. Lib. 3. Cap. 32. Edit. Vales.*

SYmeónem Cléophæ fílium, secundum Ecclésiæ Jerosolymitánæ Epíscopum, non absurdè quis díxerit & spectatórem & auditórem Dómini fuisse: cùm & diutúrnitas vitæ ipsíus, & Evangeliórum fides id adstrúere videátur, in quibus María quædam commemorátur Cléophæ fília, cujus fílius Symeon. Alios prætérea nepótes

unius ex Dómini frátribus, cui nomen erat Judæ, ad Trajáni impérium vitam produxisse refert Hegesippus, cùm jam ántea sub Domitiáno Christi fidem constanter professi fuissent. Sic autem scribit. Adsunt, inquit, illi; & universæ Ecclésiæ præsident, útpote mártyres & agnáti Christi. Tandemque profundâ pace Ecclésiæ restitútâ, ad Trajáni usque témpora supérstites fuérunt: donec Symeon supra dictus Cléophæ filius, ejus qui pátruus erat Dómini, accusátus ab hæréticis, quòd ex stirpe Davídis oriundus & Christiánus esset, & ob eamdem causam in jus vocátus est coram Attico consulári; & per multos dies acerbíssimis tormentis excruciátus, fidem Christi constantíssimè professus est: ádeo ut & consuláris ipse, & omnes qui áderant magnópere mirarentur, quâ ratióne vir centum & viginti annos natus, tot tormenta perferre potuisset. Tandem verò senténtiâ júdicis cruci suffixus est.

℟. Propter Christum ómnia detrimentum feci, & árbitror ut stércora, * Ad cognoscendum illum, & virtúté resurrectiónis ejus & societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus. ℣. Fórtiter vitâ excedendo, senectúte quidem dignus apparébo, adolescéntibus autem exemplum forte relinquam, si prompto ánimo ac fórtiter honestâ morte perfungar: * Ad. ℣. Glória. * Ad. *Philip.* 3. *II. Mach.* 6.

Collecta. Deus, cujus grátia. *de Communi unius Martyris Pont. pag.* xvj.

DIE XXIV.

(in Anno bissextili)

DIE XXV.

S. MATTHIÆ,

APOSTOLI.

Festivitas III. Classis.

Omnia de Communi Apostolorum, exceptis quæ sequuntur.

AD I. VESPERAS.

Ad Magníficat. *Ant.* Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregáti in omni témpore, quo intrávit & exívit inter nos Dóminus Jesus, testem resurrectiónis ejus nobiscum fieri unum ex istis. *Act.* 1.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Homíliâ tértiâ sancti Joannis Chrysóstomi in Acta Apostolórum. *Edit. Bened. n.* 1 *&* 2.

IN diébus illis surgens Petrus in médio discipulórum, dixit. Utpote fer-

vens, cui grex à Christo concréditus erat, atque ut primus in choro, primus semper sermónem ordítur. Viri fratres, oportébat impléri Scriptúram hanc, quam prædixit Spíritus sanctus. Vide autem quómodo Petrus ómnia ex commúni senténtiâ fáciat, nihilque cum autoritáte vel cum império. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregáti. Cur cum illis hoc commúnicat? ut ne conténtio hâc de re orirétur, ut ne mútuò litigárent. Ideò in princípio dicébat: Viri fratres, oportet elígere ex nobis. Multitúdini permittit judícium, simul eos qui eligebantur venerandos reddens, seque líberans ab invídiâ quæ suboríri póterat.

℟. Oportet impléri Scriptúram, quam prædixit Spíritus sanctus per os David de Judâ: * Et episcopátum ejus accípiat alter. ℣. Quos dedisti mihi, Pater, custodívi; & nemo ex eis périit, nisi filius perditiónis, ut Scriptúra impleátur: * Et. *Act.* 1. *Joan.* 17.

LECTIO VI. *n.* 2 & 3.

ET statuérunt duos, Joseph qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est Justus, & Matthíam. Non ipse illos státuit, sed omnes. Consílium verò ipse prótulit, ostendens non suum esse, sed jam olim in Prophetíâ efferri. Et simul omnes precantur, dicentes: Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium ostende. Tu, non nos. Opportúnè córdium cognitórem vocant: ab illo enim eléctio facienda erat, non ab áliis. Neque dixérunt, élige; sed ostende electum, sciences ómnia à Deo prædefiníta esse.

℟. Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, * Ostende quem elégeris ex his duóbus unum, accípere locum ministérii hujus, & Apostolátûs, de quo prævaricátus est Judas. ℣. Scrutans corda & renes Deus, * Ostende. *Act.* 1. *Ps.* 7.

LECTIO VII. *n.* 3 & 4.

ET dedérunt sortes eis. Nondum enim se dignos putábant, qui per áliquod signum hoc edíscerent. Alióquin verò, si ubi nec precátio erat, neque viri digni áderant, tantum váluit sors eo quòd recto ánimo fieret, nempe super Jonâ; multò magis hic ubi chorum explévit, ubi órdinem perfécit. Neque alter dóluit; non enim id tacuissent Apóstoli, qui non abstinuérunt à referendis étiam præcipuórum Apostolórum vítiis, quando nempe indignáti sunt

differrétur ; sed & commártyres ejus gráviter contristabantur, ne tam bonam sóciam solam in viam ejusdem spei relínquerent. Conjuncto ítaque uníto gémitu, ad Dóminum oratiónem fudérunt ante tértiam diem múneris. Statim post oratiónem dolóres eam invasérunt : & cùm in partu labórans doléret, ait illi quidam ex ministris : Quæ si modò doles, quid fácies objecta béstiis quas contempsisti, cùm sacrificáre noluisti ? Et illa respondit : Modò ego pátior quod pátior : illic autem álius erit in me, qui patiétur pro me, quia & ego pro illo passúra sum. Tandem beáti Mártyres béstiis objecti sunt, & Perpétua quidem & Felícitas vaccæ ferocissimæ. Et cùm pópulus illos in médium postuláret, ut gládio penetrante in eórum córpora, óculos suos cómites homicídii adjúngeret : ultro surrexérunt, & se, quò volébat pópulus, transtulérunt ; ante jam osculáti ínvicem, ut Martyrium per solémnia pacis consummárent. Cæteri quidem immóbiles, & cum siléntio ferrum recepérunt ; Perpétua autem ut áliquid dolóris gustáret, inter costas puncta exululávit ; & errantem déxteram tirúnculi gladiatóris ipsa in júgulum suum pósuit.

℟. Christus Jesus est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis. * Quis ergo nos separábit à caritáte Christi ? tribulátio ? an angústia ? an fames ? an núditas ? an perículum ? an persecútio ? an gládius ? ℣. Oculi Dómini contemplantur universam terram, & præbent fortitúdinem his qui corde perfecto credunt in eum. * Quis. ℣. Glória. * Quis. *Rom.* 8. *II. Paral.* 16.

Ad Laudes.

Post Hymnum.

℣. Deus noster, refúgium & virtus. ℟. Adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis. *Ps.* 45.

Ad Benedictus. *Ant.* Timor Dómini cum electis féminis gráditur, & cum justis & fidélibus agnóscitur. Gloriátio & lætítia, & coróna exsultatiónis. *Eccli.* 1.

Collecta. *Brev. Clun.*

Omnípotens sempitérne Deus, qui infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confundas ; † da nobis intercedéntibus beátis Martyribus tuis Revocáto, Perpétuâ, Felicitáte & Sóciis, ut spíritu tuæ veritátis armáti ; * mundum sive blandientem, sive sævientem víncere, pro tui nóminis amóre valeámus. Per Dóminum.

Die IX.

SS. QUADRAGINTA MARTYRUM.

Omnia de Communi plurium Martyrum, exceptis quæ sequuntur.

Lectio III.

Sermo sancti Basilii Episcopi. *Homil. in XL Mart. Edit. Front. Duc.*

Quadraginta Christi mílites magnitúdine córporis, & ætátis flore ac virtúte, cæteris ómnibus præcellentes, ad militáres órdines regendos promóti sunt; propter militárem experiéntiam, animíque fortitúdinem, jam primos honóres apud Imperatóres obtinébant. Ubi verò ímpium edictum denuntiátum est, ne quis Christum profiterétur, propositaque sunt ómnia pœnárum génera confiténtibus, tunc horum quílibet in médium procédens: En, ait, Christiánus sum. Quæ ut áudiit bárbarus judex, cùm considerasset regiónis natúram, quòd esset frígida, & anni tempus quòd hibernum, & noctem in quâ bóreas máximè spiráret, jussit omnes, nudos, sub dio, in médiâ civitáte congelandos mori. Qui, loco summâ cum lætitiâ conspecto, últimum étiam amictum alácriter abjicientes, ad mortem properárunt. Una autem erat ómnium orátio: Quadraginta in stádium ingressi sumus; quadraginta, ô Dómine, coronémur; non desit número ne unus quidem: pretiósus est númerus quem quadraginta diérum jejúnio honorasti; per quem lex in orbem intrávit: quadraginta diébus in jejúnio Elías Dóminum exquirens, visiónem consecutus est. Unus autem ex eórum número vacillans ad pœnam, desertor ábiit, luctum inconsolábilem sanctis relinquens. Verùm Dóminus preces eórum írritas esse non permísit. Nam custos Mártyrum, cùm eventum observáret, mirum vidit spectáculum; Virtútes quasdam è cœlis descendentes, & tamquàm à Rege, magna dona milítibus distribuentes, quæ áliis quidem ómnibus dona dividébant, unum verò solum indonátum dimisérunt; qui statìm dolóres detrectans, ad adversários transfúgit. Lictor autem ut illum defecisse vidit, & ad bálneum accurisse, seipsum in desertóris locum substítuit; & abjíciens vestes, nudis se permíscuit, eamdemque cum sanctis vocem emísit: Christiánus sum. Hic baptisma suscépit; non ab ullo, sed à própriâ fide; non in aquâ, sed in pró-

prio sánguine. Sicque illucescente die, adhuc spirantes igni tráditi sunt; & ignis relíquiæ in flúvium projectæ.

℟. Metuentes Dóminum sustinéte, & non deflectátis ab eo, ne cadátis: *Crédite illi, & † Non evacuábitur merces vestra. ℣. Væ his qui perdidérunt sustinéntiam, & qui dereliquérunt vias rectas, & divertérunt in vias pravas. * Crédite. ℣. Glória. † Non. *Eccli.* 2.

AD LAUDES.

Post Hymnum.

℣. Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, ℟. Omnes qui sperátis in Dómino. *Ps.* 30.

Ad Benedictus. *Ant.* Confortámini in Dómino, & in poténtiâ virtútis ejus; indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare advérsùs insídias diáboli. *Ephes.* 6.

COLLECTA. *Brev. Clun.*

MArtyrum tuórum memóriam recenséntes, supplices te, Dómine, deprecámur, † ut in tuâ caritáte radicáti & fundáti, * passiónes hujus témporis, amóre illíus glóriæ, quæ revelanda est in nobis, invicto ac libenti ánimo sustinére valeámus; Per Dóminum.





COMMUNE SANCTORUM.

PARS HIEMALIS.

IN VIGILIIS *APOSTOLORUM.*

Officium Feriale, cum Collectâ sequenti.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DA nobis, omnípotens & misséricors Deus ;† ut Sanctórum tuórum natalítia celebrantes, * quorum prædicámus triũphos, eórum fidem veráciter imitémur : Per Dóminum.

COMMUNE *APOSTOLORUM.*

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. ISti sunt quos misit Dóminus, ut perámbulent terram. *Zach.* 1.

II. Sanctificábunt Sanctum Jacob, & Deum Israel prædicábunt. *Isai.* 29.

III. Scient in géntibus semen eórum, & germen eórum in médio populórũ. *Isai.* 61.

IV. Omnes qui víderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dóminus. *Isai.* 61.

LECTIO. *Isai.* 66.

HÆc dicit Dóminus : † Mittam ex eis qui salváti fúerint ad gentes in mare, in Africam & Lydiam, tendentes sagittam : in Itáliam & Græciam ; ad ínsulas longè ; * ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam.

℟. *br.* Annuntiáte inter gentes, * Glóriam Dómini ; ℟. Annuntiáte. ℣. In ómnibus pópulis mirabília ejus. * Glóriam. ℣. Glória. ℟. Annuntiáte. *Ps.* 95.

HYMNUS. *C.*

LÆtáre, cœlum ; pláusibus
Tellus resultet æmulis ;

Apostolórum glóriam
Solemnis instaurat dies.
Vos, ceu tubis sonántibus,
Christum per orbem spárgitis :
Vos illa sacris Vátibus
Prædicta mundi lúmina.
Qui, dante Christo, pánditis,
Qui cláuditis cœli fores ;
Nos críminum tenácibus
Vinclis ligátos sólvite.
Potente qui nutu graves
Morbos fugátis córporum,
Desiderátam póscite
Ægris medélam móribus :
Sublímis ut cùm vénerit,
Vobis simul sedéntibus,
Ad déxterum Judex látus
Nos inter agnos cóllocet.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; ℟. Et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur. *Ps.* 21.

Ad Magníficat. *Ant.* Sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum gérminat, sic Dóminus Deus germinábit justítiam & laudem coram univérsis géntibus. *Isai.* 61.

Collecta ut in Proprio Sanctorum.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Apostolórum Magistrum & Dóminum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 13.

HYMNUS. *S. V.*

Supréme, quales, Arbiter,
Tibi minístros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vasis amas commíttere !
Hæc nempè plena lúmine
Tu vasa frangi præcipis :
Lux indè magna rúmpitur,
Ceu, nube scissâ, fúlgura.
Totum per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant :
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruscant, pérpluunt.
Christum sonant : versæ ruunt
Arces superbæ dæmonum :
Circùm tubis clangéntibus,
Sic versa quondàm mœnia.
Fac, Christe, cœlestes tubæ
Somno graves nos éxcitent:
Accensa de te lúmina
Pellant tenébras méntium.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Vocávit Jesus discípulos suos, & elégit duódecim ex ipsis, quos & Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

II. Vocávit ad se quos vóluit ipse, & venérunt ad eum ; & fecit ut essent duódecim cum illo. *Marc.* 3.

III. Dedit illis potestá-

tem curandi infirmitátes & ejiciendi dæmónia. *Ibid.*

IV. Hos duódecim misit Jesus præcípiens eis, dicens: Ite ad oves quæ periérunt domûs Israel. *Matth.* 10.

V. Euntes prædicáte, dicentes: Quia appropinquávit regnum cœlórum. *Ibid.*

VI. Exeuntes prædicábant, ut pœniténtiam ágerent; & dæmónia multa ejiciébant, & ungébant óleo multos ægros, & sanábant. *Marc.* 6.

℣. In nómine tuo, Dómine, ℟. Spernémus insurgentes in nobis. *Ps.* 43.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Nolíte possidére aurum, neque argentum, neque pecúniam in zonis vestris; dignus est enim operárius cibo suo. *Matth.* 10.

II. Dico vobis, amícis meis: Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid fáciant. *Luc.* 12.

III. Beáti estis cùm maledíxerint vobis, & persecúti vos fúerint; & díxerint omne malum adversùm vos mentientes propter me. *Matth.* 5.

IV. In patiéntiâ vestrâ possidébitis ánimas vestras. *Luc.* 4.

V. Cùm fecéritis ómnia quæ præcepta sunt vobis, dícite: Servi inútiles sumus: quod debúimus fácere, fécimus. *Luc.* 17.

VI. Ecce ego vobiscùm sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem séculi. *Matth.* 28.

℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die: ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis. *Ps.* 43.

Lectiones cum Responsoriis suis ut in Proprio.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Isai.* 52. *Excitatur Sion, hoc est, Christi Ecclesia, ad consolationem ob gratuitam suî redemptionem.*

Quàm pulchri super mõtes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; * annuntiantis bonum:

Prædicantis salútem, * dicentis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox speculatórum tuórum; * levavérunt vocem, simul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte, & laudáte simul, deserta Jerúsalem: * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium; * & vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

II. CANTICUM. *Isai. 61.*

Christi Salvatoris officium, Humani generis reparatio.

SPíritus Dómini super me, * eo quòd únxerit Dóminus me:

Ad annuntiandum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde, * & prædicárem captívis indulgéntiam, & clausis apertiónem:

Ut prædicárem annum placábilem Dómino, & diē ultiónis Deo nostro: * ut consolárer omnes lugentes:

Ut pónerem lugéntibus Sion; & darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, * pállium laudis pro spíritu mœróris:

Et vocabuntur in eâ fortes justítiæ, * plantátio Dómini ad glorificandum.

Et ædificábunt deserta à sǽculo, & ruínas antíquas érigent, & instaurábunt civitátes desertas, * dissipátas in generatiónem & generatiónem.

Et stabunt aliéni, & pascent pécora vestra: * & filii peregrinórum agrícolæ & vinitóres vestri erunt.

Vos autem Sacerdótes Dómini vocabímini; * Ministri Dei nostri, dicétur vobis:

Fortitúdinem géntium comedétis, * & in glóriâ eárum superbiétis.

III. CANTICUM. *Isai. 66.*

Per Discipulorum Christi prædicationem, gentium conversio.

POnam in eis signum; * & mittam ex eis, qui salváti fuerint, ad gentes in mare;

In Africam, & Lydiam tendendes sagittam; * in Itáliam, & Græciam, ad ínsulas longè.

Ad eos qui non audiérunt de me, * & non vidérunt glóriam meam:

Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, & addúcent omnes fratres vestros de cunctis géntibus donum Dómino, * ad montem sanctum meum Jerúsalem, dicit Dóminus:

Quómodo si ínferant filii Israel munus in vase mundo * in domum Dómini;

Et assúmam ex eis in sacerdótes & levítas, * dicit Dóminus.

Quia sicut cœli novi, & terra nova, quæ ego fácio stare coram me, dicit Dóminus; * sic stabit semen vestrum & nomen vestrum.

Ant. Quàm speciósi pedes evangelizántium pacē, evangelizántium bona! *Rom.* 10.

℣. In generatiónem & generatiónem, ℟. Annuntiábimus laudem tuam. *Ps.* 78.

LECTIO IX.
Ex Actibus Apostolórum.
Cap. 4.

MUltitúdinis credéntiũ erat cor unum & ánima una: nec quisquam eórum quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat; sed erant illis ómnia commúnia. Et virtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri: & grátia magna erat in ómnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessóres agrórum aut domórum erant, vendentes afferébant prétia eórum quæ vendébant, & ponébant ante pedes Apostolórum. Dividebátur autem síngulis, prout cuíque opus erat.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. * Estóte ergo prudentes sicut serpentes, & símplices sicut columbæ. ℣. Ex ore Dómini prudéntia, & próteget gradientes simplíciter. * Estóte. *Matth.* 10. *Prov.* 2.

LECTIO X. *Cap.* 5.

EXsurgens autem Princeps sacerdótum, & omnes qui cum illo erant, quæ est hæresis Sadducæórum, repléti sunt zelo; & injecérunt manus in Apóstolos, & posuérunt eos in custódiâ públicâ. Angelus autem Dómini per noctem apériens jánuas cárceris, & edúcens eos, dixit: Ite, & stantes loquímini in templo plebi ómnia verba vitæ hujus. Qui cùm audissent, intravérunt dilúculo in templum, & docébant.

℟. Mementóte sermónis mei, quem ego dixi vobis: * Non est servus major dómino suo: si me persecúti sunt, & vos persequentur. ℣. Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me. * Non est. *Joan.* 15. *Ps.* 108.

LECTIO XI.

ADvéniens autem quidam nuntiávit eis: Quia ecce viri quos posuístis in cárcerem, sunt in templo, stantes & docentes pópulum. Tunc ábiit magistrátus cum ministris, & adduxit illos sine vi: timébant enim pópulum, ne lapidarentur. Et cùm adduxissent illos, statuérunt in concílio. Et interrogávit eos Princeps sacerdótum, dicens: Præcipiendo præcépimus vobis, ne docerétis in nómine isto: & ecce replestis Jerúsalem doctrínâ vestrâ, & vultis indúcere super nos sánguinem hóminis istíus. Respondens autem Petrus & Apóstoli, dixérunt: Obedíre oportet Deo magìs quàm homínibus.

℟. In mundo pressúram habébitis: * Sed confídite; ego vici mundum. ℣. Quia de mundo non estis, sed

ego elégi vos de mundo; proptéreà odit vos mundus. * Sed. *Joan.* 16 & 15.

LECTIO XII.

ET convocantes Apóstolos, cæsis denuntiavérunt, ne omninò loquerentur in nómine Jesu, & dimisérunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessábant in templo & circa domos docentes, & evangelizantes Christum Jesum.

℟. Vos estis qui permansistis mecum in tentatiónibus meis; * Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum. ℣. Nolíte timére, pusillus grex; quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. * Et ego. ℣. Glória. * Et ego. *Luc.* 22 & 12.

Evangelium & Collecta ut in Proprio.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. JEsus locútus est úndecim discípulis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ; euntes ergo docéte omnes gentes. *Matth.* 28.

II. Quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; & quorum retinuéritis, retenta sunt. *Joan.* 20.

III. Accipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs Sancti in vos; & éritis mihi testes usque ad últimum terræ. *Act.* 1.

IV. Prædicáte Evangélium omni creatúræ; baptizantes eos in nómine Patris, & Filii, & Spíritûs Sancti. *Marc.* 16. *Matth.* 28.

V. Profecti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperante & sermónem confirmante sequéntibus signis. *Marc.* 16.

LECTIO. *Ephes.* 4.

CHristus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres & Doctóres, † ad consummatiónem Sanctórum, in opus ministérii, * in ædificatiónem córporis Christi.

℟. *br.* In omnem terram, * Exívit sonus eórum. ℟. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. * Exívit. ℣. Glória. ℟. In omnem. *Ps.* 18.

HYMNUS. *S. V.*

CŒlestis aulæ Príncipes,
Sacri duces exércitûs;
Bisséna mundi lúmina,
Olìm futúri júdices.

Mersis gravi calígine,
Per vos dies renáscitur;
Quos vanus error lúserat,
Illustrat alma véritas.

Non vi, nec armis mílitum,
Fandi nec ullìs ártibus;
Verbo sed irrísæ Crucis,
Christo rebelles súbditis.

Quibus gemébat súbditus,
Rumpuntur orbis víncula :
Jam gaudet excusso jugo,
Liber Dei sub légibus.
Vulgáta terris ómnibus,
Per vos Dei mystéria :
Sic vestra terris ómnibus,
Præclára facta pérsonant.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Non sunt loquélæ, neque sermónes, ℟. Quorum non audiantur voces eórum. *Ps.* 18.

Ad Benedictus. *Ant.* Deo grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ manifestat per nos in omni loco. *II. Cor.* 2.

Collecta ut in Proprio.

Ad Horas *Antiphonæ Laudum, quartâ omissâ.*

Ad Primam, *Canon Feriæ, suo loco. Et sic in aliis Communibus.*

AD TERTIAM.

Lectio. *II. Cor.* 5.

POsuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis.† Pro Christo ergo legatióne fungimur tamquàm Deo exhortante per nos. * Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℣. Nimìs honorificáti sunt amíci tui, Deus: ℟. Nimìs confortátus est principátus eórum. *Ps.* 138.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Cor.* 2.

NOn spíritum hujus mundi accépimus, sed spíritum qui ex Deo est; ut sciámus quæ à Deo donáta sunt nobis: † quæ & lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, * sed in doctrínâ Spíritûs.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

AD NONAM.

Lectio. *Hebr.* 2.

QUómodo nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem? † quæ cùm inítium accepisset enarrári per Dóminum, * ab eis qui audiérunt. in nos confirmáta est, contestante Deo signis, & portentis, & váriis virtútibus.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ pósuit prodígia super terram. *Ps.* 45.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. SPectáculum facti sumus mundo, & Angelis & homínibus. *I. Cor.* 4.

II. Quæ stulta sunt mundi, elégit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia. *I. Cor.* 1.

III. Lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abs-

Gens infída Deo quærimus ánxii ;
Quid torpémus ? inertes
Sánguis Mártyris éxcitat.
Patri máxima laus, máxima Fílio ;
Amborumque sacro máxima Flámini,
Cujus róbore freti,
Vincunt fúnera Mártyres. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, & non pavébit ; quóniam ipse est spes ejus. *Eccli.* 34.

II. Fortitúdo símplicis, via Dómini : justus in ætérnum non commovébitur. *Prov.* 10.

III. Noli erubéscere testimónium Dñi nostri ; collabóra Evangélio secundùm virtútem Dei. *II. Tim.* 1.

IV. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu : nam & qui certat in agóne, non coronábitur, nisi legítimè certáverit. *II. Tim.* 2.

V. Hæc est grátia, si propter Dei consciéntiam sustinet quis tristítias pátiens injustè : in hoc enim vocáti estis. *I. Petri*, 2.

VI. Qui vícerit, & custodíerit usque in finem, ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, sicut & ego accépi à Patre meo. *Apoc.* 2.

℣. Cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam, ℟. Et exsultábo mane misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. In spe quæ ad patres nostros repromissiónis facta est à Deo, sto judício subjectus. *Act.* 26.

II. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum ; & quærunt ánimam meam, ut áuferant eã. *III. Reg.* 19.

III. Ego ad Dóminum aspíciam, exspectábo Deum salvatórem meum ; áudiet me Deus meus. *Mich.* 7.

IV. Prompto ánimo pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honestâ morte perfungar. *II. Mach.* 6.

V. E cœlo ista membra possídeo ; sed propter Dei leges hæc ipsa despício ; quóniam ab ipso me ea receptúrũ spero. *II. Mach.* 7.

VI. Propter opus Christi, usque ad mortem accépit, tradens ánimã suã. *Phil.* 2.

℣. Adjútor meus, tibi psallam ; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Ignátii, Epíscopi & Mártyris, ad Romános. *Edit. Cotel. ex Græc. an.* 107. *n.* 5. & 6.

NUnc incípio discípulus esse. Visibílium & invisibílium nihil éxpetam, ut Jesum Christum asse-

quar. Ignis, crux, ferárum concursus, óssium discerptiónes, membrórum concisiónes, totíus córporis contritiónes, mala diáboli torménta, in me véniant; tantúmmodò ut Jesu Christum nanciscar. Nil me juvábunt fines mundi, nec regna hujus séculi. Mélius est mihi émori propter Jesum Christum quàm imperáre fínibus terræ. Illum quæro, qui pro nobis mórtuus est. Illum volo, qui propter nos resurrexit. Ille lucrum mihi ádjacet.

℟. Pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in necessitátibus, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo, * Cùm enim infirmor, tunc potens sum. ℣. Víncula & tribulatiónes me manent; sed nihil horum véreor. * Cùm enim. *II. Cor.* 12. *Act.* 20.

LECTIO VI.

IGnóscite mihi, fratres; ne mihi impedimento sitis, quóminùs vivam; ne me velítis mori; cúmque cúpiam Dei esse, per mundum ne separétis me, neque per matériam seducátis. Sínite me purum lumen hauríre. Cùm illìc fúero, homo ero. Sinite me imitatórem esse passiónis Dei mei. Si quis ipsum in se ipso póssidet, intélligat quid volo, & compatiátur mihi, ut qui sciat quæ me constringunt.

℟. Ego non solùm alligári, sed * Et mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu. ℣. Animam & corpus meum trado pro pátriis légibus. * Et mori. *Act.* 21. *II. Machab.* 7.

LECTIO VII. *n.* 7.

PRinceps hujus séculi rápere me vult, & voluntátem, quam erga Deum hábeo, corrúmpere. Nullus ítaque vestrûm qui præsentes estis opem ferat: ipsi pótiùs mei sitis, id est, Dei mei. Ne loquámini Jesum Christum, & mundum concupiscátis. Invídia in vobis non hábitet: neque si ego præsens vos óbsecrem, obtemperétis mihi; verùm his pótiùs crédite, quæ vobis scribo. Vivens enim scribo vobis, amóre captus moriendi. Meus amor crucifixus est: & non est in me ignis amans áliquam aquã: sed vivens, & loquens in me, intùs mihi dixit: Veni ad Patrem. Non gáudeo corruptíbili nutrimento, nec voluptátibus hujus vitæ: panem Dei volo; qui est caro Jesu Christi, qui ex génere Davídis: & potum volo sánguinem illíus, qui est cáritas incorruptíbilis.

℟. Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifestè tu scis quia cùm à morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres: secundùm ánimam verò propter timórem tuum libenter hæc pátior. ℣. Gáu-

deo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónū Christi in carne meâ. * Duros. *II. Mach. 6. Coloss. 1.*

LECTIO VIII. *n. 8.*

NOlo ámpliùs secundùm hómines vívere: id autem fiet, si vos voluéritis. Velítis ergo, ut & vos acceptémini. Brévibus lítteris déprecor vos; crédite mihi. Jesus autem Christus manifestábit vobis hæc, quòd verè dicam; non mendax est in quo Pater verè locútus est. Pétite pro me, ut cónsequar. Non secundùm carnem vobis scripsi, sed secundùm Dei arbítriū. Si pátiar, voluistis: sin rejíciar, odistis.

℟. Gloriámur in tribulatiónibus sciéntes quòd tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò spē; * Spes autem non confúndit. ℣. Deo subjécta esto, ánima mea; quóniam ab ipso patiéntia mea, & spes mea in Deo est. * Spes autem. ℣. Glória. * Spes autem. *Rom. 5. Ps. 61.*

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Eccli. 51.*

Dei laus, exaltatio, & de misericordiis ejus gratiarum actio.

COnfitébor tibi, Dómine Rex, * & collaudábo te Deum salvatórem meum.

Confitébor nómini tuo, * quóniam adjútor & protéctor factus es mihi.

Et liberasti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, & à lábiis operántium mendácium; & in conspéctu adstántium * factus es mihi adjútor.

Et liberasti me secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, * à rugiéntibus præparátis ad escam,

De mánibus quæréntium ánimam meam, * & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me.

II. CANTICUM. *Ibid.*

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, * & vita mea appropínquans erat in inferno deorsùm.

Circumdedérunt me úndique; * & non erat qui adjuváret.

Respíciens eram ad adjutórium hóminum, * & non erat.

Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, * & operatiónis tuæ, quæ à sǽculo sunt.

Quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, * & líberas eos de mánibus géntiū.

III. CANTICUM. *Ibid.*

EXaltasti super terram habitatiónem meam, * & pro morte defluente deprecátus sum.

Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, * & in témpore superbórum sine adjutório.

Laudábo nomen tuum aſsíduè, & collaudábo illud in confeſſióne, * & exaudíta eſt orátio mea.

Et liberaſti me de perditióne, * & eripuiſti me de témpore iníquo.

Proptéreà confitébor, & laudem dicam tibi, * & benedícam nómini Dómini.

Ant. Ego in Dómino gaudébo, & exſultábo in Deo Jeſu meo: Deus Dóminus fortitúdo mea. *Habacuc.* 3.

℣. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: ℟. Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. *Pſ.* 17.

LECTIO IX.

Ex Epíſtolâ primâ beáti Petri Apóſtoli. *Cap.* 2.

HÆc eſt grátia, ſi propter Dei conſciéntiam súſtinet quis triſtítias, pátiens injuſtè. Quæ eſt enim glória, ſi peccantes & colaphizáti ſuffertis? ſed ſi benè facientes patienter ſuſtinétis, hæc eſt grátia apud Deum. In hoc enim vocáti eſtis; quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequámini veſtígia ejus: qui peccátum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus; qui cùm maledicerétur, non maledicébat; cùm paterétur, non comminabátur; tradébat autem judicanti ſe injuſtè: qui peccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper lignum, ut peccátis mórtui, juſtítiæ vivámus: cujus livóre ſanáti eſtis.

℟. Confitébor nómini tuo, Dómine; * Quóniam adjútor & protector factus es mihi. ℣. Exſultábo, & lætábor in miſericórdiâ tuâ, Dómine. * Quóniam. *Eccli.* 51. *Pſ.* 30.

LECTIO X. *Cap.* 3.

OMnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, miſericordes, modeſti, húmiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; ſed è contrário benedicentes: quia in hoc vocáti eſtis, ut benedictiónem hæreditáte poſſideátis. Qui enim vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, coérceat linguam ſuam à malo, & lábia ejus ne loquantur dolum. Declínet à malo, & fáciat bonum; inquírat pacem, & ſequátur eam: quia óculi Dómini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eórum; vultus autem Dómini ſuper facientes mala. Et quis eſt qui vobis nóceat, ſi boni æmulatóres fuéritis? Sed & ſi quid patímini propter juſtítiam, beáti.

℟. Qui volúerit ánimam ſuam ſalvam fácere, perdet eam; * Qui autem perdíderit ánimam ſuam propter me & Evangélium, ſalvam fáciet eam. ℣. Qui negáverit me coram homínibus,

negábo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. *Qui. *Marc.* 8. *Matth.* 10.

LECTIO XI.

TImórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad satisfactiónem omni poscenti vos ratiónem de eâ, quæ in vobis est, spe; sed cum modéstiâ & timóre consciéntiam habentes bonam: ut in eo quòd détrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversatiónem. Mélius est enim benè faciéntes, si volúntas Dei velit, pati, quàm malè faciéntes; quia & Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injustis: ut nos offerret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu.

℟. Dóminus mihi ádstitit & confortávit me; * Et salvum fáciet in regnum suum cœleste. ℣. Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo. * Et salvũ. *II. Tim.* 4.

LECTIO XII. *Cap.* 4.

CArissimi, nolíte peregrinári in fervóre, qui ad tentatiónem vobis fit, quasi novi áliquid vobis contingat; sed communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultantes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut maledícus, aut alienórum appetítor. Si autem ut Christiánus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nómine, quóniam tempus est ut incípiat judícium à domo Dei. Si autẽ primùm à nobis; quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur; ímpius & peccátor ubi parébunt? Itaque & hi qui patiuntur secundùm voluntátem Dei, fidéli Creatóri commendent ánimas suas in benefactis.

℟. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. * In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Omnia detriméntum feci ad cognoscendum Christum, & societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus. * In réliquo. ℣. Glória. * In réliquo. *II. Tim.* 4. *Phil.* 3.

Si sit Pontifex,

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 15.

DIxit Jesus discípulis suis: Si mundus vos odit, scitóte quia me prióre m vobis ódio hábuit. Si de mundo fuissétis mun-

dus quod suum erat dilígeret : quia verò de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptéreà odit vos mundus. Mementóte sermónis mei quē ego dixi vobis : Non est servus major dómino suo. Si me persecúti sunt, & vos persequentur : si sermónem meum servavérunt, & vestrum servábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum; quia néſciunt eum qui misit me. Si non venissem, & locútus fuissem eis, peccátum non habérent; nunc autem excusatiónem non habent de peccáto suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si ópera mea non fecissem in eis, quæ nemo álius fecit, peccátum non habérent; nunc autem & vidérunt, & odérunt me & Patrem meū: sed ut adimpleátur sermo qui in lege eórum scriptus est : Quia ódio habuérunt me gratis.

Si non sit Pontifex,

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 16.

JEsus dixit discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánimâ suâ? Fílius enim hóminis ventúrus est in glóriâ Patris sui cum Angelis suis; & tunc reddet unicuíque secundùm ópera ejus.

Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. QUicumque conféssus fúerit me coram homínibus, & Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei. *Luc.* 12.

II. Qui autem negáverit me coram homínibus, negábitur coram Angelis Dei. *Ibid.*

III. Qui sustinúerit in finem, hic salvus erit. *Marc.* 13.

IV. Scient quia ego diléxi te, quóniam servasti verbum patiéntiæ meæ. *Apoc.* 3.

V. Vincenti dabo édere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei. *Apoc.* 3.

LECTIO. *I. Joan.* 5.

OMne quod natum est ex Deo, vincit mundum : † & hæc est victória quæ vincit mundum, * fides nostra.

℟. *br.* In Deo salutáre meum * Et glória mea. ℟. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo.

est. * Et. ℣. Glória. ℟. In Deo. *Ps.* 61.

HYMNUS. *S. V.*

JAm non te lácerant carníficum manus,
Inter qui récubas cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cæco,
Fulgentes hábitas domos.
Non jam vincla manus, non cóhibent pedes:
Tu liber súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.
Nec te dira fames, nec sitis ámpliùs,
Nec probrósa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus & índuit.
Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet;
Confundisque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.
Patri máxima laus, máxima Filio;
Amborumque sacro máxima Flámini,
Cujus róbore freti,
Vincunt fúnera Mártyres. Amen.

℣. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus; ℟. Et factus est mihi in salútem. *Ps.* 117.

Ad Benedictus. *Ant.* Glorificátus sum in óculis Dómini; & Deus meus factus est fortitúdo mea. *Isai.* 49.

Si sit Pontifex,

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, cujus grátia beátum *N.* in Sacerdótem elégit, doctrína ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perseverandum confirmávit; † da nobis ex ejus imitatióne pópulum Christiánum & instrúere vivendi exemplo, * & cùm opus fúerit, confirmáre patiendo: Per Dóminum.

ALIA COLLECTA.
Sacr. Leon.

OMnípotens, sempitérne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis; * da nobis beáti *N.* festivitátem cóngruis honóribus, & sédulâ imitatióne celebráre,* qui Filii tui Martyr & Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit, & quod prædicávit ore, confirmávit exemplo: Per eumdem Dóminum.

Si non sit Pontifex,

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui beátum *N.* Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborasti; † ex ejus nobis imitatióne tríbue, pro amóre tuo próspera mundi despícere, * & nulla ejus advérsa formidáre: Per Dóminum.

Si sit Sacerdos tantùm,

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, à quo constántiam fides, & virtútem sumit infirmitas; quæsumus, ut beáti *N.* Sacerdótis & Mártyris tui exemplo & précibus, quidquid in persecutiónibus sævum est, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confessióne superáre; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Tim. 6.*

CErta bonum certámen fidei: † apprehende vitam æternam in quâ vocátus es, * & confessus bonam confessiónem coram multis téstibus.

℣. Si consistant adversùm me castra, ℟. Non timébit cor meum. *Ps. 26.*

AD SEXTAM.

LECTIO. *II. Cor. 4.*

QUod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ † supra modum in sublimitáte * æternum glóriæ pondus operátur in nobis.

℣. Tu, Dómine, susceptor meus es, ℟. Glória mea & exaltans caput meum. *Ps. 3.*

AD NONAM.

LECTIO. *Rom. 8.*

EXístimo quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis † ad futúram glóriam, * quæ revelábitur in nobis.

℣. Tu, Dómine, adjuvisti me, ℟. Et consolátus es me. *Ps. 85.*

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. QUis est qui vincit mũdum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei? *I. Joan. 5.*

II. Factus es, Dómine, fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne suâ: spes à túrbine, umbráculum ab æstu. *Isai. 25.*

III. Post tempestátem tranquillum facis, Dómine, & post lacrymatiónem & fletum exsultatiónem infundis. *Tob. 3.*

IV. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum; quia liberávit ánimam páuperis de manu malórũ. *Jerem. 20.*

LECTIO. *Jac. 1.*

BEátus vir qui suffert tentatiónem; † quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ * quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. *br.* Posuisti, Dómine, * Super caput ejus. ℟. Posuisti. ℣. Corónam de lápide pretióso. * Super. ℣. Glória. ℟. Posuisti. *Ps. 20.*

Hymnus, Ex quo salus mortálium. *ut ad I. Vesp. pag.* ix.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo: ℟. Glóriã

& magnum decórem impónes ſuper eum. *Pſ.* 20.

Ad Magníficat. *Ant.* Qui vícerit, dabo ei ſedére mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3.

Collecta ut ad Laudes, niſi ſit propria; & ſic in aliis Communibus.

DIEBUS PRIVATIS.

Omnia ut in Feſtivitatibus, exceptis quæ ſequuntur.

In I. Nocturno. *Antiphonæ & ℣. ut in Pſalterio. Duæ primæ Lectiones cum ℟℟. ſuis de Scripturâ occurrente; tertia de Sancto ut in Proprio Sanctorum.*

IN II. NOCTURNO.

Antiphona unica ut in Pſalterio.

Lectio. *I. Petr.* 4.

CAríſſimi, nolíte peregrinári in fervóre, qui ad tentatiónem vobis fit, quaſi novi áliquid vobis contingat; ſed communicantes Chriſti paſſiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exſultantes.

℣. Deo ſubjecta eſto, ánima mea; ℟. Quóniam ab ipſo patiéntia mea. *Pſ.* 61.

Collecta de Sancto; ad Laudes & Horas ut in Feſtivitatibus. Et ita fit in omnibus Officiis Sanctorum in Diebus privatis.

COMMUNE
PLURIUM
MARTYRUM.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. VEnit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obſéquium ſe præſtáre Deo. *Joan.* 16.

II. Injícient vobis manus ſuas, & perſequentur trahentes ad reges & præſides, propter nomen meũ. *Luc.* 21.

III. Tradet autem frater fratrem in mortem, & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficiet. *Matth.* 10

IV. Dabo vobis os & ſapiéntiam cui non póterunt resíſtere & contradícere omnes adverſárii veſtri. *Luc.* 21.

Lectio. *I. Petr.* 4.

SI exprobrámini in nómine Chriſti, beáti éritis; † quóniam quod eſt honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui eſt ejus Spíritus, * ſuper vos requieſcit.

℟. *br.* Adjuvábit juſtos Dóminus, * Et liberábit eos. ℟. Adjuvábit. ℣. Et éruet eos à peccatóribus. * Et. ℣. Glória. ℟. Adjuvábit. *Pſ.* 36.

Hymnus. *C.*

CHriſti Martyribus débita nos decet,
Virtútis mémores, prómere cántica;

Quos nec blandítiis, nec potuit minis
Fallax víncere séculű.
Cœlestis pátriæ mens ínhians bonis,
Mundi spernit opes flúxaque gáudia:
Vitæ quin-étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.
Non vultus métuunt carníficum truces,
Fœtas supplíciis despíciunt manus:
Enses, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix edócuit, fides.
O incredíbilem vim patiéntiæ!
Non, artus láceros qui crúciat dolor,
Extorquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.
Ergo nunc própior Christe, tibi sedet
Palmis turba nitens usquè viréntibus,
Victorumque gerens præmia, nóbiles
Multo sánguine láureas.
Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio:
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio prælia sústinent,
Contemptâ nece, Mártyres. Amen.

℣. In Deo faciémus virtûtem; ℟. Et ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos. *Ps.* 59.

Ad Magníficat. *Ant.* Cùm vos óderint hómines, & exprobráverint, propter Fílium hóminis; gaudéte, & exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. *Luc.* 6.

Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dóminum legítimè certantes coronantem; * Veníte, adorémus. *II. Tim.* 2.

HYMNUS. *S. V.*

FOrtes cadendo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine,
Cœlestis ornat púrpura
Junctis canámus vócibus.
Acti procellis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehuntur; & Christo duce,
Portus beátos óccupant.
Sævit tyrannus, állicit:
Temnunt minas, temnunt preces,
Deum minantem dum timent,
Dum munerantem díligunt.
Quem lictor insánus sitit,
Quem cæcus effundit furor,
Amor sacerdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.
Et ille mixtus sánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non cessat Deum.
Impléte vos omnes decet,
Passo Deo quod défuit;

Per tot neces læso Patri
Fit plena Christus hóstia.
Quo duce, vincunt Mártyres,
Jesu; tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Confortámini, & viríliter ágite in lege: quia in ipsâ glorióśi éritis. *I. Mach.* 2.

II. Moriámur omnes in simplicitáte nostrâ; & testes erunt super nos cœlum & terra. *Ibid.*

III. Paráti sumus mori, magìs quàm pátrias Dei leges prævaricári. *II. Mach.* 7.

IV. Dóminus Deus adspíciet veritátem, & consolábitur in nobis. *Ibid.*

V. Dóminus Deus vester pro vobis ipse pugnábit; hoc tantùm diligentíssimè præcavéte, ut diligátis Dóminum Deum vestrum. *Jos.* 23.

VI. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. *Judith*, 8.

℣. Da nobis, Dómine, auxílium de tribulatióne; ℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Per multas tribulatiónes, oportet nos intráre in regnum Dei. *Act.* 14.

II. Omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patientur. *II. Tim.* 3.

III. Magnum certámen sustinuistis passiónum, oppróbriis & tribulatiónibus spectáculum facti. *Hebr.* 10.

IV. Sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolátio nostra. *I. Cor.* 1.

V. Non injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, & dilectiónis quam ostendistis in nómine ipsíus. *Hebr.* 6.

VI. Exsultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ; reportantes finem fidei vestræ, salútem animárum. *I. Petr.* 1.

℣. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, ℟. Coronasti nos. *Ps.* 5.

LECTIO V.

Ex Epistolâ sancti Cypriáni, Episcopi & Mártyris, ad Mártyres & Confessóres. *Ep.* 8. *Edit. Baluz. An.* 251.

QUibus ego vos láudibus prædicem, fortíssimi fratres? Robur péctoris vestri & perseverántiam fidei, quo præcónio vocis exornem? Tolerastis usque ad consummatiónem glóriæ duríssimam quæstiónem, nec cessistis supplíciis, sed vobis pótiùs supplícia cessérunt. Finem dolóribus, quem

quem tormenta non dabant, corónæ dedérunt. Quæstio grávior ad hoc diù perseverávit, non ut stantem fidem dejíceret, sed ut hómines Dei ad Dóminum velóciùs mítteret.

℟. In nullo terreámini ab adversáriis; * Quia vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini. ℣. Æmulatóres estóte legis, & date ánimas vestras pro testamento patrum vestrórum. *Quia. *Philip.* 1. *II. Machab.* 2.

LECTIO VI.

VIdit admírans præséntium multitúdo cœleste certámen, certámen Dei, certámen spirituále, prælium Christi, stetisse servos ejus voce líberâ, mente incorruptâ, virtúte divínâ, telis quidem seculáribus nudos, sed armis fidei credentes armátos. Stetérunt torti torquéntibus fortióres, & pulsantes ac laniantes úngulas pulsáta ac laniáta membra vicérunt. Inexpugnábilem fidem superáre non pótuit sæviens diù plaga repetíta, quamvìs ruptâ compáge víscerum torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vúlnera. Fluébat sánguis qui incéndium persecutiónis exstíngueret, qui flammas & ignes gehennæ glorióso cruóre sopíret.

℟. Dico vobis amícis meis: * Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & post hæc non habent ámpliùs quid fáciant. ℣. Ego, ego ipse consolábor vos: quis tu ut timéres ab hómine mortáli, & à fílio hóminis, qui quasi fœnum ita arescet? * Ne terreámini. *Luc.* 12. *Isai.* 51.

LECTIO VII.

O Quale illud fuit spectáculum Dómino, quàm sublíme, quàm magnum, quàm Dei óculis sacramento ac devotióne mílitis ejus acceptum! Sicut scriptum est in Psalmis, Spíritu sancto loquente ad nos páriter & monente: Pretiósa est in conspectu Dómini mors justórũ ejus. Pretiósa mors hæc est, quæ emit immortalitátem prétio sui sánguinis, quæ accépit corónam de consummatióne virtútis. Quàm lætus illìc Christus fuit, quàm libens in tálibus servis suis & pugnávit & vicit protector fidei, & dans credéntibus tantum quantum se credit cápere qui sumit! Certámini suo ádfuit, præliatóres atque assertóres sui nóminis erexit, corroborávit, animávit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.

℟. In mortem trádimur propter Jesum, * Ut & vita Jesu manifestétur in carne nostrâ mortáli. ℣.

Propter te, Dómine, mortificámur totâ die; æstimáti sumus sicut oves occisiónis. * Ut & vita. *II. Cor.* 4. *Ps.* 43.

LECTIO VIII.

O Beátam Ecclésiam nostram, quam sic honor divínæ dignatiónis illúminat, quam tempóribus nostris gloriósus Mártyrum sánguis illustrat! Erat antè in opéribus fratrum cándida, nunc facta est in Mártyrum cruóre purpúrea. Flóribus ejus nec lília nec rosæ desunt. Certent nunc sínguli ad utriusque honóris amplíssimam dignitátē. Accípiant corónas vel de ópere cándidas, vel de passióne purpúreas. In cœléstibus castris & pax & ácies habent flores suos, quibus miles Christi ob glóriam coronétur.

℟. Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen. * Aspicientes in autórem fídei & consummatórem Jesum. ℣. Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei minístros, in multâ patiéntiâ, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus. * Aspicientes. ℣. Glória Patri. * Aspicientes. *Hebr.* 12. *II. Cor.* 6.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Sap.* 3.

Felicitas Justorum qui variis tentationibus in hâc vitâ à Deo fuerunt probati.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, * & non tanget illos torméntum mortis.

Visi sunt óculis insipiéntium mori; * & æstimáta est afflíctio éxitus illórum:

Et quod à nobis est iter, extermínium; * illi autem sunt in pace.

Et si coram homínibus torménta passi sunt, * spes illórum immortalitáte plena est.

In paucis vexáti, in multis benè disponéntur: * quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se.

Tamquam aurum in fornáce probávit illos, & quasi holocausti hóstiam accépit illos, * & in témpore erit respéctus illórum.

Fulgébunt justi, * & tamquam scintíllæ in arundinéto discurrent.

Judicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis, * & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

II. CANTICUM. *Sap.* 5.

Gloria Justorum & æterna felicitas; in judicio Dei inutiles impiorum fletus.

STabunt justi in magnâ constántiâ adversùs eos qui se angustiavérunt, * & qui abstulérunt labóres eórum.

Videntes turbabúntur timóre horríbili, * & mira-

buntur in ſubitatióne inſperátæ ſalútis,

Dicentes intra ſe, pœniténtiam agentes, & præ angúſtiâ ſpíritûs gementes: * Hi ſunt quos habúimus aliquandò in deríſum, & in ſimilitúdinem impropérii.

Nos inſenſáti vitam illórum æſtimabámus insániam, * & finem illórum ſine honóre:

Ecce quómodò computáti ſunt inter fílios Dei, * & inter ſanctos ſors illórum eſt.

Ergò errávimus à viâ veritátis, & juſtítiæ lumen non luxit nobis, * & ſol intelligéntiæ non eſt ortus nobis.

III. Canticum. *Ibid.*

JUſti autem in perpétuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum, * & cogitátio illórum apud Altíſſimum.

Ideò accípient regnum decóris, * & diadéma ſpeciéi de manu Dómini:

Quóniam déxterâ ſuâ teget eos, * & bráchio ſancto ſuo defendet illos.

Accípiet armatúram zelus illíus, & armábit creatúram ad ultiónem inimicórum.

Induet pro thoráce juſtítiam, * & accípiet pro gáleâ judícium certum.

Sumet ſcutum inexpugnábile, æquitátem; ácuet autem duram iram in lánceam; * & pugnábit cum illo orbis terrárum contra inſenſátos.

Ant. Laudábit te pópulus fortis; quia factus es ſpes à túrbine, umbráculum ab æſtu. *Iſ.* 25.

℣. Deus noſter refúgium & virtus; ℟. Adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimìs. *Pſ.* 45.

LECTIO IX.

Ex Epíſtolâ beáti Pauli Apóſtoli ad Romános. *Cap.* 8.

EXíſtimo quòd non ſunt condignæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exſpectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei exſpectat. Vanitáti enim creatúra ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubjécit eam in ſpe: quia & ipſa creatúra liberábitur à ſervitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei.

℟. Mundi Creátor qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit oríginem, * Et ſpíritum vobis cum miſericórdiâ reddet & vitam, ſicut nunc voſmetipſos deſpícitis propter leges ejus. ℣. Cùm vénerit glorificári in ſanctis ſuis, & admirábilis fieri in ómnibus qui credidérunt. * Et ſpíritum. *II. Machab.* 7. *II. Theſſ.* 1.

LECTIO X.

SCimus enim quòd omnis creatúra ingemiſ-

cit, & párturit uſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primítias Spíritûs habentes, & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei exſpectántes, redemptiónem córporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ vidétur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non vidémus, ſperámus: per patiéntiam exſpectámus. Símiliter autem & Spíritus ádjuvat infirmitátem noſtrã: nam quid orémus, ſicut oportet neſcímus; ſed ipſe Spíritus póſtulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem ſcrutátur corda, ſcit quid desíderet Spíritus: quia ſecundùm Deum póſtulat pro ſanctis.

℞. Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam ſuam glóriam in Chriſto Jeſu módicum paſſos ipſe perfíciet, confirmábit, ſolidabítque: * Ipſi glória in ſécula. ℣. Rex mundi defunctos nos pro ſuis légibus in æternæ vitæ reſurrectióne ſuſcitábit. * Ipſi. *I. Petr. 5. II. Machab. 7.*

LECTIO XI.

SCimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propóſitum vocáti ſunt ſancti. Nam quos præſcívit, & prædeſtinávit conformes fíeri imáginis Fílii ſui, ut ſit ipſe primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædeſtinávit, hos & vocávit; & quos vocávit, hos & juſtificávit: quos autem juſtificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio ſuo non pepércit, ſed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accuſábit adversùs electos Dei? Deus qui juſtíficat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mórtuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis.

℞. Vicérunt propter ſánguinem Agni, & propter verbum teſtimónii ſui, & non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem: * Proptéreà lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. ℣. Módico dolóre ſuſtentáto, ſub teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt. * Proptéreà. *Apoc. 12. II. Machab. 7.*

LECTIO XII.

QUis ergo nos ſeparábit à caritáte Chriſti? tribulátio, an angúſtia, an fames, an núditas, an perículum, an perſecútio, an gládius? ſicut ſcríptum eſt: Quia propter te mortificámur totâ die: æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis. Sed in his ómnibus ſuperámus propter eum qui dilexit

xit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Antíquus diérum judícium dedit sanctis Excelsi, & tempus advénit, * Et † Regnum obtinuérunt sancti. ℣. Per fidem operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes. * Et regnum. ℣. Glória. † Regnū. *Dan*. 7. *Hebr*. 11.

Evangelium.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 21.

DIxit Jesus discípulis suis: Cùm audiéritis prælia & seditiónes, nolíte terréri: oportet primùm hæc fieri, sed nondùm statìm finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adversùs regnū, & terræ motus magni erunt per loca, & pestiléntiæ, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagógas, & custódias, trahentes ad reges & præsides, propter nomen meū: continget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodùm respondeátis. Ego enim dabo vobis os, & sapiéntiam, cui non póterunt resístere, & contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis, & morte affícient ex vobis; & éritis ódio ómnibus propter nomen meum: & capillus de cápite vestro non períbit. In patiéntiâ vestrâ possidébitis ánimas vestras.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. OCuli Dómini contémplantur universam terram, & præbent fortitúdinem his qui corde perfecto credunt in eum. *II. Paral*. 16.

II. In multo experimento tribulatiónis abundántia gáudii ipsórum fuit. *II. Cor*. 8.

III. Et si coram homínibus tormenta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. *Sap*. 3.

IV. Qui própriâ voluntáte obtulistis vos discrímini, benedícite Dómino. *Judic*. 5.

V. Sicut sócii passiónum estis, sic éritis & consolatiónis. *II. Cor*. 1.

Lectio. *I. Petr*. 4.

CAríssimi, communicantes Christi passiónibus

gaudéte, † ut & in revelatióne glóriæ ejus * gaudeátis exsultantes.

℟. *br.* Anima nostra sicut passer erepta est * De láqueo venántium. ℟. Anima. ℣. Láqueus contrítus est, & nos liberáti sumus. * De. ℣. Glória. ℟. Anima. *Ps.* 123.

HYMNUS. *S. V.*

QUam, Christe, signasti viam
Primus profúso sánguine,
Per hanc tui te fortiter
Ducem sequuntur mílites.
Fossus manus, fossus pedes,
Ovans ad astra tránsvolas;
Et membra trunci Mártyres,
Addunt triumpho se tuo.
Omnes in ostro spléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accepta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.
Audíre si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat;
Audi tuos qui sánguinem
Fudêre pro te, Mártyres.
Fac, si tyrannus déficit,
Ne blandiendo mólliùs
Frangat voluptas péctora
Ipsis tyrannis sævior.
Cujus sub armis mílitant
Mundúmque vincunt Mártyres,
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, ℟. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 89.

Ad Benedictus. *Ant.* Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. *Matth.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui sanctis tuis *N.* & *N.* non solùm crédere in Fílium tuum, sed étiam pro eódem pati posse donasti; † nostræ quoque fragilitáti divínum prætende subsídium, * ut misericórdiam sempitérnam, pro quâ illi felíces ánimas exhalárunt, nos saltem sincérâ confessióne mereámur: Per Dóminum.

ALIA COLLECTA. *Sacr. Ambr.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui in sanctórum Mártyrum tuórum *N.* & sociórum córdibus flammam tuæ dilectiónis accendis; † da méntibus nostris eamdem fídei, caritatísque virtútem, * ut quorum gaudémus triumphis, proficiámus exemplis: Per.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Jac.* 1.

OMne gáudium existimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis; † sciéntes quòd probátio fídei vestræ patiéntiam operátur; * patiéntia autem opus perfectum habet.

℣. Anima nostra sustinet Dóminum ; ℟. Quóniam adjútor & protector noster est. *Ps.* 32.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Petr.* 3.

QUis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? † Sed & si quid patímini propter justítiam beáti. * Timórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini ; Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris.

℣. Non derelinquet Dóminus sanctos suos : ℟. In ætérnum conservabuntur. *Ps.* 36.

AD NONAM.

Lectio. *I. Petr.* 1.

IN Deo exsultábitis, módicùm nunc si oportet contristári in váriis tentatiónibus ; † ut probátio vestræ fidei multò pretiósior auro, quod per ignem probátur, * inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem in revelatióne Jesu Christi.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exsultatióne metent. *Ps.* 125.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. VIdi ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter testimóniũ quod habébant. *Apoc.* 6.

II. Stabant ante thronum in conspectu Agni ; & palmæ in mánibus eórum. *Apoc.* 7.

III. Venérunt de tribulatióne magnâ, & lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni. *Apoc.* 7.

IV. Ante thronum Dei sunt, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus ; & qui sedet in throno, habitábit super illos. *Apoc.* 7.

Lectio. *Apoc.* 21.

ABsterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum ; † & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà ; * quia prima abiérunt.

℟. *br.* Probasti nos, Deus, * Et eduxisti nos in refrigérium. ℟. Probasti. ℣. Igne nos examinasti, sicut examinátur argentum. * Et. ℣. Glória. ℟. Probasti. *Ps.* 65.

Hymnus, Christi Martyribus. *ut suprà ad I. Vesperas. pag.* xviij.

℣. In ætérnum exsultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5.

Ad Magníficat. *Ant.* Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ ; & dictum est illis ut requiéscerent, donec compleantur conservi eórum, qui interficiendi sunt sicut & illi. *Apoc.* 6.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *I. Petri, 4.*

NEmo vestrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut Christiánus, non erubéscat: glorificet autem Deum in isto nómine; quóniam tempus est ut incípiat judícium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius & peccátor ubi parébunt? Itaque & hi qui patiuntur secundùm voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefactis.

℣. Custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum: ℟. De manu peccatóris liberábit eos. *Ps. 96.*

COMMUNE PONTIFICUM.

AD I. VESPERAS,

ANTIPHONÆ.

I. DAbo vobis Pastóres juxta cor meum, & pascent vos sciéntiâ & doctrínâ. *Jerem. 3.*

II. Ponam Præpósitos tuos justítiam; non audiétur iníquitas in terrâ tuâ, & occupábit salus muros tuos. *Isai. 60.*

III. Holocausta eórum & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. *Is. 56.*

IV. Quemcumque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num. 16.*

LECTIO. *Hebr. 5.*

NEc quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tamquàm Aaron. † Sic & Christus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fieret; sed qui locútus est ad eum: Filius meus es tu; ego hódie génui te: * quemádmodùm & in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum secundùm órdinem Melchísedech.

℟. *br.* Domus Aaron, * Benedícite Dómino. ℟. Domus. ℣. Domus Levi, & qui timétis Dóminum. * Benedícite. ℣. Glória. ℟. Domus. *Ps. 134.*

HYMNUS. *G. Ep. S.*

CHriste, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.
Ille non vano ténuit tremendam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocante,
Sumpsit honórem.
Strénuum bello púgilem superni

Chrísmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, posuítque sanctam
Páscere gentem.
Fit gregis pastor, pater atque forma:
Lætus impendit sua, seque: servus
Omnium, curis gravis, omnibusque
Omnia factus.
Pro reis orat, réficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrasque pellit;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.
Fac ut illíus précibus juvémur,
Christe: fac Patrem paritérque tecum
Spíritum jugì celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegísti, & assumpsísti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

Ad Magníficat. *Ant.* Elégit ipsum Dóminus ab omni vivente, offerre sacrifícium Deo, incensum & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo suo. *Eccli.* 45.

Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christum Pastórum príncipem, * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 5.

HYMNUS. *S. V.*

CHriste, decréto Patris institútus
Póntifex summo, tibi qui fidéles,
Quos legis formas pópulis regendis
Ipse ministros.
Hunc juvat festo celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis abundans,
Flens & invítus, duce te, treméndum
Sumpsit honórem.
Nóverat quantis páteat períclis
Ille, qui summos ápices adeptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.
Fécerat fervens amor inquiétum;
Quò gregis cari pia cura poscit,
Advolat promptus, mora non euntem
Ulla retardat.
Dux iter, vitâ præeunte, monstrat,
Cómprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam benè olente Christi
Implet odóre.
Lux erat cæco, cólumen labanti,
Una spes lapso, mísero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibusque

Omnia factus.
Qui tuis formas pópulis ministros
Laus tibi jugis, Déitas suprema;
Fac ut in Clero sua prima virtus,
Christe, resurgat.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Suscitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet. *I. Reg.* 2.

II. Elégi eum ex ómnibus mihi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incensum. *I. Reg.* 2.

III. Speculatórem dedi te dómui Israel; & áudies de ore meo verbum, & annuntiábis eis ex me. *Ezech.* 3.

IV. Probatórem dedi te in pópulo meo robustum; & scies, & probábis viam eórum. *Jerem.* 6.

V. Si in viis meis ambuláveris, & custódiam meã custodíeris, judicábis domũ meam. *Zach.* 3.

VI. Esto vígilans, & confirma quæ moritúra erant. Si non vigiláveris, véniam ad te tamquàm fur, & néscies quâ horâ véniam ad te. *Apoc.* 3.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei: ℟. Tu es qui restítues hæreditátẽ meam mihi. *Ps.* 15.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Grátias ago ei qui me confortávit Christo Jesu, quia fidélem me existimávit ponens in ministério. *I. Tim.* 1.

II. Vos scitis quómodò nihil subtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè & per domos. *Act.* 20.

III. Mundus sum à sánguine ómnium; non enim subterfúgi; quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis. *Ibid.*

IV. Dei sumus adjutóres; Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis. *I. Cor.* 3.

V. Non sufficientes sumus à nobis; sed sufficiéntia nostra ex Deo est, qui & idóneos nos fecit ministros novi testamenti. *II. Cor.* 3.

VI. Si ministrátio mortis litteris deformáta, in lapídibus, fuit in glóriâ, quómodò non magis ministrátio Spíritûs erit in glóriâ? *Ib.*

℣. Impinguasti in óleo caput meum; ℟. Et calix meus inébrians quàm præclárus est! *Ps.* 22.

LECTIO V.

Ex libro Régulæ pastorális sancti Gregórii Papæ.
Part. 2, *cap.* 1, 2.

TAntùm debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantùm

distáre solet à grege vita pastóris. Oportet namque ut metíri sollícitè stúdeat, quantâ tenendæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo necesse est cogitatióne mũdus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspensus, benè agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ erectus. Rector semper cogitatióne sit mundus; quátenùs nulla hunc immundítia pólluat, qui hoc suscépit officii, ut in aliénis quoque córdibus pollutiónis máculas tergat: quia necesse est, ut esse munda stúdeat manus, quæ diluere sordes curat.

℟. Póntifex, super cujus caput fusum est unctiónis óleum, & cujus manus consecrátæ sunt, * Non contaminábitur; ne pólluat sanctuárium Dómini. ℣. Quia óleum sanctæ unctiónis Dei sui super eum est: vestitusque est sanctis véstibus. * Non. *Levit.* 21.

LECTIO VI. *Cap.* 3.

Sit Rector operatióne præcípuus; ut vitæ viam súbditis vivendo denúntiet; & grex qui pastóris vocem moresque séquitur, per exempla méliùs quàm per verba gradiátur. Qui enim loci sui necessitáte exígitur summa dícere, hâc eâdem necessitáte cõpéllitur summa monstráre. Illa namque vox libéntiùs auditórum cor pénetrat, quàm dicentis vita commendat; quia quod loquendo ímperat, osténdendo ádjuvat ut fiat.

℟. Pópulum meum docébunt quid sit inter sanctum & pollútum; * Et inter mundum & immundum ostendent eis. ℣. Cùm fúerit controvérsia, stabunt in judíciis meis, & judicábunt. * Et inter. *Ezech.* 44.

LECTIO VII. *Cap.* 4.

Sit Rector discrétus in siléntio, útilis in verbo; ne aut tacenda próferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locútio in errórem pértrahit, ita indiscrétum siléntium hos qui erudíri póterant, in erróre derelinquit. Præcónis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdótium accédit; ut ante adventum júdicis, qui terribíliter séquitur, ipse scílicet clamando gradiátur. Sacerdos ergò si prædicatiónis est néscius, quam clamóris vocem datúrus est præco mutus? Verùm cùm se ad loquendum præparat, sub quanto cautélæ stúdio loquátur, atténdat; ne, si inordinátè ad loquendum rápitur, erróris vúlnere audiéntium corda feriantur; & cùm fortassè

sápiens vidéri desíderat, unitátis compágem insipiénter abscindat.

℟. Lábia sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus; * Quia Angelus Dómini exercítuum est. ℣. Oportet Epíscopũ sine crímine esse, amplecténtem eum, qui secundùm doctrínam est fidélem sermónem, ut potens sit exhortári in doctrínâ sanâ, & eos qui contradícunt argúere. * Quia Angelus. *Malach.* 2. *Tit.* 1.

LECTIO VIII. *Cap.* 5, 6.

SIt Rector síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspensus: ut & per pietátis víscera in se infirmitátem cæterórum tránsferat, & per speculatiónis altitúdinem semetipsum quoque invisibília appeténdo, transcendat: ne, aut alta petens, proximórum infirma despíciat, aut infirmis proximórum cóngruens, appétere alta derelínquat. Sit benè agéntibus per humilitátem sócius; contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ erectus. Nam cuncti qui præsunt, non in se potestátem debent órdinis, sed æqualitátem pensáre conditiónis: nec præesse se homínibus gáudeant, sed prodesse. Téneant ergò rectóres extériùs quod pro aliórum utilitáte suscípiunt; servent intériùs quod de suâ æstimatióne pertimescunt. Sed tamen, quibusdam signis decenter erumpéntibus, eos apud se esse húmiles, étiam subjecti deprehendant; quátenùs & in autoritáte eórum, quod formídent, vídeant; & de humilitáte, quod imiténtur, agnoscant.

℟. Factus sum infirmus, ut infirmos lucrifácerem. * Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. ℣. Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram páuperum. * Omnibus. ℣. Glória. * Omnibus. *I. Cor.* 9. *Job*, 29.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Ezech.* 34.

Ovium suarum Dominus liberator & pastor.

EGo pascam oves meas:* & ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus.

Quod períerat, requíram; & quod abjectum erat, redúcam; * & quod confractum fúerat, alligábo;

Et quod infírmum fúerat consolidábo, & quod pingue & forte, custódiam: * & pascam illas in judício.

Et suscitábo super eas Pastórem unum, qui pascat eas, servum meum David: * ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastórem.

Ego autem Dóminus ero eis in Deum: & servus meus David princeps in mé-

dio eórum : * ego Dóminus lócutus sum.

II. Canticum. *Ibid.*

Et fáciam cum eis pactū pacis, * & cessáre fáciam béstias péssimas de terrâ ;

Et qui hábitant in deserto, * secúri dórmient in sáltibus.

Et ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem ; & dedúcam imbrem in témpore suo : * plúviæ benedictiónis erunt.

Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum ; * & erunt in terrâ suâ absque timóre :

Et scient quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum, * & erúero eos de manu imperántium sibi.

Et non erunt ultrà in rapínam in géntibus, neque béstiæ terræ devorábunt eos : * sed habitábunt confidenter absque ullo terróre.

Vos autem greges mei, greges páscuæ meæ, hómines estis : * & ego Dóminus Deus vester, dicit Dóminus Deus.

III. Canticum. *Jerem.* 3.

Futura Jerusalem gloria & exaltatio.

Introdúcam vos in Sion, & dabo vobis pastóres juxta cor meum ; * & pascent vos sciéntiâ & doctrinâ.

Cúmque multiplicáti fuéritis, * & crevéritis in terrâ in diébus illis, ait Dóminus :

Non dicent ultrà : Arca testamenti Dómini : neque ascendet super cor, neque recordabuntur illíus : * nec visitábitur, nec fiet ultrà.

In témpore illo vocábunt Jerúsalem Sólium Dómini : & congregabuntur ad eam omnes gentes in nómine Dómini in Jerúsalem, * & non ambulábunt post pravitátem cordis sui péssimi.

Convertímini, filii revertentes, * & sanábo aversiónes vestras.

Ecce nos venímus ad te ; tu enim es Dóminus Deus noster : * verè in Dómino Deo nostro salus Israel.

Ant. Accéde ad altáre, & ímmola pro peccáto tuo ; offer holocaustum, & deprecáre pro te & pro pópulo. *Levit.* 9.

℣. Sacrificent sacrificium laudis ; ℟. Et annúntient ópera Dei in exsultatióne. *Ps.* 106.

Lectio IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. *Cap.* 3.

Fidélis sermo : si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Oportet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse ; uníus uxóris virum, sóbrium, prudentem, ornâ-

tum, pudícum, hoſpitálem, doctórem, non vinolentum, non percuſſórem, ſed modeſtum: non litigióſum, non cúpidum, ſed ſuæ dómui benè præpóſitum: filios habentem súbditos cum omni caſtitáte. Si quis autem dómui ſuæ præeſſe neſcit, quómodò Eccléſiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum: ne in ſupérbiam elátus, in judícium incidat diáboli. Oportet autem illum & teſtimónium habére bonum ab iis qui foris ſunt, ut non in oppróbrium incidat, & in láqueum diáboli.

℟. Rectórem te poſuérunt? noli extolli: * Eſto in illis quaſi unus ex ipſis; curam illórum habe. ℣. Si quis vult primus eſſe, erit ómnium noviſſimus, & ómnium miniſter. * Eſto. *Eccli.* 32. *Marc.* 9.

LECTIO X. *Cap.* 4.

NEmo adoleſcéntiam tuam contemnat: ſed exemplum eſto fidélium in verbo, in converſatióne, in caritáte, in fide, in caſtitáte. Dum vénio, adtende lectióni, exhortatióni, & doctrínæ. Noli negligere grátiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetíam, cum impoſitióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre, in his eſto: ut profectus tuus manifeſtus ſit ómnibus. Adtende tibi, & doctrínæ: inſta in illis. Hoc enim fáciens, & te ipſum ſalvum fácies, & eos qui te áudiunt.

℟. Super ſpéculam Dómini ego ſum, ſtans júgiter per diem: * Et ſuper cuſtódiam meam ego ſum, ſtans totis nóctibus. ℣. Nocte & die non ceſsávi, cum lácrymis monens unumquemque veſtrûm. * Et ſuper. *Iſai.* 21. *Act.* 20.

LECTIO XI. *Cap.* 5.

QUi benè præſunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur: máximè qui labórant in verbo & doctrínâ. Dicit enim Scriptúra: Non alligábis os bovi trituranti. Et: Dignus eſt operárius mercéde ſuâ. Adversùs Presbyterum accuſatiónẽ noli recípere, niſi ſub duóbus aut tribus téſtibus. Peccantes coram ómnibus árgue: ut & cæteri timórem hábeant. Teſtor coram Deo & Chriſto Jeſu, & electis Angelis, ut hæc cuſtódias ſine præjudício, nihil fáciens in álteram partem declinando. Manus citò némini impoſúeris, neque communicáveris peccátis aliénis. Teipſum caſtum cuſtódi.

℟. Locútus es ſanctis tuis, & dixiſti: Exaltávi electum de plebe meâ: invéni ſervum meum. * Oleo ſancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus teſtimónium

perhibens, dixit: Invéni virum secúndùm cor meum. * Oleo. *Ps.* 88. *Act.* 13.

LECTIO XII. *Cap.* 6.

RAdix ómnium malórum est cupíditas: quã quidam appetentes, erravérunt à fide, & inseruérunt se dolóribus multis: Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fidei; apprehende vitam æternam, in quâ vocátus es, & confessus bonam confessiónem coram multis téstibus. Præcípio tibi coram Deo, qui vivíficat ómnia, & Christo Jesu, qui testimónium réddidit sub Póntio Piláto, bonam confessiónem: ut serves mandátum sine máculâ, irreprehensíbile usque in adventum Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Euge, serve bone & fidélis, super multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Super pópulum meum constítui te: sapiéntia & sciéntia data sunt tibi; & glóriam dabo tibi. * Intra. ℣. Glória. * Intra. *Matth.* 25. *II. Paral.* 1.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 24.

DIxit Jesus discípulis suis: Vigiláte; quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias quâ horâ fur ventúrus esset, vigiláret útique, & non síneret pérfodi domum suam. Ideò & vos estóte paráti; quia quâ nescítis horâ, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus & prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cùm vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amẽ dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. SUper muros tuos, Jerúsalẽ, constítui custódes: totâ die & totâ nocte, in perpétuum non tacébunt. *Isai.* 62.

II. Erunt Dómino offerentes sacrifícia in justítiâ; & placébit Dómino sacrifícium. *Malach.* 3.

III. Deum Israel prædicábunt; & scient errantes spíritu intelléctum. *Isai.* 29.

IV. Audiátur sónitus, quando ingréditur & egréditur sanctuárium Póntifex in conspectu Dómini. *Exod.* 28.

V. Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me

spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. *Luc.* 10.

LECTIO. *Hebr.* 13.

MEmentóte Præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuentes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. † Jesus Christus heri, & hódie; ipse & in sǽcula. * Doctrínis váriis & peregrínis nolíte abdúci.

℟. *br.* Réspice de cœlo, Dómine, & vide, * Et vísita víneam istam. ℟. Réspice. ℣. Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua. * Et vísita. ℣. Glória. ℟. Réspice. *Ps.* 79.

HYMNUS. *G. Ep. S.*

JEsu Sacerdótum decus,
In hâc die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adesto súpplicum.
Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.
Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victumque præbet: áudiunt,
Sequuntur, & vivunt oves.
Quam sentit errantem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovíli réddere.
Arcet freméntes béstias,
Lupi retundit ímpetus,
Dolosque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.
Offert frequentem víctimam
Cum plebe Pastor ínnocens;
Secumque devótum gregem
Pius Sacerdos ímmolat.
Supréme, Christe, Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sǽcula.
Amen.

℣. Pasce pópulum tuum, Dómine, in virgâ tuâ, ℟. Gregem hæreditátis tuæ. *Mich.* 7.

Ad Benedictus. *Ant.* Sacerdótes tui induantur salútem: Dómine Deus, ne avérteris fáciem christi tui; meménto misericordiárũ servi tui. *II. Paral.* 6.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui pópulis tuis indulgéntiâ cónsulis, & amóre domináris, quique illis regendis vicários caritátis tuæ præficis minístros: † da, quæsumus, intercedente beáto *N.* Pontífice, spíritum sapiéntiæ, quibus sacræ dedisti régimen disciplínæ; * ut de profectu sanctárum óvium, fiant gáudia ætérna pastórum: Per Dóminum.

ALIA COLLECTA.
Br. Clun.

OMnípotens Deus, qui beátum *N.* Antístitem pópulo tuo præesse, & quibus præerat, verbo & exémplo prodesse voluisti: † eá-

dem intercedente, Pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commissis dirige in viâ salútis ætérnæ; * ut omnes, te donante, tibi plácita cúpiant & totâ virtúte perficiant: Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Lectio. *Heb.* 5.

OMnis Póntifex ex homínibus assumptus, † pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, * ut ófferat dona & sacrifícia pro peccátis.

℣. Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus ℟. Hóstiam vociferatiónis. *Ps.* 26.

AD SEXTAM.

Lectio. *Act.* 20.

ADténdite vobis, & univérso gregi, † in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, * quam acquisívit sánguine suo.

℣. Elégit Dóminus servum suum, ℟. Páscere Israel hæreditátem suam. *Ps.* 77.

AD NONAM.

Lectio. *Hebr.* 13.

OBedíte Præpósitis vestris, & subjacéte eis; † Ipsi enim pervígilant, * quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

℣. Nos pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ; ℟. Confitébimur tibi in sǽculum. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. QUi intrat per óstium, pastor est óvium: huic ostiárius áperit, & oves vocem ejus áudiunt. *Joan.* 10.

II. Próprias oves vocat nominátim, & edúcit eas, & ante eas vadit. *Joan.* 10.

III. Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; aliénum autem non sequuntur, sed fúgiunt ab eo. *Joan.* 10.

IV. Fur venit ut perdat, mercenárius videt lupum, & fugit: bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. *Joan.* 10.

Lectio. *I. Petr.* 5.

PAscite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontáneè secundùm Deum; † neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè; * neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntiâ cordis sui. ℟. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos. * In. ℣. Glória. ℟. Pavit. *Ps.* 77.

Hymnus. Christe Pastórum. *ut ad I. Vesp. p.* xxviij.

℣. Salvum fecit Dóminus Christum suum: ℟. Exáudiet illum de cœlo sancto suo. *Ps.* 19.

Urat péctora cáritas.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. A Deo profecta est sapiéntia: & in ore fidéli abundábit; & Dominátor dabit eam illi. *Eccli.* 15.

II. Sapiéntia non est multis manifesta; quibus autem cógnita est, pérmanet usque ad conspectum Dei. *Eccli.* 6.

III. Multitúdo sapiéntium sánitas est orbis terrárum. *Sap.* 6.

IV. Sapiens in pópulo hæreditábit honórem; & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37.

V. Néminē díligit Deus, nisi eum qui cum sapiéntiā inhábitat. *Eccli.* 7.

VI. Sciéntia sapientis tamquàm inundátio abundábit, & consílium illíus sicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21.

℣. Bonum mihi lex oris tui, Dómine, ℟. Super míllia auri & argenti. *Ps.* 118.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturā occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Optávi, & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ. *Sap.* 1.

II. Præpósui illam regnis & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. *Ibid.*

III. Ego non sum turbátus te Pastórem sequens, & diem hóminis non desderávi; quod egressum est de lábiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. *Jerem.* 17.

IV. Annuntiábam ut pœniténtiam ágerent, & converterentur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes. *Act.* 26.

V. Inventi sunt sermónes tui, & comédi eos; & factum est mihi verbum tuum in gáudium & in lætítiam cordis mei. *Jerem.* 15.

VI. Cùm esset sapientíssimus, dócuit pópulum: quæsívit verba utília, & conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. *Eccli.* 12.

℣. Scrutábor legem tuā, Dómine, ℟. Et custódiam illam in toto corde meo. *Ps.* 118.

LECTIO V.

Ex libro secundo sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum. *Cap.* 10. *n.* 34.

Sanctos & in sanctâ Ecclésiâ illustres Antístites Dei, non Platónicis & Aristotélicis & Zenónicis, aliísque hujuscémodi, vel Græcis vel Latínis, quamquam & istis áliquos eórum, verùm omnes sacris lítteris eruditos nominátim, sicut oportébat, expressi; eorúmque senténtias, quantùm sufficere videbátur, sine

nullâ éditas ambiguitáte, digessi; ut in eis tímeas, non ipsos, sed illum qui sibi eos utília vasa formávit, & sancta templa construxit: qui tunc de istâ causâ judicavérunt, quando eos nemo potest dícere, perperàm cuíquam vel adversári, vel favére potuisse.

℟. Ne despícias narratiónem presbyterórum sapiéntium: * Ab ipsis enim disces sapiéntiam & doctrínam intellectûs. ℣. Sapiéntiæ illórum ex corde conjúngere; ut omnem narratiónem Dei possis audíre. * Ab ipsis. *Eccli.* 8 & 6.

Lectio VI. *n.* 34 & 37.

NUllus nobiscum vel vobiscum amicítias adtendérunt, vel inimicítias exercuérunt; neque nobis, neque vobis iráti sunt; neque nos, neque vos miseráti sunt. Quod invenérunt in Ecclésiâ, tenuérunt; quod didicérunt, docuérunt; quod à pátribus accepérunt, filiis tradidérunt. Isti sunt docti, graves, sancti, veritátis acérrimi defensóres adversùs gárrulas vanitátes; in quorum ratióne, eruditióne, libertáte, quæ tria bona júdici tribuisti, non potes inveníre quod spernas.

℟. Non te prætéreat narrátio seniórum: * Ipsi enim didicérunt à pátribus suis. ℣. Ne transgrediáris términos antíquos, quos posuérunt patres tui. * Ipsi. *Eccli*, 8. *Prov.* 22.

Lectio VII. *n.* 37.

SI episcopális synodus ex toto orbe cōgregarétur, mirum si tales possent illìc fácilè tot sedére; quia nec isti uno témpore fuérunt: sed fidéles, & multis excellentióres, paucos dispensatóres suos Deus, per diversas ætátes témporum locorumque distántias, sicut ei placet, atque expedíre júdicat, ipse dispensat. Hos itaque de áliis atque áliis tempóribus, atque regiónibus, ab Oriente & Occidente congregátos vides, non in locum quò navigáre cogantur hómines, sed in librum qui navigáre possit ad hómines.

℟. Verba sapiéntium sicut stímuli & quasi in altum defixi, quæ per magistrórum consílium datæ sunt à pastóre uno: * His ámpliùs, fili mi, ne requíras. ℣. Quanta mandávit Dóminus pátribus nostris, nota fácere ea filiis suis, ut cognoscat generátio áltera. * His. *Eccli.* 12. *Ps.* 77.

Lectio VIII. *Ibid.*

QUantò tibi essent isti júdices optabilióres, si tenéres cathólicam fidem; tantò tibi sunt terribilióres, quia oppugnas cathólicam fidem, quam in lacte suxérunt, quam in cibo sumpsérunt; cujus lac & cibum parvis magnisque

ministravérunt; quam contra inimícos étiam vos tunc nondùm natos, undè nunc revelámini, apertíssimè ac fortíssimè defendérunt. Tálibus post Apóstolos, sancta Ecclésia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, pastóribus, nutritóribus crevit.

℟. Dat Dominus sapiéntiam sapiéntibus & sciéntiā intelligéntibus disciplínam: * Ipse revélat profunda & abscóndita: & † Lux cum eo est. ℣. In manu illíus & nos & sermónes nostri, & omnis sapiéntia & disciplína. * Ipse. ℣. Glória. † Lux. *Dan.* 2. *Sap.* 7.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Prov.* 3.

Summa viri sapientis felicitas. Quæ à Deo est Sapientiæ encomium.

BEátus homo qui invénit sapiéntiam, * & qui áffluit prudéntiâ.

Mélior est acquisítio ejus negotiatióne argenti, * & auri primi & puríssimi, fructus ejus.

Pretiósior est cunctis ópibus; * & ómnia quæ desiderantur, huic non valent comparári.

Longitúdo diérum in déxterâ ejus, * & in sinistrâ illíus divítiæ & glória.

Viæ ejus, viæ pulchræ; * & omnes sémitæ illíus pacíficæ.

Lignum vitæ est his qui apprehénderint eam; * & qui tenúerit eam, beátus.

II. Canticum. *Sap.* 7.

Sapientiæ fructus & excellentia.

OMnibus mobílibus mobílior est sapiéntia; * adtingit autem ubíque propter suam mundítiam.

Vapor est enim virtútis Dei, & emanátio quædam est claritátis omnipoténtis Dei sincéra; * & ideò nihil inquinátum in eam incurrit.

Candor est enim lucis ætérnæ, & spéculum sine máculâ Dei majestátis, * & imágo bonitátis illíus.

Et cùm sit una, ómnia potest; * & in se pérmanens, ómnia ínnovat;

Et per natiónes in ánimas sanctas se transfert; * amícos Dei & prophétas constítuit.

Néminem enim díligit Deus, * nisi eum qui cum sapiéntiâ inhábitat.

III. Canticum. *Sap.* 9.

Incerta hominum sapientia; sola vera, quæ est à Deo.

QUis hóminum póterit scire consílium Dei? * aut quis póterit cogitáre quid velit Deus?

Cogitatiónes enim mortálium tímidæ, * & incertæ providéntiæ nostræ.

Corpus enim quod corrúmpitur, aggrávat ánimã, * & terréna inhabitátio

déprimit sensum multa cogitantem.

Et difficilè æstimámus quæ in terrâ sunt; & quæ in prospectu sunt, invenímus cum labóre: * quæ autem in cœlis sunt, quis investigábit?

Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam, * & míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis:

Et sic correctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris, * & quæ tibi placent, didícerint hómines?

Nam per sapiéntiam sanáti sunt, * quicumque placuérunt tibi, Dómine, à princípio.

Ant. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam; & in ipsâ laudábo eum. *Eccli.* 51.

℣. Deus, docuísti me à juventúte meâ; ℟. Et usque nunc pronuntiábo mirabília tua. *Ps.* 70.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. *Cap.* 2.

FIli mi, confortáre in grátiâ quæ est in Christo Jesu; & quæ audísti à me per multos testes, hæc commenda fidélibus homínibus, qui idónei erunt & álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo ímplicat se negótiis seculáribus; ut ei pláceat, cui se probávit. Nam & qui certat in agóne, non coronátur nisi legítimè certáverit. Laborantem agrícolam opórtet primùm de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico: dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum.

℟. Sápiens apériet os suum in oratióne; * Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis vestrûm índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter. * Si enim. *Eccli.* 39. *Jac.* 1.

LECTIO X.

NOli conténdere verbis; ad nihil enim útile est, nisi ad subversiónem audiéntium. Sollícitè cura teipsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, rectè tractantem verbum veritátis: profána autem & vanilóquia devíta; multùm enim profíciunt ad impietátem: & sermo eórum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philétus, qui à veritáte excidérunt, dicentes resurrectiónem esse jam factam, & subvertérunt quorumdam fidem. Sed firmum testamētum Dei stat, habens signáculum hoc: Cognóvit Dóminus qui sunt ejus; & discédat ab iniquitáte, omnis qui nóminat nomen Dómini.

℟. Ne retíneas verbum

in témpore salútis : non abscondas sapiéntiam tuam in decóre suo : * In linguâ enim sapiéntia dignóscitur; & sensus, & sciéntia, & doctrína in verbo sensáti. ℣. Prædica verbum; insta opportúnè, importúnè; árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntiâ & doctrínâ. * In linguâ. *Eccli.* 4. *II. Tim.* 4.

LECTIO XI.

JUvenília desidéria fuge, sectáre verò justítiam, fidem, caritátem & pacem, cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. Stultas autem, & sine disciplínâ quæstiónes devíta : sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non oportet litigáre ; sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patientem, cum modéstiâ corripientem eos qui resistunt veritáti : nequando Deus det illis pœniténtiam ad cognoscendam veritátem, & resipiscant à diáboli láqueis, à quo captívi tenentur ad ipsíus voluntátem.

℟. Qui habet sermónem meum, loquátur sermónem meum verè : quid páleis ad tríticum ? dicit Dóminus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dóminus, * Et quasi málleus cónterens petram ? ℣. Vivus est sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancipiti. * Et quasi. *Jerem.* 23. *Hebr.* 4.

LECTIO XII. *Cap.* 3.

TU autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes; quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii & Lystris: quales persecutiónes sustinui, & ex ómnibus eripuit me Dóminus. Et omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patientur. Mali autem hómines, & seductóres profícient in pejus, errantes & in errórem mittentes. Tu verò pérmane in iis quæ didicisti, & crédita sunt tibi: sciens à quo didíceris; & quia ab infántiâ sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptúra divinitùs inspiráta útilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justítiâ : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

℟. Si quis erráverit à veritáte, & convérterit quis eum; scire debet * Quóniam † Qui converti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus à morte, & opériet multitúdinem peccatórum. ℣. Ad-

tende tibi & doctrínæ: hoc enim fáciens, & teipsum salvum fácies, & eos qui te áudiunt. * Quóniam. ℣. Glória. † Qui. *Jac.* 5. *I. Tim.* 4.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 5.

DIxit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscondi suprà montem pósita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & glorífícēt patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre, quóniã veni sólvere Legem, aut Prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cœlum & terra, ióta unum, aut unus apex non præteríbit à Lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, & docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum; qui autem fécerit, & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. DOminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum qui lassus est verbo. *Isai.* 50.

II. Sermo meus non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis; sed in ostensióne spíritûs & virtútis. *I. Cor.* 2.

III. Auxílio adjútus Dei sto, testíficans minóri atque majóri, nihil extrà dicens quàm ea quæ Prophétæ locúti sunt. *Act.* 26.

IV. Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. *I. Cor.* 2.

V. Si nóverim mystéria ómnia, & omnem sciéntiam; caritátem autem non habúero, nihil sum. *I. Cor.* 13.

LECTIO. *Jac.* 3.

QUæ desursùm est sapiéntia, primùm quidem pudíca est, † deinde pacífica, modesta, suasíbilis, bonis consénriens, * plena misericórdiâ & frúctibus bonis.

℟. *br.* Lex Dómini immaculáta, * Convertens ánimas. ℟. Lex. ℣. Testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. * Convertens. ℣. Glória. ℟. Lex. *Ps.* 18.

HYMNUS. *S. V.*

VOs succensa Deo splén-
dida lúmina:
Vos sal, nos hómines quo
sapimus Deum;
Ævum, puri ánimo, mó-
ribus íntegri,
Quo condímur in álte-
rum.
Per vos Rellígio, túta-
que Véritas;
Per vos virgíneis fulget
honóribus:
Per vos Christus amat pán-
dere dívites
Thesauros sapiéntiæ.
Vestris unda fluit pura
canálibus;
Christi floret ager; munda
nitet seges;
Lac aptum púeris, & sóli-
dum viris
Cauti sufficitis cibum.
Hi sunt, summe Deus,
qui tibi mílitant;
Hi sunt qui stábiles ædifi-
cant domos:
Unâ docta cohors arma
tenet manu;
Muros cónstruit álterâ.
Vicistis stygias vos qui-
bus hæreses,
Hæc nos accípimus tela su-
pérstites;
His pugnámus adhuc, nec
dúbio éxitu
His armis quoque vín-
cimus.
Quis te, summe Pater,
te Sóboles Patris,
Te divíne satis prædicet
Hálitus?
Laudes ipse tuas dic, pó-
tior Deus,
Unus qui tibi sufficis.
Amen.

℣. Justítiæ Dómini re-
ctæ, lætificantes corda: ℟.
Præceptum Dómini lúci-
dum, illúminans óculos.
Ps. 18.

Ad Benedictus. *Ant.* Sa-
piéntia & fortitúdo Dómini
sunt: tibi, Deus, confi-
teor, teque laudo; qui
sapiéntiam & fortitúdinem
dedisti mihi. *Dan.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

QUæsumus, Dómine,
clementiam tuam; †
ut in hâc die quam festi-
vitáte beáti *N.* cōsecrasti,*
des nobis illam sequi do-
ctrínam, quam ille verbo
dócuit, & ópere complévit:
Per Dóminum.

COLLECTA. *Brev. Clun.*

EXcita, Dómine, inter-
cedente beáto *N.* tuó-
rum corda fidélium, † ut
sacris intenta doctrínis, *
& intélligant quod sequan-
tur, & sequendo fidéliter
apprehendant: Per Dómi-
num.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Cor.* 12.

UNicuíque datur mani-
festátio Spíritûs ad uti-
litátem: † álii quidem per
Spíritum datur sermo sa-
piéntiæ; * álii autem sermo
sciéntiæ secundùm eumdem
Spíritum.

℣. Os meum annuntiá-
bit justítiam tuam: ℟. To-

tâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Tim. 6.*

SI quis áliter docet, & non acquiéscit sanis sermónibus Dómini nostri Jesu Christi, † & ei quæ secundùm pietátem est, doctrínæ, * supérbus est, nihil sciens.

℣. A judíciis tuis non declinávi, Dómine; ℟. Quia tu legem posuísti mihi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Lectio. *I. Tim. 1.*

FInis præcepti est cáritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ, & fide non fictâ; † à quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vanilóquium, volentes esse legis doctóres, * non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui: ℟. In viâ testimoniórum tuórum delectátus sum. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. FUit gratus Deo; erudítus omni sapiéntiâ; & erat potens in verbis & in opéribus suis. *Act.* 7.

II. Juxta manum Dei sui bonam super se, parávit cor suum, ut investigáret legem Dómini, & fáceret, & docéret. *I. Esdr.* 7.

III. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia. *Eccl.* 39.

IV. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matth.* 5.

Lectio. *II. Tim. 2.*

COnfortáre in grátiâ quæ est in Christo Jesu, † & quæ audísti à me per multos testes, hæc commenda fidélibus homínibus; * qui idónei erunt & álios docére.

℟. *br.* Quanta audívimus, * Et cognóvimus ea! ℟. Quanta. ℣. Patres nostri narravérunt nobis. * Et cognóvimus ea. ℣. Glória. ℟. Quanta. *Ps.* 77.

Hymnus. O, qui perpétuus. *ut ad I. Vesp. pag.* xxxviij.

℣. Annuntiávi justítiam tuam in Ecclésiâ magnâ; ℟. Ecce lábia mea non prohibébo; Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

Ad Magníficat. *Ant.* Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

Lectio. *I. Tim. 6.*

DEpósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, & opposi-

tiónes falsi nóminis sciéntiæ, quam quidam promitténtes, circa fidem excidérunt.

℣. Narrábo nomen tuum frátribus meis: ℟. In médio Ecclésiæ laudábo te. *Ps.* 21.

COMMUNE *ABBATUM, MONACHORUM,* *ET ANACHORETARUM.*

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. POnet Dóminus desertum Sion quasi delícias, & solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. *Isai.* 51.

II. Habitábit in solitúdine judícium, & justítia in Charmel sedébit. *Isai.* 32.

III. Erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secúritas usque in sempitérnum. *Isai.* 32.

IV. Sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ. *Isai.* 32.

LECTIO. *II. Cor.* 6.

EXíte de médio eórum; & separámini, & immundum ne tetigéritis, dicit Dóminus; † & ego recípiam vos; & ero vobis in patrem, * & vos éritis mihi in fílios.

℟. *br.* Súscipe me secundùm elóquium tuum, * Et vivam; ℟. Súscipe. ℣. Non confundas me ab exspectatióne meâ. * Et. ℣. Glória. ℟. Súscipe. *Ps.* 118.

HYMNUS. *S. V.*

FElíces némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio sæcli
Mores læderet íntegros.
Ut te possídeant, quem sitiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléstia cógitat.
Nudi, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles óciùs ádvolant;
Ut vastum mare tranent,
Prudentes onus éxuunt.
Æternas ut opes, certaque gáudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confisi melióribus.
Illis summa fuit glória, déspici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis summa voluptas,
Longo supplício mori.
Fac nos, summe Deus, quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et tellúre relictâ,
Immortália quærere.

Patri

Patri máxima laus ; máxima Filio,
Amborumque sacro máxima Flámini,
Quo deserta petívit
Quondam ductus Homo-Deus. Amen.

Si sit Anachoreta.

HYMNUS. *S. V.*

QUid tu, relictis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? quid tu vides,
Solusque tecum cógitas?

Mentis volátu líbero,
Percurris ætернas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.

Præsens choris cœléstibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo Númini,
Totus colendo tu vacas.

Quàm pura, qui te díligunt,
O Christe, libant gáudia!
Te propter antris ábditos
Sinu recondis in tuo.

Qui sponte desertum petis,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. In umbrâ alárum tuárum sperábo, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 56.

Ad Magníficat. *Ant.* Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da paupéribus; & habébis thesaurum in cœlo: & veni, séquere me. *Matth.* 19.

Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Remuneratórem inquiréntibus se Deum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11.

Hymnus, Felíces némorum, *ut ad I. Vesperas.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Fúgite de terrâ Aquilónis, dicit Dóminus: ô Sion! fuge, quæ hábitas apud fíliam Babylónis. *Zach.* 2.

II. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte, aut quæ socíetas luci ad ténebras? exíte de médio eórum. *II. Cor.* 1.

III. Quicumque volúerit amícus esse séculi hujus, inimícus Dei constitúitur. *Jac.* 4

IV. Omnis ex vobis qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. *Luc.* 14.

V. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & fratres, & soróres, adhuc autem & ánimam suam, non potest meus esse discípulus. *Ibid.*

VI. Qui non bájulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discípulus. *Ibid.*

℣. Ecce elongávi fúgiens, ℟. Et mansi in solitúdine. *Ps.* 54.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Intráte per angustam portam quæ ducit ad vitam; quia lata porta ducit ad perditióně. *Matth.* 7.

II. Quid prodest hómini si mundum universum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentū patiátur? *Matth.* 16.

III. Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequátur me. *Matth.* 16.

IV. Nolíte timére, pusillus grex; quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. *Luc.* 12.

V. Véndite quæ possidétis, & date eleemósynam; fácite vobis thesaurum non deficientem in cœlis. *Ibid.*

VI. Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. *Ibid.*

℣. Cogitávi dies antíquos, ℟. Et annos æternos in mente hábui. *Ps.* 76.

LECTIO V.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Móribus Ecclésiæ Cathólicæ. *Edit. Bened. cap.* 31.

QUis non illos mirétur & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illécebris, in commúnem vitam castíssimam, sanctissimamque congregáti, simul ætátem agunt, viventes in oratiónibus, in lectiónibus, in disputatiónibus, nullâ supérbiâ túmidi, nullâ pervicáciâ turbulenti, nullâ invidéntiâ lívidi: sed modesti, verecundi, pacáti, concordíssimam vitam & intentíssimam in Deum, gratíssimum munus ipsi ófferunt, à quo ista posse meruérunt. Nemo quidquam póssidet próprium; nemo cuíquam onerósus est. Operantur mánibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impedíri non possit.

℟. Fúgite de médio Babylónis, * Et salvet unusquisque ánimam suam. ℣. Exíte de illâ, pópulus meus; ut ne partícipes sitis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. * Et salvet. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

LECTIO VI. *Cap.* 33.

CAritas præcípuè custoditur; caritáti victus, caritáti sermo, caritáti hábitus, caritáti vultus aptátur, coítur in unam conspiraturque caritátem; hanc violáre, tamquàm Deum, nefas dúcitur: huic si quid resistit, expugnátur atque ejicitur; hanc si quid offendit, unum diem duráre non sínitur. Sciunt ita commendátam esse à Christo & Apóstolis, ut si hæc una desit, inánia; si hæc adsit, plena sint ómnia.

℟. Vade, pópule meus, intra cubícula tua; claude óstia tua super te, abscóndere módicum ad momen-

tum, * Donec pertránseat indignátio. ℣. Veníte seorsùm in desértum locum, & requiéscite pusillùm. * Donec. *Isai.* 26. *Marc.* 6.

LECTIO VII.

Ex Libro tértio sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi adversùs oppugnatóres vitæ Monásticæ. *Edit. Bened.* n. 10.

VItæ genus cœlo dignum delegérunt, nec minórem Angélico statum óbtinent. Quemádmodū enim apud Angelos nulla est inæquálitas: neque álii prósperè, álii in extrémis malis versantur, sed omnes in unâ pace, lætítiâ & glóriâ: sic & his in locis, nemo paupertátem expróbrat, nemo de divítiis gloriátur: meum & tuum illud, quod ómnia subvertit & perturbat, pénitùs éxsulat. Omnia ipsis commúnia sunt, mensa, domicílium, vestimenta. Ecquid mirum, quando ipsa ánima una eademque ómnibus est? Omnes eâdem sunt nobilitáte nóbiles, eâdem servitúte servi, eâdem libertáte líberi. Unæ illìc ómnibus divítiæ, quæ verè divítiæ sunt: una glória, quæ verè glória: non enim nómine, sed re bona tenent; una voluptas, unum desidérium, una spes ómnibus; ac quasi quâdam normâ & librâ ómnia accurátè ordinantur.

℟. Multitúdinis erat cor unum & ánima una; * Nec quisquam eórum quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat, sed erant illis ómnia commúnia. ℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitáre fratres in unum! * Nec. *Act.* 4. *Ps.* 132.

LECTIO VIII.

NUlla inæquálitas, sed ordo, concínnitas, harmónia, & multa concórdiæ servandæ diligéntia, perpetúaque lætítiæ matéria. Quamóbrem omnes ómnia fáciunt, & patiuntur, ut lætentur & gáudeant. Illìc enim solùm vídeas hæc perfectè contíngere, nusquam álibi: non modò quòd præséntia ómnia contemnant, atque omnem rixæ ac discórdiæ matériā abscíderint, splendidâque futurórum spe fulti sint; sed étiam quòd ea quæ síngulis áccidunt, seu trístia, seu bona, ómnibus commúnia esse putentur.

℟. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta; * Ut invéniar in illo habens justítiam quæ ex fide est, configurátus morti ejus. ℣. Elégi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Philip.* 3. *Ps.* 83.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Isai.* 35.

Religiosæ solitudinis lætitia, securitas, & perpetua felicitas.

SCitiæ sunt in deserto aquæ, * & torrentes in solitúdine.

Et quæ erat árida, erit in stagnum, * & sítiens in fontes aquárum.

In cubílibus, in quibus priùs dracónes habitábant, * oriétur viror cálami & junci.

Et erit ibi sémita & via, & via sancta vocábitur: * non transíbit per eam pollútus.

Et hæc erit vobis directa via, * ita ut stulti non errent per eam.

II. Canticum. *Ibidem.*

NOn erit ibi leo, & mala béstia non ascendet per eam, * nec inveniétur ibi.

Et ambulábunt * qui liberáti fúerint.

Et redempti à Dómino convertentur; & vénient in Sion cum laude, * & lætítia sempiterna super caput eórum.

Gáudium & lætítiam obtinébunt, * & fúgiet dolor & gémitus.

III. Canticum. *Thren.* 3.

Animæ soli Deo adhærentis spes & fiducia.

PArs mea Dóminus, dixit ánima mea: * proptérea exspectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, * ánimæ quærenti illum.

Bonum est præstolári cum siléntio * salutáre Dei.

Bonum est viro, * cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ.

Sedébit solitárius, & tacébit; * quia levávit super se.

Ponet in púlvere os suum, * si fortè sit spes.

Ant. Ædificabuntur in te deserta seculórum, & erit quasi hortus irríguus. *Is.* 58.

℣. Plantáti in domo Dómini, ℟. In átriis domûs Dei nostri florébunt. *Ps.* 91.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. *Cap.* 4.

OBsecro vos, ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne, quâ vocáti estis, cum omni humilitáte, & mansuetúdine, cum patiéntiâ, supportantes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis. Unú corpus, & unus Spíritus, sicut vocáti estis in unâ spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis.

℟. Indúite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti,

víſcera miſericórdiæ, benignitatem, humilitátem, modéſtiam, patiéntiam; * Et pax Chriſti exſultet in córdibus veſtris. ℣. Super ómnia hæc caritátem habéte, quod eſt vínculum perfectiónis. * Et pax. *Coloſſ.* 3.

LECTIO X.

HOc ígitur dico, & teſtíficor in Dómino, ut jam non ambulétis, ſicut & gentes ámbulant in vanitáte ſensûs ſui, ténebris obſcurátum habentes intelléctum, alienáti à vitá Dei, per ignorántiam, quæ eſt in illis, propter cæcitátem cordis ipſórum, qui deſperantes, ſemetipſos tradidérunt impudicítiæ, in operatiónem immundítiæ omnis, in avarítiam. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum. Si tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt véritas in Jeſu: depónere vos ſecundùm deſidéria erróris. Renovámini autem ſpíritu mentis veſtræ, & indúite novum hóminem, qui ſecundùm Deum creátus eſt in juſtítiâ & ſanctitáte veritátis.

℟. Ego Dóminus Deus veſter: * Juxta conſuetúdinem terræ Ægypti in quâ habitaſtis, non faciétis. ℣. Nolíte conformári huic ſéculo; ſed reformámini in novitáte ſensûs veſtri. *Juxta. *Levit.* 18. *Rom.* 12.

LECTIO XI. *Cap.* 4. & 5.

OMnis ſermo malus ex ore veſtro non procédat; ſed ſi quis bonus ad ædificatiónem fidei, ut det grátiam audiéntibus. Et nolíte contriſtáre Spíritum ſanctum Dei: in quo ſignáti eſtis in diem redemptiónis. Omnis amaritúdo, & ira, & indignátio, & clamor, & blaſphémia tollátur à vobis, cum omni malítiâ. Eſtóte autem ínvicem benígni, miſericordes, donantes ínvicem, ſicut & Deus in Chriſto donávit vobis. Eſtóte ergo imitatóres Dei ſicut filii caríſſimi: & ambuláte in dilectióne, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & trádidit ſemetipſum pro nobis oblatiónem & hóſtiâ Deo in odórem ſuavitátis.

℟. Sitis omnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, miſericordes, modeſti, húmiles: * Quia in hoc vocáti eſtis, ut benedictióné hæreditáte poſſideátis. ℣. Caritáte fraternitátis ínvicem diligentes; honóre ínvicem prævenientes, ſollicitúdine non pigri, Spíritu ferventes, Dómino ſervientes. * Quia. *I. Petr.* 3. *Rom.* 12.

LECTIO XII.

Ex Epíſtolâ ejuſdem ad Philippenſes. *Cap.* 3.

IMitatóres meî eſtóte, fratres, & obſerváte eos qui ita ámbulant, ſicut

habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpè dicébam vobis, nunc autem & flens dico, inimícos crucis Christi: quorum finis intéritus; quorum Deus venter est; & glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cœlis est: unde étiam Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secundùm operatiónem, quâ étiam possit subjícere sibi ómnia.

℟. Exeámus ad Jesum extra castra, impropérium ejus portantes: * Non enim habémus hìc manentem civitátem, sed futúram inquírimus. ℣. Peregríni sumus coram te, Dómine, & ádvenæ, sicut omnes patres nostri. * Non enim. ℣. Glória. * Non enim. *Hebr.* 13. *I. Paral.* 29.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum. *Cap.* 19.

DIxit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim judicantes duódecim tribus Israel. Et omnis qui relíquerit domú, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. VIvo jam non ego; vivit verò in me Christus: quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei. *Galat.* 2.

II. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Galat.* 6.

III. Exui me stolâ pacis; índui autem me sacco obsecratiónis, & venit mihi gáudium à Sancto. *Baruch*, 4.

IV. Quæ retrò sunt oblivíscens, pérsequor ad bravium supernæ vocatiónis in Christo Jesu. *Philip.* 3.

V. In voce laudis immolábo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salúte Dómino. *Jon.* 2.

LECTIO. *Deut.* 7.

DOminus Deus ipse est fortis & fidélis, † custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus se, * & his qui custódiunt præcepta ejus in mille generatiónes.

℟. *br.* Quid mihi est in cœlo, * Et à te quid vólui super terram? ℟. Quid. ℣. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. * Et. ℣. Glória. ℟. Quid. *Ps.* 72.

HYMNUS. *S. V.*

O Pulchras acies, cástraque fórtia;
Quæ spes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege sub unâ,
Uno sub duce mílitant.
Heu! quantis rapiunt astra labóribus!
Pulsant perpetuis quéstibus æthera;
Per jejúnia longa
Vires córporis ádterūt.
Votis unanimes, vi quoque flétuum
Instant, & socias ingeminant preces,
Et concórdibus armis
Vim cœlo simul ínferunt.
Hæc vis grata Deo; sic amat óptimus
Vinci per lacrymas, per gemitus Pater:
Sic duris reserátur
Cœlum conditiónibus.
Fervent quando die cuncta tumúltibus,
Altùm turba silet; cætera dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa siléntia.
Exercet vigiles continuus labor;
Incumbunt operi non resides manus;
Tellus culta colónis
Victum suppeditat suis.
Quin regína suî, mens quoque súbditur,
Rectorisque studet nútibus óbsequi;
Nil servat sibi juris,
Capto liberior jugo.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborumque sacro máxima Flámini,
Quo deserta petívit
Quondam ductus Homo-Deus. Amen.

Si sit Anachoreta, Hymnus, Quid tu. *ut suprà ad I. Vesperas, pag.* xlix.

℣. Abscondit me Dóminus in tabernáculo suo: ℟. In die malórum protexit me. *Ps.* 26.

Ad Benedictus. *Ant.* Anima mea desiderávit te in nocte; sed & spíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te. *Isai.* 26.

Si sit Abbas.

COLLECTA. *Brev: Clun.*

DEus, cujus múnere beátus *N.* Abbas, ut perfectus esset, ómnia relíquit; † da cunctis evangélicæ perfectiónis sémitam ingressis, ut nec retrò respíciant, nec in viâ hæreant: * sed ad te sine offensióne currentes, vitam ætemam, ad quam vocáti sunt, apprehendant: Per Dóminum.

Si non sit Abbas.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui in sanctis hábitas, & pia corda non déseris; † líbera nos per intercessiónem beáti *N.* à terrénis desidériis & cupiditáte carnáli, * ut tibi soli Dómino líberis méntibus serviámus: Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Cor. 9.*

OMnis qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet; & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorruptam. † Ego ígitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi áerem vérberans; * sed castígo corpus meum, & in servitútem rédigo.

℣. Propter verba labiórum tuórum, Dómine, ℟. Ego custodívi vias duras. *Ps. 16.*

AD SEXTAM.

LECTIO. *Hebr. 12.*

OMnis discíplina, in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris; † póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam, * reddet justítiæ.

℣. Convertísti planctum meum in gáudium mihi; ℟. Conscidísti saccum meũ, & circumdedísti me lætítiâ. *Ps. 29.*

AD NONAM.

LECTIO. *Coloss. 3.*

VErbum Christi hábitet in vobis abundanter, in omni sapiéntiâ, † docentes, & commonentes vosmetipsos, in psalmis, hymnis & cánticis spirituálibus, * in grátiâ cantantes in córdibus vestris Deo.

℣. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, ℟. In loco peregrinatiónis meæ. *Ps. 118.*

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. SUmus húmiles in universâ terrâ, Dómine: sed in ánimo contríto & spíritu humilitátis suscipiámur; quóniam non est confúsio confidéntibus in te. *Dan. 3.*

II. Non derelínquimur, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes; ut & vita Jesu manifestétur in carne nostrâ mortáli. *II. Cor. 4.*

III. Quasi morientes, & ecce vívimus; quasi tristes, semper autem gaudentes; tamquàm nihil habentes, & ómnia possidentes. *II. Cor. 6.*

IV. Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui repromísit) & considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis & bonórum óperum. *Hebr. 10.*

LECTIO. *Coloss.* 3.

QUæ sursùm sunt sápite, non quæ super terram. † Mórtui enim estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. * Cùm Christus apparúerit, vita vestra; tunc & vos apparébitis cum ipso in glóriâ.

℟. Clamávi ad te, Dómine; * Dixi: Tu es spes mea. ℟. Clamávi. ℣. Pórtio mea in terrá vivéntium. * Dixi. ℣. Glória. ℟. Clamávi. *Ps.* 141.

Hymnus, Felices némorum. *ut suprà ad I. Vesperas, pag.* xlviij.

Si sit Anachoreta, Hymnus, Qui tu, relictis úrbibus. *ut ad I. Vesperas. pag.* xlix.

℣. Funes cecidérunt mihi in præcláris; ℟. Etenim hæréditas mea præclára est mihi. *Ps.* 15.

Ad Magníficat. *Ant.* Nemo est qui relíquerit domum, aut agros, propter me, qui non accípiat cénties tantùm in témpore hoc, & in século futúro vitam ætérnam. *Marc.* 10.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *II. Cor.* 5.

SCimus, quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternã in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatióné nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum; ℟. Quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei? *Ps.* 41.

COMMUNE

JUSTORUM.

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. TUrris fortíssima nomen Dómini; ad ipsum currit justus, & exaltábitur. *Prov.* 18.

II. Justórum sémita quasi lux splendens procédit & crescit usque ad perfectam diem. *Prov.* 4.

III. Qui sperant in Dómino, mutábunt fortitúdinem; current, & non laborábunt; ambulábunt, & non defícient. *Isai.* 40.

IV. Deridétur justi simplícitas; lampas contempta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus statútum. *Job,* 12.

LECTIO. *I. Petr.* 3.

QUi vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, coérceat linguam suam à malo, & lábia ejus ne loquantur dolum: † declinet à malo, & fáciat bonum; *

inquirat pacem, & sequátur eam.

℟. *br.* Justus Dóminus, * Et justítias diléxit. ℟. Justus. ℣. Æquitátem vidit vultus ejus. * Et justítias. ℣. Glória. ℟. Justus. *Ps.* 10.

Si sit Sacerdos,

HYMNUS. *Brev. Bituric.*

JAm satis fluxit cruor hostiárum,
Prístinæ cessent holocausta Legis;
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra ministri.

Elicit flammas Elias ab alto,
Mysta nunc major jubet, & potenti
Obsequens verbo, Deus astat aris
Hóstia factus.

Pingue libámen, novus & Sacerdos,
Orbe jam toto, Deus immolátur;
Se manu nostrâ litat incruento
Fúnere Christus.

Tale nil priscis pátribus tribútum
Angelis nusquam data par potestas:
Se manu nostrâ Deus ipse cunctis
Præbet in escam.

Christe, fac semper tua sacra puro
Corde tractémus, manibusque puris;
Cáritas aptos tua nos tremendis
Applicet aris.

Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerátur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inungis.

Amen.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: ℟. Ambulans in viâ immaculátâ, hic mihi ministrábat. *Ps.* 100.

Ad Magníficat. *Ant.* Notum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, & sanctos applicábit sibi; & quos elégerit appropinquábunt ei. *Num.* 16.

Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

Si non sit Sacerdos,

HYMNUS. *G. Ep. S.*

SUmmi pusillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite,
Sui paternus vos amor
Vult esse regni cómpotes.

En regnat inter cœlites,
Qui vixit olim sæculo
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, & sciens pati.

Angusta pœniténtiæ
Ingressus, & viam crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna non timet sequi.

Carnem terit jejúniis;
Linguam domat siléntio;
In páuperum, parcus sibi,
Abscondit & spargit sinu.

Sapóre verbi páscitur;
Totóque legem péctore

Scrutátus, orat pérvigil;
Mens celsa versátur polo.
Hâc surgit ad cœlum viâ;
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ.
Amen.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus;
℟. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39.

Ad Magníficat. *Ant.* Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilábitur viro sapienti, qui ædificávit domum suam supra petram. *Matth.* 7.

Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

Si sit Sacerdos, in Ps. Veníte. *Ant.* Sacerdótem in ætérnum Jesum Christum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 5.

Si non sit Sacerdos, in Ps. Veníte. *Ant.* Diligentem justos Dóminum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 145.

HYMNUS. S. V.

NOn parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruenta, quæ suos
Habent triumphos, prælia.
Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines:
Crudélis & durus sibi
Se morte lentâ cónficit.
Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori,
Hoc supplet omne cáritas.
Corpus subégit cástitas,
Et líberam mentem fides,
Amor supernis ígnibus
Totam libávit hóstiam.
Venis apertis ómnibus
Qui velit ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.
Da, Christe, sic nos vívere
Discámus ut semper mori,
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.
Ætérna justórum quies
Tibi, beáta Trínitas,
Sit summa laus, summum decus,
In sempitérna sécula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Ecce verè Israelíta, in quo dolus non est. *Joan.* 1.

II. Erat vir simplex & rectus ac timens Deum, & recédens à malo. *Job*, 1.

III. Custodívit ánimam suam, & memor fuit Dómini in toto corde suo. *Tob.* 1.

IV. Immóbilis in Dei timóre permansit, agens grátias Deo ómnibus diebus vitæ suæ. *Tob.* 2.

V. Benedíctio Dei in mercédem justi festinat, & in horâ velóci procéssus illíus fructíficat. *Eccli.* 11.

VI. Qui fidúciam habet meî, hæreditábit terram, & possidébit montem sanctum meum. *Is.* 59.

℣. Convertantur mihi timentes te, Dómine, ℟. Et qui novérunt testimónia tua. *Ps.* 118.

Lectiones cum Responsóriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. *Joan.* 8.

II. Nisi abundáverit justítia vestra, plusquàm Scribárum & Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth.* 5.

III. Omni vitâ tuâ dílige Dóminum, & invoca illum in salúte tuâ. *Eccli.* 13.

IV. Exerce teípsum ad pietátem; píetas ad ómnia útilis est, promissiónem habens vitæ, quæ nunc est, & futúræ. *I. Tim.* 4.

V. Communicátio fidei tuæ évidens fiat, in agnitióne omnis óperis boni. *Philem.*

VI. Non impediáris oráre semper, & ne vereáris usque ad mortem justificári; quóniam merces Dei manet in æternum. *Eccli.* 18.

℣. Ego in innocéntiâ meâ ingressus sum; ℟. Et in Dómino sperans, non infirmábor. *Ps.* 25.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Augustíni Epíscopi ad Macedónium. *Ep.* 155. *Ed. Ben.*

IN hâc vitâ virtus non est, nisi dilígere quod diligendum est. Id elígere, prudéntia est; nullis inde averti moléstiis, fortitúdo est; nullis illécebris, temperántia est; nullâ supérbiâ, justítia est. Quid autem eligámus quod præcípuè diligámus, nisi quo nihil mélius invenímus? Hoc Deus est, cui si diligendo áliquid vel præpónimus, vel æquámus, nos ipsos dilígere nescímus. Tantò enim nobis mélius est, quantò magìs in illum ìmus, quo nihil mélius est. Imus autē non ambulando, sed amando. Quem tantò habébimus præsentiórem, quantò eumdem amórem, quo in eum téndimus, potuérimus habére puriórem. Nec enim locis corporálibus vel exténditur, vel inclúditur. Ad eum ergo qui ubíque præsens est & ubíque totus, non pédibus ire licet, sed móribus.

℟. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me, quia mitis sum, & húmilis corde; & inveniétis réquiē animábus vestris: * Jugum enim meum suáve est, & onus meum leve. ℣. Interrogáte quæ sit via bona, & ambuláte in eâ; & inveniétis refrigérium animábus

vestris. * Jugum. *Matth.* 11. *Jerem.* 6.

LECTIO VI.

MOres autem nostri, non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod díligit, dijudicári solent. Nec fáciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amóres. Pravitáte ergo nostrâ, à rectitúdine Dei longè sumus. Unde rectum amando corrígimur, ut recto recti adhærére possímus. Ad illum ergo quantâ óperâ póssumus, étiam illi ut pervéniant agámus, quos tamquàm nosmetipsos dilígimus, si nosmetipsos dilígere illum diligendo jam nóvimus. Debet ergo homo & próximum diligere tamquàm seipsum, ut quem potúerit hóminem vel beneficéntiæ consolatióne, vel informatióne doctrínæ, vel disciplínæ coërcitióne, addúcat ad colendum Deū; sciens in his duóbus præceptis totam legem Prophetasque pendére.

℟. Pone thesaurum tuum in præceptis Altíssimi, * Et próderit tibi magis quàm aurum. ℣. Sectáre justítiā, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinē. * Et. *Eccli.* 29. *I. Tim.* 6.

LECTIO VII.

HOc qui sóbriâ discretióne éligit, prudens est; qui nullâ hinc afflictióne avértitur, fortis est; qui nullâ áliâ delectatióne, témperans est; qui nullâ elatióne, justus est. His virtútibus divínitùs impertítis, per grátiam mediatóris Dei cum Patre, & nobiscum hóminis Jesu Christi, per quem post inimicítias iniquitátis reconciliámur Deo in spíritu caritátis: his, inquam, virtútibus divínitùs impertítis, & bona vita nunc ágitur, & postcà præmium ejus, quæ nisi æterna esse non potest, beáta vita persólvitur.

℟. Omnis qui venit ad me, & audit sermónes meos, & facit eos, ostendam vobis cui símilis sit: * Símilis est hómini ædificanti domum, qui fodit in altum, & pósuit fundamentum super petram. ℣. Beátus homo, cui donátum est habére timórem Dei: qui tenet illum, cui assimilábitur? * Símilis est. *Luc.* 6. *Eccli.* 25.

LECTIO VIII.

HIc enim sunt eædem virtútes in actu, ibi in effectu: hìc in ópere, ibi in mercéde: hìc in officio, ibi in fine. Itaque omnes boni & sancti étiam in tormentis quibúslibet divíno fulti adjutório, spe illíus finis beáti vocantur, quo fine beáti erunt. Nam si in eisdem tormentis, & atrocíssimis dolóribus, semper essent cum quibúslibet virtútibus, eos esse míseros nulla sana rátio du-

bitáret. Pietas ígitur, id est, verus veri Dei cultus ad ómnia prodest, & quæ moléstias hujus vitæ avertat aut léniat, & quæ ad illam vitam salutemque perdúcat; ubi nec áliquid jam mali patiámur, & bono summo sempiternóque perfruámur.

℟. Quantò magnus es, humília te in ómnibus; & coram Deo invénies grátiam, * Quóniam magna poténtia Dei solíus, & ab humílibus honorátur. ℣. Deus supérbis resístit; humílibus autem dat grátiam; humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in témpore visitatiónis. * Quónia. ℣. Glória. * Quóniam. *Eccli.* 3. *I. Petr.* 5.

IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Eccli.* 2.

Deus timentibus se benignè propitius. Væ incredulis & infidelibus.

Qui timétis Dóminum, crédite illi; * & non evacuábitur merces vestra.

Qui timétis Dóminum, speráte in illum; * & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia.

Qui timétis Dóminum, dilígite illum,* & illuminabuntur corda vestra.

Respícite, fílii, natiónes hóminum; * & scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est.

Quis enim permansit in mandátis ejus, & derelíctus est? * aut quis invocávit eum, & despexit illum?

Quóniam pius & miséricors est Deus, & remittet in die tribulatiónis peccáta; * & protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte.

II. Canticum. *Ibid.*

Væ dúplici corde, & lábiis scelestis, & mánibus malefaciéntibus, * & peccatóri terram ingrediénti duábus viis.

Væ dissolútis corde, qui non credunt Deo; * & ideò non protegentur ab eo.

Væ his, qui perdidérunt sustinéntiam, & qui dereliquérunt vias rectas, * & divertérunt in vias pravas.

Et quid fácient, * cùm inspícere cœperit Dóminus?

III. Canticum. *Ibid.*

Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus: * & qui díligunt illum, conservábunt viam illíus.

Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita sunt ei; * & qui díligunt eum, replebuntur lege ipsíus.

Qui timent Dóminum, præparábunt corda sua, * & in conspectu illíus sanctificábunt ánimas suas.

Qui timent Dóminum, custódiunt mandáta illíus, *

& patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem illíus,

Dicentes: Si pœniténtiam non egérimus, * incidémus in manus Dómini; & non in manus hóminum.

Secundùm enim magnitúdinem ipsíus, * sic & misericórdia illíus cum ipso est.

Ant. Mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritûs, perficientes sanctificatiónem in timóre Dei. *II. Cor.* 7.

℣. Beátus vir qui timet Dóminum, ℟. In mandátis ejus volet nimìs. *Ps.* 111.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Cap. 12.

OBsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic século, sed reformámini in novitáte sensûs vestri, ut probétis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta. Dico enim per grátiam quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos: Non plus sápere quàm oportet sápere, sed sápere ad sobrietátem; & unicuíque sicut Deus divísit mensúram fidei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra.

℟. Qui obtúrat aures suas, ne áudiat sánguinem, & claudit óculos suos ne vídeat malum, * Iste in excelsis habitábit: Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus. ℣. Qui lóquitur veritátem in corde suo, qui non egit dolum in linguâ suâ, nec fecit próximo suo malum. * Iste. *Isai.* 33. *Ps.* 14.

LECTIO X.

DIléctio sine simulatióne: odientes malum, adhærentes bono: caritáte fraternitátis ínvicem diligentes: honóre ínvicem prævenientes: sollicitúdine non pigri: spíritu ferventes; Dómino servientes; spe gaudentes; in tribulatióne patientes; oratióni instantes; necessitátibus sanctórum communicantes; hospitalitátem sectantes. Benedícite persequéntibus vos: benedícite, & nolíte maledícere. Gaudéte cum gaudéntibus, flete cum fléntibus: idípsum ínvicem sentientes: non alta sapientes; sed humílibus consentientes: nolíte esse prudentes apud vosmetipsos: nulli malum pro malo reddentes: providentes bona, non tantùm coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus.

℟. Accessérunt ad Jesum discípuli ejus : & apériens os suum, docébat eos, dicens : * Beáti páuperes spíritu ; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. ℣. Ad quem respíciam, nisi ad paupérculum, & contrítum spíritu, & trementem sermónes meos ? * Beáti. *Matth.* 5. *Isai.* 66.

LECTIO XI.

Ex Epístolâ secundâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 1.

GRátia vobis & pax adimpleátur in cognitióne Dei, & Christi Jesu Dómini nostri: quómodò ómnia nobis divínæ virtútis suæ, quæ ad vitam & pietátem donáta sunt, per cognitiónem ejus, qui vocávit nos, própriâ glóriâ & virtúte, per quem máxima & pretiósa nobis promissa donávit: ut per hæc efficiámini divínæ consórtes natúræ : fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem.

℟. Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus ; * Et mandáta ejus grávia non sunt. ℣. Nihil dúlcius quàm respícere in mandátis Dómini. * Et mandáta. *I. Joan.* 5. *Eccli.* 23.

LECTIO XII.

VOs autem curam omnem subinferéntes, ministráte in fide vestrâ virtútem, in virtúte autem sciéntiam, in sciéntiâ autem abstinéntiam, in abstinéntiâ autem patiéntiam, in patiéntiâ autem pietátem, in pietáte autem amórem fraternitátis, in amóre autem fraternitátis caritátem. Hæc enim, si vobiscum adsint, & súperent, non vácuos, nec sine fructu vos constítuent in Dómini nostri Jesu Christi cognitióne. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliviónem accípiens purgatiónis véterum suórum delictórum. Quaproptér, fratres, magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis: hæc enim facientes, non peccábitis aliquandò. Sic enim abundanter ministrábitur vobis intróitus in ætemum regnum Dómini nostri & Salvatóris Jesu Christi.

℟. Ego in justítiâ apparébo conspéctui tuo, Dómine : * Satiábor, cùm apparúerit glória tua. ℣. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cógnitus sum. * Satiábor. ℣. Glória. * Satiábor. *Ps.* 16. *I. Cor.* 13.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 12.

DIxit Jesus discípulis suis : Nolíte timére, pusillus grex ; quia complácuit Patri vestro dare vobis

regnum. Véndite quæ possidétis, & date eleemósynam. Fácite vobis sácculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quò fur non appró-piat, neque tínea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. QUi servat verbum Christi verè in hoc cáritas Christi perfecta est. *I. Joan.* 2.

II. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. *I. Joan.* 3.

III. Qui facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum. *Matth.* 7.

IV. Regnum cœlórum vim pátitur, & violenti rápiunt illud. *Matth.* 11.

V. Conténdite intráre per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intráre, & non póterunt. *Luc.* 13.

Lectio. *Philip.* 2.

OMnia fácite sine murmuratiónibus, & hæsitatiónibus: † ut sitis sine querélâ, & símplices filii Dei, sine reprehensióne, in médio natiónis pravæ & perversæ: * inter quos lucétis sicut luminária in mundo: verbũ vitæ continentes.

℟. *br.* Lucerna pédibus meis * Verbum tuum, Dómine. ℟. Lucerna. ℣. Et lumen sémitis meis. * Verbum. ℣. Glória. ℟. Lucerna. *Ps.* 118.

Hymnus. *S. V.*

QUi te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus suî.

Quid ergo gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retardas éxsules,
Cives polo quos déstinas.

Hinc fervet in dies amor;
In vota toti dífflüunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.

Vix iste tardi córporis
Pondus molestum sústinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo se júngere.

Æterna justórum quies,
Tibi, beáta Trínitas,
Sit summa laus, summum decus,
In sempiterna sécula. Amẽ.

Si sit Sacerdos, ℣. Emitte lucem tuam, & veritátem tuam, Dómine, ℟. Ipsa me deduxérunt & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua. *Ps.* 42.

Ad Benedictus. *Ant.* Fidúciam habémus per Christum ad Deum, qui & idóneos nos fecit ministros novi testamenti, non litterâ, sed spíritu. *II. Cor.* 3.

COLLECTA. *Br. Parif.*

DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut Sacerdótio tibi fungerétur, á pópulo segregasti; † ejus nos intercessióne secerne à peccatóribus, * & cum electis tuis regále tibi sacerdótium constítue: Per Dóminum.

Si non sit Sacerdos, ℣. Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætítia. *Ps.* 96.

Ad Benedictus. *Ant.* Qui facit veritátem, venit ad lucem, ut manifestentur ópera ejus; quia in Deo sunt facta. *Joan.* 3.

COLLECTA.

Miss. Gall. Vet.

DEus, qui es misséricors in opéribus, justus in judíciis, largus in donis, † multíplica super nos misericórdiam tuam; * & quia tu nobis es bonórum causa meritórum, Sancto *N.* intercedente, custódi quod tríbuis, ut invénias quod corónes: Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Galat.* 5.

VOs in libertátem vocáti estis, fratres: † tantùm ne libertátem in occasiónem detis carnis, sed per caritátem Spíritûs servíte ínvicem: * omnis enim lex in uno sermóne implétur: Díliges próximum tuum sicut teipsum.

℣. Díriget Dóminus mansuétos in judício: ℟. Docébit mites vias suas. *Ps.* 24.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Jac.* 1.

QUi perspéxerit in legem perfectam libertátis & permánserit in eâ, † non audítor obliviósus factus, sed factor óperis; * hic beátus in facto suo erit.

℣. Servávi mandáta tua & testimónia tua; ℟. Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Ps.* 118.

AD NONAM.

LECTIO. *Coloss.* 1.

NOn cessámus pro vobis orantes & postulantes, ut impleámini agnitióne voluntátis Dei in omni sapiéntiâ & intellectu spiritáli: † ut ambulétis dignè Deo per ómnia placentes: * in omni ópere bono fructificantes, & crescentes in sciéntiâ Dei.

℣. Beáti qui custódiunt judícium, ℟. Et fáciunt justítiam in omni témpore. *Ps.* 105.

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. MUndus transit, & cōcupiscéntia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in ætemum. *I. Joan.* 2.

II. Expectátio justórum lætítia; spes autem impiórum períbit. *Prov.* 10.

III. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectántibus te. *Isai.* 64.

IV. Inventus est sine máculâ, & perfectus est; erit illi glória ætérna. *Eccli.* 31.

Lectio. *Galat.* 6.

QUæ semináverit homo, hæc & metet. † Quóniam qui séminat in carne suâ, de carne & metet corruptiónem; *qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam.

℟. *br.* Qui séminant in lácrymis, * In exsultatióne metent. ℟. Qui. ℣. Euntes ibant & flebant, mittentes sémina sua. * In. ℣. Glória. ℟. Qui. *Ps.* 125.

Si sit Sacerdos, Jam satis fluxit. *ut ad I. Vesp. pag.* lviij.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exsultent. *Ps.* 131.

Ad Magníficat. *Ant.* Operátus est bonum & rectum, & verum coram Dómino Deo suo, in universâ cultúrâ ministérii domûs Dómini; fecitque & prosperátus est. *II. Paral.* 31.

Si non sit Sacerdos, *Hymnus*, Summi pusillus. *ut ad I. Vesp. pag.* lviij.

℣. Non privábit bonis Dóminus eos qui ámbulant in innocéntiâ: ℟. Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te. *Ps.* 83.

Ad Magníficat. *Ant.* Qui díligunt te, Dómine, sicut sol in ortu suo splendet, ita rútilent. *Judic.* 5.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

Lectio. *Philip.* 4.

FRatres, quæcúmque sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte.

℣. Omnia judícia Dómini in conspectu meo: ℟. Et justítias ejus non répuli à me. *Ps.* 17.

COMMUNE *VIRGINUM.*

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ.

I. QUid Dómini bonum est, & quid pulchrũ ejus, nisi frumentum electórum, & vinum gérminans vírgines? *Zach.* 9.

II. Dabo eis nomen mélius à fíliis & filiábus; nomen sempitérnum dabo eis, quod non períbit. *Isai.* 56.

III. Quæ nescívit thorũ in delicto, habébit fructum in respectióne animárum sanctárum. *Sap.* 3.

IV. Dábitur illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptíssima. *Sap.* 3.

LECTIO. *I. Cor.* 7.

UNusquisque próprium donum habet ex Deo, álius sic, álius verò sic: † dico autem non nuptis & víduis, * bonum est si sic permáneant.

℟. *br.* Afferentur Regi Vírgines * In exsultatióne. ℟. Afferentur. ℣. Adducentur in templum Regis. * In. ℣. Glória. ℟. Afferentur. *Ps.* 44.

Si sit Martyr,

HYMNUS. *S. V.*

FEstis læta sonent æthera cántibus;
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici, dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

Vestris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

Sed quid cogis, amor? Fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem;
Oblíti méminit tunc benè córporis,
Præclaræ sítiens necis.

Sic quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna sui córporis íntegram
Testári Dómino fidé.

Patri máxima laus, máxima Fílio
Amborumque sacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia sustinent,
Spreto fúnere, Vírgines. Amen.

℣. Deus præcinxit me virtúte, ℟. Et pósuit immaculátam viam meam. *Ps.* 17.

Ad Magníficat. *Ant.* Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. *I. Cor.* 1.

Collecta, ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

Si non sit Martyr,

HYMNUS. *S. V.*

VOs ô Virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite láudibus.

Hæc est sacra dies, óbvia quâ suo
Cum plenâ rútilans lámpade júngitur
Sponso, stansque throno próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

Solo digna Deo cónjuge, réspuit
Mortáles thálamos; ut semel óbligat
Sese fida suo, quem benè déperit,
Ultrò se Deus óbligat.

Purum ne máculent pectus imágines,
In se tota sui córporis ímmemor
Mens sese récipit; nil óculi vident,
Surdis nil sonat áuribus.
Ægro vix sua sunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam sibi prærípit;
Unus sit Deus ómnia.
Fac, ô Christe, tuæ Vírginis æmulos
Hâc nos ire tibi, quâ gráditur viâ;
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris
Fac soli tibi vívere.
Da te, summe Pater, tóllere láudibus:
Da te, Christe, sequi, láurea Vírginum,
Fac incensa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora. Amen.

℣. Hærédítas immaculatórum in ætérnum erit:
℟. Non confundentur in témpore malo. *Ps.* 36.

Ad Magníficat. *Ant.* Complácuit Dómino in te, & gaudébit super te Deus tuus. *Is.* 62.

Collecta, ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Venite. *Ant.* Agnum, quem sequuntur Vírgines, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14.

Si sit Martyr,

HYMNUS. *S. V.*

Virginum robur, Deus, atque custos;
Sexus imbellis, médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes.
Pro tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non suos sentit, memor ô! tuórum,
Christe, dolórum.
Non graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem;
Quin sacri crescit magìs obstinátus
Ardor amóris.
Sponsa dilécto placitúra sponso
Déspicit ruptum laniáta corpus:
Est suus truncis honor, & venustas
Est sua membris.
Omnis à Recto fluit ille splendor:
Christe, sic olìm, cruce tensus altâ,
Obsequens Patri, láceros placébas
Hórridus artus.
Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriusque Nexus;

Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis. Amē.

Si non sit Martyr,

HYMNUS. *S. V.*

CŒlestis aula pánditur;
En sponsus; omnes óbviæ,
Exíte sponso Vírgini,
Exíte, sponsæ Vírgines.

Hæc nuptiális est dies,
Quæ, lónga post suspíria,
Dat ómnibus, dat síngulis,
Jam pléniùs frui Deo.

Quæ casta vobis gáudia,
Quos afflet ignes, dícite,
Ab ore cujus púrior
Torrens voluptas éffluit?

Hunc propter unum víluit
Superba Regum púrpura:
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?

O virginàles núptiæ
Per quas caro fit spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!

Æterne sponse vírginum,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula. Amē.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Oleum effúsum nomen tuum; ídeò adolescentulæ dilexérunt te. *Cant.* I.

II. Post te curremus, in odórem unguentórum tuórum. *Ibid.*

III. Exsultábimus & lætábimur in te; recti díligunt te. *Ibid.*

IV. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea; bonus est ánimæ quærenti illum. *Thren.* 3.

V. In perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

VI. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus. *Sap.* 4.

℣. Cor meum & caro mea ℟. Exsultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? *I. Cor.* 6.

II. Secundùm expectatiónem & spem meam magnificábitur Christus in córpore meo. *Philip.* I.

III. Relígio munda apud Deum & Patrem hæc est, immaculátum se custodíre ab hoc século. *Jac.* I.

IV. Fructus Spíritûs est, cáritas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas. *Gal.* 5.

V. Si spíritu vívimus, spíritu & ambulémus. *Ibid.*

VI. Deus reddet iis qui secundùm patiéntiam boni óperis incorruptiónē quærunt, vitam æternā. *Rom.* 2.

℣. Quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? ℟. Et substántia mea apud te est. *Ps.* 38.

LECTIO V.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de hábitu Vírginum. *Edit. Baluz.*

NUnc nobis ad Vírgines sermo est; quarum quò sublímior glória, major & cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornamentum grátiæ spirituális, læta índoles, laudis & honóris opus íntegrum atque incorruptũ, Dei imágo respondens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris glorióse fœcúnditas: quantóque plus copiósa virgínitas número suo addit, tantò plus gáudium matris augescit.

℟. Audi, filia, & vide; & inclína aurem tuam, & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui; * Et concupiscet Rex decórem tuum. ℣. Juvenília desidéria fuge; sectáre verò justítiam, fidem, spem, caritátem, & pacem cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. *Ps.* 44. *II. Tim.* 2.

LECTIO VI.

Ex Apológiâ sancti Athanásii Epíscopi ad Constántium Imperatórem. *Edit. Bened. n.* 33.

DEi Fílius, Dóminus & Salvátor noster Jesus Christus, propter nos homo factus, qui mortem abrogávit, nostrumque genus à servitúte corruptiónis liberávit, cum áliis ómnibus donis suis illud quoque nobis impertívit, ut Angelórum imáginem in terrâ haberémus, nempè virginitátem. Eas sanè quæ hâc virtúte prædítæ sunt, sponsas Christi vocáre consuévit cathólica Ecclésia: has éthnici cùm vident, ut templum Verbi admirantur: certum quippe est nusquàm hanc venerandam ac cœlestem professiónem éxcoli, nisi dumtaxàt apud nos Christiános. Hoc enim máximum est argumentũ, certam ac veram apud nos esse religiónem.

℟. Múlier innupta & virgo, * Cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. ℣. Felix est stérilis & incoinquináta, quæ nescívit thorum in delícto. * Cógitat. *I. Cor.* 7. *Sap.* 3.

LECTIO VII.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi, de sanctâ Virginitáte. *Edit. Bened. cap.* 53.

HOc ágite, Vírgines Dei, hoc ágite; sequímini Agnum quocumque íerit. Sed priùs ad eum quem sequámini veníte, & díscite; quóniam mitis est & húmilis corde. Humíliter ad húmilem veníte, si amátis; & ne discedátis ab illo, ne cadátis. Qui enim timet ab

illo diſcédere, rogat & dicit: Non véniat mihi pes ſupérbiæ. Pérgite viam ſublimitátis, pede humilitátis. Ipſe exaltat humíliter ſequentes, quem deſcéndere non píguit ad jacentes. Dona ejus illi ſervanda commíttite; fortitúdinem veſtram ad illum cuſtodíte. Quidquid mali ipſo cuſtodiente non commíttitis, tamquàm remiſſum ab illo deputáte: ne módicum vobis exiſtimantes dimiſſum, módicùm diligátis, & tundentes péctora publicános ruinóſâ jactántiâ contemnátis. De víribus veſtris expertis cavéte, ne, quia ferre áliquid potuiſtis, inflémini: de inexpertis autē oráte, ne ſuprà quàm poteſtis ferre tentémini.

℟. Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te, Dómine: * Mihi adhærére Deo bonum eſt, pónere in Dómino Deo ſpem meam. ℣. Qui adhæret Dómino, unus ſpíritus eſt. * Mihi. *Pſ.* 72. *I. Cor.* 6.

LECTIO VII.

Ex Epíſtolâ ad Vírginem Demetríadem. *Inter Opera S. Leonîs, Edit. Pariſ. cap.* 17.

HUmílitas ómnium virtútum inexpugnábilis fortitúdo, & quædam ſuórum eſt vita membrórum. Diſcérnimus enim illam ab iis officiis, quæ poteſt étiam cum mundi ſapiéntibus habére commúnia: & in ea proprietátem ipsíus definímus: Quòd per ómnia Deo ſúbditur. Nec poteſt quidquam de méritis ſuis pérdere, quorum cauſas atque profectus non in ſe, ſed in ſuo autóre conſtítuit. Dignum quippe eſt, ut imágo Dei Deo ſpléndeat, & inde pulchra, inde ſit compta. Alióquin adúltera eſt, & à divino aliéna conjúgio, ſi altérius cujuſquam decórem in ſpéculo ſui cordis oſtendat, aut ullis áliis monílibus acquieſcit ornári, niſi illis quæ de theſauris Sponſi per ſancti Spíritûs pignus accépit.

℟. Totus deſiderábilis, talis eſt dilectus meus; * Et ipſe eſt amícus meus, filiæ Jerúſalem. ℣. Vivo, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. * Et ipſe. ℣. Glória. * Et ipſe. *Cant.* 5. *Galat.* 2.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Cant.* 2.

Laus virginitatis; Eccleſiæ typus.

EGo flos campi, * & lílium convállium.

Sicut lílium inter ſpinas, * ſic amíca mea inter fílias.

Sicut malus inter ligna ſilvárum, * ſic dilectus meus inter fílios.

Sub umbrâ illíus quem deſideráveram, ſedi; * & fructus

fructus ejus dulcis gútturi meo.

Introduxit me in cellam vináriam : * ordinávit in me caritátem.

II. Canticum. *Ibidem.*

EN diléctus meus lóquitur mihi : * Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, & veni.

Jam enim hiems tránsiit ; * imber ábiit, & recessit :

Flores apparuérunt in terrâ nostrâ ; * tempus putatiónis advénit :

Vox túrturis audíta est in terrâ nostrâ : * ficus prótulit grossos suos :

Víneæ florentes dedérunt odórem suum : * surge, amíca mea, speciósa mea, & veni.

III. Canticum. *Cant.* 8.

POne me ut signáculum super cor tuum, * ut signáculum super bráchium tuum :

Quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio : * lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritáté,* nec flúmina óbruent illam :

Si déderit homo omnem substántiam domûs suæ pro dilectióne, * quasi nihil despíciet eam.

Ant. Cantábant Vírgines cánticum novum ante sedem Dei & Agni. *Apoc.* 14.

℣. Immísit Dóminus in os meum cánticum novum,

℟. Carmen Deo nostro. *Ps.* 39.

Lectio IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 7.

DE Virgínibus præceptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquàm misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instanté necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri ? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre ? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccasti. Et si núpserit virgo, non peccávit : tribulatióné tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco.

℟. Súscipe me, Dómine, secundùm elóquium tuum, & vivam ; & * Non confundas me ab expectatióne meâ. ℣. Defécit caro mea & cor meum : Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum. * Non. *Ps.* 118, & 72.

Lectio X.

HOc ítaque dico, fratres : Tempus breve est ; réliquum est, ut & qui habent uxóres, tam-

quàm non habentes sint: & qui flent, tamquàm non flentes; & qui gaudent, tamquàm non gaudentes; & qui emunt, tamquàm non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquàm non utantur: prætérit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse.

℟. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, * Quia fortis est ut mors diléctio. ℣. Neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei. * Quia. *Cant.* 8. *Rom.* 8.

LECTIO XI.

QUi sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, & divísus est. Et múlier innupta, & virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico: non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultátem præbeat sine impedimento Dóminum obsecrandi.

℟. Dábitur illi sors in templo Dei acceptíssima; * Bonórum enim labórum gloriósus est fructus. ℣. Beáti mundo corde; quóniam ipsi Deum vidébunt. * Bonórum. *Sap.* 3. *Matth.* 5.

LECTIO XII.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine suâ, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult, fáciat; non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, & hoc judicávit in corde suo serváre vírginem suam, benè facit. Igitur & qui matrimónio jungit vírginē suam, benè facit; & qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit: quòd si dormíerit vir ejus, liberáta est: cui vult, nubat; tantùm in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit, secundùm meum consílium: puto autem quòd & ego Spíritum Dei hábeam.

℟. Gaudens gaudébo in Dómino, & exsultábit ánima mea in Deo meo; * Quia índuit me vestiméntis salútis; & induménto justítiæ circúmdedit me. ℣. Magnificáte Dóminum mecum; & exaltémus nomen ejus in idipsum. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Isai.* 61. *Psalm.* 33.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 25.

DIxit Jesus discípulis suis: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipientes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: sed quinque fatuæ acceptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum, prudentes verò accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes, & dormiérunt. Médiâ autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit; exíte óbviàm ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, & ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro; quia lámpades nostræ extinguuntur. Respondérunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite pótiùs ad vendentes, & émite vobis. Dùm autem irent émere, venit sponsus; & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, & clausa est jánua. Novíssimè verò véniunt réliquæ vírgines, dicentes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. ANima mea liquefacta est, ut dilectus meus locútus est. *Cant.* 5.

II. Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimittam. *Cant.* 3.

III. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6.

IV. Pater meus, & dux virginitátis meæ tu es, Dómine. *Jerem.* 3.

V. Grátia cum ómnibus qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum in incorruptióne. *Ephes.* 6.

LECTIO. *Sap.* 8.

SCivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det; † & hoc ipsum erat sapiéntiæ, * scire cujus esset hoc donum.

℟. *br.* Psallam & intélligam * In viâ immaculátâ. ℟. Psallam. ℣. Perambulábam in innocéntiâ cordis mei. * In viâ. ℣. Glória. ℟. Psallam. *Ps.* 100.

Si sit Martyr,

HYMNUS. *S. V.*

QUid sacram, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempè non unum gémino reportas
Hoste triumphum.

Móllior fregit neque te voluptas,
Impotens flexit neque te tyrannus;
Tu graves pœnas, pariterque blandos
Vincis amóres.

Líliis sponsus récubat, rosísque;
Tu tuo semper bene fida sponso,
Et rosas Martyr, simul & dedisti
Lília Virgo.

Summa laus Patri; genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Nexus,
Vírginum per quem sacra Corda puris
Ignibus ardent.
Amen.

℣. Deduxisti me, Dómine, quia factus es spes mea; ℟. Turris fortitúdinis à fácie inimíci. *Ps.* 60.

Ad Benedictus. *Ant.* Factus est Dóminus firmamentum meum; liberávit me, quia complácui ei; secundùm munditiam mánuum meárum reddet mihi. *II. Reg.* 22.

Collecta. *Brev. Paris.*

Deus, qui inter cætera poténtiæ tuæ miracula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti; † concéde propítius, ut beatæ *N.* Vírginis & Mártyris tuæ cujus passiónem cólimus, * victrícem quoque patiéntiam imitémur: Per Dóminum.

Si non sit Martyr,

Hymnus. *G. Ep. S.*

Non vana dilectum gregem
Pavêre mundi gáudia,
Nec pura fallax péctora
Imágo lusit séculi.

Sed hæc tuárum própria
Sunt, Christe, sponsárum bona,
Te semper & tecum tuis
In te potíri gáudiis.

Castis vicíssim tu tibi
In córdibus thorum struis;
Interque flammas íntimo
Amans quiescis in sinu.

Hic unus est sponsis amor,
Unusque tecum spíritus;
Beasque solus síngulas,
In teque transformas, Deus.

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsùs ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Sit laus Patri, laus Filio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.
Amen.

℣. Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, Dómine; ℟. Ut non confúndar. *Ps.* 118.

Ad Benedictus. *Ant.* Tu scis, Dómine, quia nunquàm concupívi virum, & mundam servávi ánimam meam ab omni concupiscéntiâ. *Tob.* 3.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

Castimóniæ pacem méntibus nostris, atque corpóribus, intercedente sanctâ *N.* Vírgine tuâ, Dó-

mine, propitiátus indulge; † ut veniente sponso Fílio tuo unigénito, * accensis lampádibus, ejus digni præstolémur occursum: Per eumdem.

AD TERTIAM.

LECTIO. *II. Cor.* 11.

ÆMulor vos Dei æmulatióne: † despondi enim vos uni viro, * vírginem castâ exhibére Christo.

℣. Sitívit in te ánima mea, ℟. Quàm multipliciter tibi caro mea! *Ps.* 62.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Cor.* 7.

MUlier innupta & virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu: † quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, * quómodò pláceat viro.

℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram. *Ps.* 26.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Cor.* 6.

AN nescítis quóniam membra vestra templum sunt Spíritûs Sancti, qui in vobis est, quem habétis à Deo, & non estis vestrì? † Empti enim estis prétio magno. * Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro.

℣. Cantábo tibi, Dómine: ℟. Psallam & intélligam in viâ immaculátâ. *Ps.* 100.

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. VIrgines accipientes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. *Matth.* 25.

II. Prudentes accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus, & ornavérunt lámpades suas. *Matth.* 25.

III. Médiâ nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit; exíte óbviàm ei. *Matth.* 25.

IV. Venit sponsus; & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25.

LECTIO. *Apoc.* 19.

REgnávit Dóminus Deus noster omnípotens: † gaudeámus, & exsultémus; & demus glóriam ei; * quia venérunt núptiæ Agni.

℟. *br.* Júvenes & vírgines *Laudent nomen Dómini. ℟. Júvenes. ℣. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. * Laudent. ℣. Glória. ℟. Júvenes. *Ps.* 148.

Si sit Martyr, Hymnus, Festis læta sonent. *ut ad I. Vesperas, pag.* lxviij.

℣. Retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, ℟. Et secundùm puritátem mánuum meárum in conspectu oculórum ejus. *Ps.* 17.

Ad Magníficat. Ant. Casta generátio in perpétuum

coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum prǽmium vincens. *Sap.* 4.

Si non sit Martyr, Hymnus, Vos, ô Vírgines. *ut ad I. Vesp. pag.* lxviij.

℣. Me propter innocéntiam suscepísti, ℟. Et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum. *Ps.* 40.

Ad Magníficat. *Ant.* In resurrectióne, neque nubent, neque nubéntur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

Lectio. *I. Cor.* 7.

DE Virgínibus præcéptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tamquàm misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis.

℣. Beáti immaculáti in viâ, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118.

COMMUNE

Sanctarum

MULIERUM.

AD I. VESPERAS.

Antiphonæ ut infrà ad Laudes, quartâ omissâ. pag. lxxxiv.

Lectio. *I. Cor.* 11.

VOlo vos scire quòd omnis viri caput Christus est: † caput autem mulíeris, vir: * caput verò Christi, Deus.

℟. *br.* Perambulábam in innocéntiâ cordis mei. * In médio domus meæ. ℟. Perambulábam. ℣. Non proponébam ante óculos meos rem injustam. * In. ℣. Glória. ℟. Perambulábam. *Ps.* 100.

Hymnus. *S. V.*

ADeste, sanctæ Cónjuges;
En illa fortis fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Inter triumphat cœlites.

Non vana pompa sǽculi
Sensus fefellit, nec malis
Gliscens volúptas ártibus
Viríle pectus mólliit.

Prodesse quærit ómnibus,
Curis honestis ánxia;
Patróna, custos vírginum,
Secunda mater órphanis.

Pannis laténtem vílibus
Christum fovébat hóspité:
Quas dura subtraxit sibi,
Opes refúndit pródiga.

Pascenda cœlesti cibo,
Sacris studébat lítteris;
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curam domûs.

Pacem domi, pacem foris
Alto colit siléntio;
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.

Divína proles féminæ,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

Si sit Martyr, ℣. Misericórdia tua, Dómine, sub-

sequétur me, ℟. Omnibus diébus vitæ meæ. *Ps.* 22.

Ad Magníficat. *Ant.* Deus cœlórum, exaudi me deprecantem, & de tuâ misericórdiâ præsumentem; ut gentes agnoscant quia tu es Deus, & non est álius præter te. *Judith,* 9.

Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

Si non sit Martyr, ℣. Misericórdia tua, Dómine, ante óculos meos est, ℟. Et complácui in veritáte tuâ. *Ps.* 25.

Ad Magníficat. *Ant.* Exsultávit cor meum in Dómino, & dilatátum est cor meum: quia lætáta sum in salutári tuo. *I. Reg.* 2.

Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Deum, in quo sperant sanctæ Mulíeres, * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 3.

Hymnus, Adeste, sanctæ Cónjuges. *ut suprà ad I. Vesperas.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, cum electis féminis gráditur. *Eccli.* 1.

II. Grátia super grátiam, múlier sancta & pudoráta. *Eccli.* 26.

III. Múlier sensáta & bona, grátia verecúndiæ illíus super aurum. *Eccli.* 7.

IV. Fundamenta ætterna supra petram sólidam; & mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ. *Eccli.* 26.

V. Fortitúdo & decor induméntum ejus, & ridébit in die novíssimo. *Prov.* 31.

VI. Sic sanctæ mulíeres sperantes in Deo, ornábant se. *I. Petr.* 3.

℣. Mandáta tua dilexi, Dómine, ℟. Super aurum & topázion. *Ps.* 118.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturá occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Super servos meos, & super ancillas meas in diébus illis effundam de spíritu meo. *Act.* 2.

II. Sicut Ecclésia subjecta est Christo, ita & mulíeres viris suis in ómnibus. *Ephes.* 5.

III. Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine mi, qui Rex noster es solus, ádjuva me, cujus præter te nullus est auxiliátor álius. *Esther,* 14.

IV. Ostende, quóniam non derelinquis præsumentes de te. *Judith,* 6.

V. Hæc erat plena opéribus bonis & eleemósynis quas faciébat. *Act.* 9.

VI. In opéribus bonis testimónium habens, omne opus bonum subsecúta est. *I. Tim.* 5.

℣. Ego sicut olíva fructi-

sera in domo Dómini, ℟. Sperávi in misericórdiâ Dei. *Ps.* 51.

LECTIO V.

Sermo sancti Augustini Episcopi. *Serm.* 196. *in Nat. Dom.* 13. *Edit. Bened. Cap.* 2.

TRes vitæ sunt in Ecclésiâ membrórum Christi: conjugális, viduális, virginális. Quia ipsæ vitæ, ipsæ pudicítiæ futúræ erant in sanctis membris Christi; omnes istæ vitæ tres adtestátæ sunt Christum. Prima conjugális: quando María virgo concépit, Elísabeth uxor Zacharíæ & ipsa concéperat; hujus Júdicis præcónem ferébat in útero. Venit ad eam sancta María, tamquàm ad cognátam suâ salutandam. Exsultávit infans in útero Elísabeth. Ille exsultávit, illa prophetávit. Habes adtestantem pudicítiam conjugálem.

℟. Fallax grátia, & *Vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. ℣. Ne respícias in mulíeris spéciem. *Vana est. *Prov.* 31. *Eccli.* 25.

LECTIO VI.

UBi viduális vita? In Annâ. Audistis, quòd esset sancta prophetissa vídua octoginta & quátuor annórum, quæ septem annis víxerat cum viro suo; frequentans templum Dómini, sérviens in oratiónibus nocte & die. Et ipsa vídua agnóvit Christum. Vidit parvum, agnóvit magnum. Et ipsa adtestáta est. Habes & in istâ vitam viduálem. In Maríâ virginálem. Eligat sibi quisque de istis tribus quam volúerit. Qui præter istas esse volúerit, in membris Christi esse non dispónit.

℟. Erat in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valdè, *Nec erat qui loquerétur de illâ verbum malum. ℣. Non discedébat de templo, jejúniis & obsecratiónibus sérviens die ac nocte. *Nec erat. *Judith*, 8. *Luc.* 2.

LECTIO VII.

NOn dicant conjugátæ, Nos ad Christum non pertinémus. Habuérunt marítos sanctæ féminæ. Non se extollant vírgines. Quantò magnæ sunt, humílient se in ómnibus. Omnia exempla salútis propósita sunt ante óculos nostros. Nemo exórbitet. Nemo præter uxórem: méliùs sine uxóre. Si pudicítiam conjugálem quæris, habes Susannam: si viduálem, habes Annam: si virginálem, habes Maríam.

℟. Benedicta es tu à Dómino: *Scit enim omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. ℣. Nomen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Scit. *Ruth*, 3. *Judith*, 15.

LECTIO VIII.

Ex libro ejusdem de Agóne Christiáno. *Ed. Bened. Cap.* 11.

ERigat spem suam genus humánum, & recognoscat natúram suam: vídeat quantum locum hábeat in opéribus Dei. Nolíte vosipsos contémnere, viri; Fílius Dei virum suscépit. Nolíte vosmetipsas contémnere, féminæ; Fílius Dei natus ex féminâ est. Nolíte tamen amáre carnália; quia in Fílio Dei nec másculus nec fémina sumus. Nolíte amáre temporália, quia si benè amarentur, amáret ea homo quem suscépit Fílius Dei. Nolíte timére contumélias, & cruces, & mortem; quia si nocérent hómini, non ea paterétur homo quem suscépit Fílius Dei.

℟. Fecísti viríliter & confortátum est cor tuum, eo quòd castitátem amáveris: * Et ideò †Eris benedícta in ætérnum. ℣. Oratiónes tuæ & eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriam in conspéctu Dei. * Et ideò. ℣. Glória. †Eris. *Judith*, 15. *Act.* 10.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Prov.* 31.

Quàm rara, sed pretiosa mulier sapiens! ejus dotes, encomium, & gloria; corporis pulchritudo fallax gratia.

MUlíerem fortem quis invéniet? * procul & de últimis fínibus prétium ejus.

Confídit in eâ cor viri sui, * & spóliis non indigébit.

Reddet ei bonum, & non malum, * ómnibus diébus vitæ suæ.

Quæsívit lanam & linum, * & operáta est consílio mánuum suárum.

Facta est quasi navis institóris, * de longè portans panem suum.

Et de nocte surrexit; * deditque prædam doméstícis suis, & cibária ancillis suis.

Considerávit agrum, & emit eum: * de fructu mánuum suárum plantávit víneam.

II. CANTICUM. *Ibid.*

ACcinxit fortitúdine lumbos suos, * & roborávit bráchium suum.

Gustávit & vidit, quia bona est negotiátio ejus; * non exstinguétur in nocte lucerna ejus.

Manum suam misit ad fórtia, * & dígiti ejus apprehendérunt fusum.

Manum suam apéruit ínopi, * & palmas suas extendit ad páuperem.

Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis; * omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus.

duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Móyses mandávit dare libellum repúdii, & dimíttere? Ait illis: Quóniam Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras: ab inítio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, & áliam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non expedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est: sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt; & sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus; & sunt eunúchi, qui se ipsos castravérunt propter regnum cœlórum: qui potest cápere, cápiat.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

I. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornamentum domûs ejus. *Eccli.* 26.

II. Considerávit sémitas domûs suæ, & panem otiósa non comédit. *Prov.* 31.

III. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex cleméntiæ in linguâ ejus. *Prov.* 31.

IV. Ego sum, ego sum, quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israel. *Judic.* 5.

V. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith,* 15.

LECTIO. *I. Tim.* 2.

Mulier in siléntio discat cum omni subjectióne. † Docére autem mulíeri non permitto, neque dominári in virum; * sed esse in siléntio.

℟. *br.* Dixi: Custódiam vias meas, * Ut non delinquam in linguâ meâ. ℟. Dixi. ℣. Pósui ori meo custódiam. * Ut non. ℣. Glória. ℟. Dixi. *Ps.* 38.

HYMNUS. *S. V.*

O Jam beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perenniòribus
Uni Deo conjúngitur!

Per quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ cónjuges.

Insignis & nos féminæ
Sequi decet vestígia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exemplum viris.

Queîs arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eóque, quo te vis coli,
Amóre fac mens te colat.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus:
Qui robur addis féminis,
Tu nostra firma péctora.
Amen.

Si ſit Martyr,

℣. Adhæſit ánima mea poſt te: ℟. Me ſuſcépit déxtera tua. *Pſ.* 62.

Ad Benedictus. *Ant.* Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ, & exaudíta eſt orátio mea. *Eccli.* 51.

COLLECTA. *Brev. Senon.*

DEus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perfícitur; † largíre nobis, quæſumus, beátæ *N.* Mártyris tuæ triumphum recoléntibus, * ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat: Per Dóminum.

Si non ſit Martyr,

℣. Meditátio cordis mei in conſpectu tuo ſemper, ℟. Dómine, adjútor meus & redemptor meus. *Pſ.* 18.

Ad Benedictus. *Ant.* Orátio humiliantis ſe, nubes penetrábit; & non diſcédet donec Altíſſimus adſpíciat, & Dóminus non elongábit. *Eccli.* 35.

COLLECTA. *Brev. Pariſ.*

TUórum corda fidélium, Deus miſerátor, illuſtra; † & beátæ *N.* précibus ac méritis, fac nos terréna deſpícere, * & amáre cœléſtia: Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Tim.* 2.

VOlo oráre mulíeres in hábitu ornáto, † cum verecúndiâ & ſobrietáte ornantes ſe, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veſte pretióſâ; * ſed quod decet mulíeres, promittentes pietátem per ópera bona.

℣. Averte óculos meos ne vídeant vanitátem: ℟. In viâ tuâ vivífica me. *Pſ.* 118.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Tim.* 3.

OPortet mulíeres eſſe pudícas, † non detrahentes,* sóbrias, fidéles in ómnibus.

℣. Ab omni viâ malâ prohíbui pedes meos; ℟. Ut cuſtódiam verba tua. *Pſ.* 118.

AD NONAM.

LECTIO. *Tit.* 2.

DOceant adoleſcéntulas, ut viros ſuos ament, fílios ſuos díligant; † prudentes, caſtas, sóbrias, domûs curam habentes, benígnas, súbditas viris ſuis,* ut non blaſphemétur verbum Dei.

℣. Anima mea Dómino vivet, ℟. Et ſemen meum sérviet ipſi. *Pſ.* 21.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ ut ſuprà ad Laudes, quartâ omiſſâ.

LECTIO. *I. Tim.* 2.

MUlier ſalvábitur per filiórum generatiónem, † ſi permánſerit in fide, & dilectióne, & ſan-

ctificatióne * cum sobrietáte.

℟. *br.* Exsultábo, & lætábor * In misericórdiâ tuâ. ℟. Exsultábo. ℣. Quóniam respexisti humilitátẽ meã. * In. ℣. Glória. ℟. Exsultábo. *Ps.* 31.

Hymnus, O jam beáta. *ut suprà ad Laudes.*

Si sit Martyr,

℣. Apud me orátio Deo vitæ meæ, ℟. Dicam Deo: Susceptor meus es. *Ps.* 41.

Ad Magníficat. *Ant.* Indue te decóre & honóre ejus, quæ à Deo tibi est, sempitérnæ glóriæ; Deus enim ostendet splendórem suum in te. *Baruch*, 5.

Si non sit Martyr,

℣. Anima mea exsultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat. *Ant.* Gloriétur super te, Jerúsalem, & fit nomen tuum in número sanctórum & justórum. *Judith*, 10.

DIEBUS PRIVATIS.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *Ephes.* 5.

MUlíeres viris suis súbditæ sint, sicut Dómino: quóniam vir caput est mulíeris, sicut Christus caput est Ecclésiæ: ipse salvátor córporis ejus. Sed sicut Ecclésia subjecta est Christo, ita & mulíeres viris suis in ómnibus.

℣. Quómodò diléxi legem tuam, Dómine! ℟. Totâ die meditátio mea est. *Ps.* 118.



IN ANNIVERSARIO
DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

SOLEMNITAS I. CLASSIS.

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. MAgnus est Deus noster super omnes deos. Quis ergo póterit prævalére ut ædificet dignam Deo domum? *II. Paral.* 2.

II. Ergone credíbile est, ut hábitet Deus cum homínibus super terram? *II. Paral.* 6.

III. Si cœlum & cœli cœlórum cápere eum néqueũt, quantus ego sum, ut possim ædificáre ei domum? *II. Paral.* 2.

IV. Quàm terríbilis est locus iste! non est hìc áliud, nisi domus Dei, & porta cœli. *Genes.* 28.

LECTIO. *Deut.* 12.

AD locum quem elégerit Dóminus Deus vester de cunctis tríbubus vestris, † ut ponat nomen suum ibi, & hábitet in eo, * veniétis, & offerétis in loco illo, holocausta & víctimas vestras.

℟. *br.* Introíbimus * In tabernáculum ejus. ℟. Introíbimus. ℣. Adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus. * In. ℣. Glória. ℟. Introíbimus. *Ps.* 131.

HYMNUS. *Brev. Paris.*

URbs Jerúsalem beáta,
Dicta pacis vísio,
Quæ constrúitur in cœlis
Vivis ex lapídibus,
Et ovantũm coronáta
Angelórum ágmine.

Nova véniens è cœlo
Nuptiáli thálamo,
Præparáta ut sponsáta
Copulétur Dómino;
Platéæ & muri ejus
Ex auro puríssimo.

Portæ nitent margarítis,
Adytis paténtibus;
Et virtúte meritórum,
Illuc introdúcitur
Omnis qui ob Christi nomẽ
Hìc in mundo prémitur.

Tunsiónibus, pressúris
Expolíti lápides,
Suis coaptantur locis
Per manus Artíficis,
Disponuntur permansúri
Sacris ædifíciis.

Sit perennis laus Parenti;
Sit perennis Fílio;
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perennis, Spíritus,
Chrisma cujus nos inungens
Viva templa cónsecrat.
Amen.

℣. Fundátur exsultatióne universæ terræ mons Sion,
℟. Deus in dómibus ejus cognoscétur. *Ps.* 47.

Ad Magníficat. *Ant.* Dómus mea ædificábitur in Jerúsalem, & consolábitur adhuc Dóminus Sion, & éliget adhuc Jerúsalem. *Zach.* 1.

Collecta infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Dóminum in templo sancto suo, * Veníte, adorémus. *Ps.* 10.

Hymnus. *Br. Paris.*

Anguláris fundamentum
Lapis Christus missus est,
Qui paríetum compáge
In utróque nectitur,
Quem Sion sancta suscépit,
In quo credens pérmanet.

Omnis illa Deo sacra
Et dilecta cívitas,
Plena módulis, in laude
Et canóre júbilo
Trinum Deum unicumque
Cum fervóre prædicat.

Hoc in templo, summe Deus,
Exorátus ádveni,
Et clementi bonitáte
Precum vota súscipe;
Largam benedictiónem
Hìc infunde júgiter.

Hìc promereantur omnes
Petíta acquírere
Et adepta possidére
Cum Sanctis perénniter,
Paradísum introíre,
Transláti in réquiem.

Sit decus, laus & potestas,
Sit supréma glória
Qui nos creávit, Parenti;
Qui redémit Fílio;
Templa cujus sunt fidéles,
Sit sacro laus Flámini.

Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Ædificávit Noë altáre Dómino; & óbtulit holocausta super altáre; odoratusque est Dóminus odórem suavitátis. *Gen.* 8.

II. Erexit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper, dicens: Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iste vocábitur Domus Dei. *Ibid.* 28.

III. Móyses tabernáculum erexit, unxitque & sanctificávit cum ómnibus vasis suis, altáre simíliter, & ómnia vasa ejus. *Num.* 7.

IV. David invénit grátiam ante Deum, & pétiit ut inveníret tabernáculum Deo Jacob. *Act.* 7.

V. Dixit David ad Salomónem: Fili mi, sit Dóminus tecum, & ædífica domum Dómino tuo, sicut locútus est de te. *I. Paral.* 22.

VI. Sálomon ædificávit illi domum; sed non Excelsus in manufactis hábitat, sicut Prophéta dicit: Cœlum mihi sedes est. *Act.* 7.

℣. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Ps.* 25.

LECTIO I.

Ex Libro secundo Paralipómenon. *Cap.* 7.

CUm complesset Sálomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, & devorávit holocausta & víctimas: & majestas Dómini implévit domum. Nec póterant sacerdótes ingredi templum Dómini, eo quòd implesset majestas Dómini templum Dómini. Sed & omnes filii Israel vidébant descendentem ignem, & glóriam Dómini super domum: & corruentes proni in terram super pavimentum stratum lápide adoravérunt, & laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in séculum misericórdia ejus. Rex autem & omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino.

℟. Sicut Móyses orábat ad Dóminum, & descendit ignis de cœlo; * Sic & Sálomon orávit, & descendit ignis de cœlo, & consumpsit holocaustum. ℣. Benedixérunt Móyses & Aaron pópulo, & ecce egressus ignis à Dómino devorávit holocaustū. * Sic. *II. Mach.* 2. *Levit.* 9.

LECTIO II.

SAcerdótes autem stabant in officiis suis; & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dóminum: Quóniam in æternū misericórdia ejus, hymnos David canentes per manus suas: porrò sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini, obtúlerat enim ibi holocausta & ádipes pacificórum: quia altáre æneum, quod fécerat, non póterat sustinére holocausta, & sacrificia, & ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus, & omnis Israel cum eo, ecclésia magna valdè, ab intróitu Emath usque ad Torrentem Ægypti: fecitque die octávo collectam.

℟. Móyses tabernáculum & ómnia vasa ministérii aspersit, & ómnia penè in sánguine secundùm legem mundantur: * Necesse est ergo exemplária quidem cœléstium his mundári: ipsa autem cœléstia melióribus hóstiis, quàm istis. ℣. Tulit Móyses unctiónis óleum quo linívit tabernáculum cum omni supelléctili suâ: óbtulit & vítulum pro peccáto. * Necesse. *Hebr.* 9. *Levit.* 8.

LECTIO III.

APpáruit autem ei Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum istum mihi in domum sacrificii. Si cláusero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero

& præcépero locústæ, ut devórent terram, & místero pestiléntiam in pópulum meum: convérsus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquisíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam a viis suis péssimis: & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus qui in loco isto oráverit. Elégi enim & sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℞. Si duo ex vobis consénserint super terram, de omni re quamcumque petíerint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est. * Ubi enim sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum in médio eórũ. ℣. Oculi mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus qui in loco isto oráverit. * Ubi. *Matth.* 18. *II. Paral.* 7.

LECTIO IV.

TU quoque si ambuláveris coram me, sicut ambulávit David pater tuus, & féceris juxta ómnia quæ præcépi tibi, & justítias meas judiciáque servàveris, suscitábo thronum regni tui, sicut pollícitus sum David patri tuo, dicens: Non auferétur de stirpe tuá vir, qui sit princeps in Israel. Si autem avérsi fuéritis, & dereliquéritis justítias meas, & præcépta mea, quæ propósui vobis, & abeúntes serviéritis diis aliénis, & adoravéritis eos, evéllam vos de terrâ meâ, quam dedi vobis: & domum hanc, quam sanctificávi nómini meo, projíciam à fácie meâ, & tradam eam in parábolam & in exemplum cunctis pópulis.

℞. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israel: Bonas fácite vias vestras, & stúdia vestra: * Et † Habitábo vobíscũ in loco isto. ℣. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis: emundáte manus, peccatóres, & purificáte corda. * Et Habitábo. ℣. Glória † Habitábo. *Jerem.* 7. *Jac.* 4.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Construxérunt, jubente Deo, domum Dei filii transmigratiónis, & fecérunt dedicatiónem in gáudio. *I. Esdr.* 6.

II. Elégit Judas sacerdótes sine máculâ, & mundavérunt sancta, & ædificavérunt altáre novũ. *I. Mach.* 4.

III. Si cœlum & cœli cœlórum non te cápiunt; quantò magìs domus ista! *II. Paral.* 6.

IV. Tu, Dómine, elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in eâ; ut esset domus oratiónis & obsecratiónis pópulo tuo. *I. Mach.* 7.

V. Quicumque oráverit in loco isto, exaudi de habitáculo tuo, id est de cœlis; & propitiáre. *II. Paral.* 6.

VI. Tu es Deus meus, aperiantur, quæso, óculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad oratiónem quæ fit in loco isto. *II. Paral.* 6.

℣. In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, ℟. Et benedícite Dóminum. *Ps.* 133.

LECTIO V.

Sermo Sancti Augustini Epíscopi. *Serm.* 336. *In Dedic. Eccles. I. Edit. Bened. cap.* 1.

CElébritas hujus congregatiónis, Dedicátio est domus oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista est; domus Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc século ædificámur, ut in fine séculi dedicémur. Ædificium, immò ædificátio habet labórem, Dedicátio exsultatiónem. Quod hìc fiébat, quando ista surgébant; hoc fit modò, cùm congregantur credentes in Christum. Credendo enim quasi de silvis & móntibus ligna & lápides præciduntur: cùm verò catechizantur, baptizantur, formantur, tamquàm inter manus fabrórum & opíficum dolantur, collineantur, complanantur.

℟. Superædificáti estis super fundamentum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu, * In quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu. ℣. In ipso omnis ædificátio constructa crescit in templum sanctum in Dómino. * In quo. *Ephes.* 5.

LECTIO VI.

VErúmtamen domū Dómini non fáciunt, nisi quando caritáte compaginantur. Ligna ista & lápides, si non sibi certo órdine cohærérent, si non se pacíficè innécterent, si non se ínvicèm, cohærendo sibi, quodámmodo amárent; nemo huc intráret. Dénique quando vides in áliquâ fábricâ lápides & ligna benè sibi cohærére, secúrus intras, ruínam non times. Volens ergo Dóminus Christus intráre, & in nobis habitáre, tamquàm ædificando dicébat: Mandátum novum do vobis, ut vos ínvicèm diligátis. Mandátum, inquit, novum do vobis. Véteres enim erátis; domum mihi nondùm faciebátis; in vestrâ ruínâ jacebátis. Ergo ut eruámini de vestræ ruínæ vetustáte, vos ínvicèm amáte.

℟. Det vobis Deus Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: * In caritáte radicáti & fundáti, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. ℣. In ipso ambuláte superædificáti in ipso & confirmáti fide. * In caritáte. *Ephes.* 3. *Coloss.* 2.

LECTIO VII.

Ex Libro décimo ejusdem de Civitáte Dei. *Cap.* 3. *Edit. Bened.*

DEi templum simul omnes & sínguli templa sumus; quia & ómnium concórdiam, & síngulos inhabitáre dignátur: non in ómnibus quàm in síngulis major; quóniam nec mole disténditur, nec partitióne minúitur. Cùm ad illum sursùm est, ejus est altáre cor nostrum: ejus Unigénito eum sacerdóte placámus: ei cruentas víctimas cædimus, quando usque ad sánguinem pro ejus veritáte certámus: ei suavíssimum adolémus incensum, cùm in ejus conspectu pio sanctóque amóre flagrámus: ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovémus, & réddimus: ei beneficiórum ejus solemnitátibus festis & diébus statútis dicámus sacramusque memóriam, ne volúmine témporum ingráta subrépat oblívio: ei sacrificámus hóstiam humilitátis & laudis in arâ cordis igne férvidæ caritátis.

℟. Qui adhærent Dómino ut colant eum, & díligant nomen ejus, lætificábo eos in domo oratiónis meæ; * Quia domus mea domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis. ℣. Holocausta eórum & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. * Quia. *Isai.* 56.

LECTIO VIII.

AD hunc videndum, sicut vidéri potest, eíque cohærendum, ab omni peccatórum & cupiditátum malárum labe mundámur, & ejus nómine consecrámur. Ipse enim fons nostræ beatitúdinis, ipse omnis appetitiónis est finis. Hunc eligentes, vel pótiùs religentes, amiserámus enim negligentes: hunc ergo religentes, unde & relígio dicta perhibétur, ad eum dilectióne téndimus, ut perveniendo quiescámus: ideò beáti, quia illo fine perfecti. Ut enim homo sese dilígere nosset, constitútus est ei finis, quò referret ómnia quæ ágeret, ut beátus esset. Non enim qui se díligit, áliud esse vult quàm beátus. Hic autem finis est adhærére Deo. Hic est Dei cultus, hæc vera relígio, hæc recta píetas, hæc tantùm Deo débita sérvitus.

℟. Veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu

& veritáte ; * Nam & Pater tales quærit qui adórent eum. ℣. Spíritus est Deus ; & eos qui adórant eum, in spíritu & veritáte oportet adoráre. * Nam. ℣. Glória. * Nam. *Joan.* 4.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *III. Reg.* 8.

In dedicatione templi Salomonis oratio.

DOmine Deus Israel, non est símilis tuî, Deus in cœlo désuper, * & super terram deorsùm :

Qui custódis pactum & misericórdiam servis tuis, * qui ámbulant coram te in toto corde suo.

Ergone putandum est * quòd verè Deus hábitet super terram ?

Si enim cœlum, & cœli cœlórum te cápere non possunt, * quantò magis domus hæc, quam ædificávi ?

Sed réspice ad oratiónem servi tui, & ad preces ejus, Dómine Deus meus : * audi hymnum & oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie :

Ut sint óculi tui aperti super domum hanc nocte ac die : * super domum de quâ dixisti : Erit nomen meum ibi :

Ut exáudias oratiónem, * quam orat in loco isto ad te servus tuus ;

Ut exaudias deprecatiónem servi tui & pópuli tui Israel, * quodcumque oráverit in loco isto.

Et exáudies in loco habitáculi tui in cœlo, * & cum exaudiéris, propítius eris.

II. CANTICUM. *Jerem.* 7.

Non in Templo solo, sed in viis Domini confidendum.

AUdite verbum Dómini, omnis Juda, * qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum.

Hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Israel : bonas fácite vias vestras, & stúdia vestra : * & habitábo vobiscum in loco isto.

Nolíte confídere in verbis mendácii, * dicentes : Templum Dómini, templum Dómini, templum Dómini est.

Quóniam si benè direxéritis vias vestras, * & stúdia vestra :

Si fecéritis judícium inter virum & próximum ejus, * ádvenæ, & pupillo, & víduæ non fecéritis calúmniam,

Nec sánguinem innocentē effudéritis in loco hoc, * & post deos aliénos non ambulavéritis in malum vobismetipsis :

Habitábo vobiscum in loco isto ; * in terrâ quam dedi pátribus vestris à sǽculo & usque in sǽculum.

quod estis vos. * Et nunc. ℣. Glória. † Conserva. *II. Mach.* 14. *I. Cor.* 3.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 21.

CUm intrasset Jesus Hierosólymam, commóta est universa cívitas dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant: Hic est Jesus Prophéta à Názareth Galilææ. Et intrávit Jesus in templum Dei, & ejiciébat omnes vendentes & ementes in templo; & mensas numulariórum, & cáthedras vendéntium columbas evertit. Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus oratiónis vocábitur: vos autem fecistis illam speluncam latrónum. Et accessérunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanávit eos.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. REspice de sanctuário tuo, Dómine; & de excelso cœlórum habitáculo, & bénedic pópulo tuo. *Deut.* 26.

II. Cadat virtus eórum, Dómine, in iracúndiâ tuâ, qui promittunt se violáre sancta tua, & tabernáculum nóminis tui. *Judith* 9.

III. Ecce pono in Sion lápidem summum, angulárem, electum, sum; & qui credi eum, non confi *I. Petr.* 2.

IV. Dóminus Sion, & in ipso sp páuperes pópuli tui.

V. Christi domu nos, si fidúciam & spei usque ad fine mam retineámus.

LECTIO. *Ezec.*

DAbo sanctific meam in méd rum Israel in perpé Et erit tabernáculur in eis, & ero eis D & ipsi erunt mihi p

℟. *br.* Sanctific bernáculum suum mus: * Non commo ℟. Sanctificávit. in médio ejus. ℣. Glória. ℟. Sanct *Ps.* 45.

HYMNUS. *Gi*

PAtris æterni coæva,
Dum tuæ sacros p honóres
Ædis instaurat, Dei nostris
Annue votis.
Hìc sacri fontis lá ortu
Inditi purgant m reátus:
Hìc & infusum nov bra Christo
Chrisma coapt
Hìc suâ pascit fidéles

Carne, qui mundi scelus omne tollit
Agnus, & fusi prétium cruóris
Ipse propínat.
Hìc salus ægris ánimis parátur:
Hìc reos judex fácilis reláxat,
Atque lethálem redivíva pellit
Grátia culpam.
Cujus in cœlo thronus est perennis,
Incolit parvam Deus altus ædem:
Hìc adorátor sibi quisque sedem
Præparat astris.
Nullus hanc turbo quatit, irruentis
Nulla vis nimbi, rapidíve fluctus:
Cedit hanc contra furor inferórum
Irritus omnis.
Laus Deo, qui nos sibi consecrávit:
Una sit Patri, parílique Proli:
Par sit ambórum tibi nexus, omni,
Spíritus, ævo. Amen.

℣. Magnus Dóminus & laudábilis nimis, ℟. In civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. *Ps.* 47.

Ad Benedictus. *Ant.* Scient gentes quia ego Dóminus sanctificátor Israel, cùm fúerit sanctificátio mea in médio eórum in perpétuum. *Ezech.* 37.

In ipso die Dedicationis.

Collecta. *Sacr. Greg.*

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, & tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter ostendis: † Templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illustra, * & concéde ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quâcumque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequantur: Per Dóminum.

In Anniversario Dedicationis.

Collecta. *Br. Rom.*

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti Templi tui consecratiónis réparas diem, & sacris semper mystériis repræsentas incólumes: † exaudi preces pópuli tui, & præsta, * ut quisquis hoc Templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrasse lætétur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Gangrensi.
C. an. 324. *Can.* 21.

DOmos Dei honorámus, & qui fiunt in iis conventus ut sanctos & útiles recípimus, non pietátem in dómibus includentes, sed omnem locum in Dei nómine ædificátum honorantes, & quæ fit in

ipsâ Ecclésiâ, congressiónem ad públici utilitátem recipimus; & ut semel dicámus, quæ à divínis Scriptúris, & Apostólicis Traditiónibus trádita sunt, in Ecclésiâ fieri optámus.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Sophon.* 1.

VIsitábo super omnem qui arroganter ingréditur super limen in die illâ; † qui complent domum Dómini Dei sui * iniquitáte & dolo.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, Dómine, ℟. In timóre tuo. *Ps.* 5.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Petr.* 2.

AD Christum accedentes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem electum & honorificátum; † & ipsi tamquàm lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdótium sanctum, * offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum.

℣. In multitúdine misericórdiæ tuæ, Dómine, ℟. Introíbo in domum tuam. *Ps.* 5.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Cor.* 3.

NEscítis quia templum Dei estis, & spíritus Dei hábitat in vobis? † Si quis autem templum Dei violáverit dispérdet illum Deus. * Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

℣. Domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, ℟. In longitúdinem diérum. *Ps.* 92.

AD II. VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

Ant. Quàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Israel! *Num.* 24.

II. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 75.

Ant. Vocábunt Jerúsalem Sólium Dómini, & congregabuntur omnes gentes in nómine Dómini in Jerúsalem. *Jerem.* 3.

III. *Ps.* 131. Meménto, Dómine, David. *pag.* 160.

Ant. Addúcam eos in montem sanctum meum, & lætificábo eos in domo oratiónis meæ. *Isai.* 56.

IV. *Ps.* 147. Lauda Jerúsalem, Dóminum. *pag.* 110.

Ant. Dóminus in templo sancto suo: síleat à facie ejus omnis terra. *Habacuc.* 2.

LECTIO. *Ephes.* 5.

CHristus diléxit Ecclésiam, & seipsum trádidit pro eâ, ut illam sanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ, † ut exhibéret ipse sibi glorio-

ſam Eccléſiam, non habentem máculam, aut rugam, aut áliquid hujúſmodi: * ſed ut ſit ſancta & immaculáta.

℞. *br.* Fundamenta ejus * In móntibus ſanctis. ℞. Fundamenta. ℣. Ipſe fundávit eam Altiſſimus. * In. ℣. Glória. ℞. Fundamenta. *Pſ.* 86.

HYMNUS. *B.*

Ecce ſedes hìc Tonantis,
Ecce cœli jánua:
Hìc ſacerdos, ara, templum,
Hìc Deus fit hóſtia:
Incruentâ morte, jugis
Hìc amor litat Deum.

Qualis ara, quanta ſedes
Ipsius capax Dei!
Quem nec univerſa terra,
Omne nec cœlum capit,
Orbe parvo ſe coarctans
Hìc latére ſuſtinet.

Quàm libenter hìc pudícis
Inſerit ſe córdibus!
Hìc amantis tòta Chriſti
Excrit ſe cáritas:
Hìc pater caros ſedére
Geſtit inter filios.

Hìnc faceſſe quem profána
Inficit contágio,
Nec ſacrum transíre limen
Inquinátus áudeas:
Ultor aſtat cum flagellis
Púniens ſontes Deus.

Sit perennis laus Parenti,
Sit perennis Fílio:
Laus tibi, qui nectis ambos
Sit perennis, Spíritus
Chriſma cujus nos inungens,
Viva Templa cónſecrat.
Amen.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, cívitas Dei. ℞. Sicut lætántium ómnium habitátio eſt in te. *Pſ.* 86.

Ad Magníficat. *Ant.* Greſſus rectos fácite pédibus veſtris; acceſſiſtis enim ad civitátem Dei viventis Jerúſalem cœleſtem: ítaque regnum immóbile ſuſcipientes, ſerviámus Deo cum metu & reveréntiâ. *Hebr.* 12.

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

AD OFFICIUM NOCT.

Ant. Ad Veníte. *& Hymnus ut in Die. p.* lxxxviij.

IN I. NOCTURNO.

Antiphonæ & ℣. ut in Pſalterio. Duæ primæ Lectiones de Scripturâ occurrente cum Reſponſoriis ſuis; tertia Lectio cum ſuo Reſponſorio, ut habetur infrà pro unâquâque die.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *Hebr.* 9.

Moyſes tabernáculum & ómnia vaſa miniſtérii ſánguine aſperſit, & ómnia pene in ſánguine ſecundùm legem mundantur: & ſine ſánguinis effuſióne non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo exemplária quidem

cœléstium his mundári; ipsa autem cœléstia melióribus hóstiis quàm istis.

℣. In sancto appárui tibi, Dómine, ℟. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. *Ps. 62.*

Collecta singulis diebus propria.

Ad reliquas Horas, omnia ut in Die, præter Psalmos vesperales qui dicuntur de Feriâ. Antiphonæ ad Benedictus. *&* Magníficat. *sicut & Collecta singulis diebus propria.*

DIE II.
INTRA OCTAVAM.

Lectio III.

Ex Sermóne sancti Basílii Epíscopi in Psalmum vigésimum octávum. *Edit. Bened. n. 7.*

IN templo adstant sancti Angeli: adest Dóminus, qui ánimum ingrediéntium intuétur. Preces uniuscujusque manifestæ Deo sunt, quis ex affectu, quis scitè exquírat cœléstia, quis perfunctóriè & extrémis labris verba pronúnciet, cor verò ipsíus procul à Deo sit. Creatúra omnis tùm silens, tùm cœlestis, tùm terréna dat glóriam conditóri. Miserábiles verò hómines, postquàm, ædibus suis relictis, ad templum concurrérunt, quasi quidpiam consecutúri emolumenti, tamen Dei verbis aures non præbent: suam ipsórum natúram non séntiunt: præoccupáti peccáto, non affliguntur: non mœrent dum reminiscuntur peccatórum: non timent judícium; sed adridentes, & inter se jungentes déxteras, precatiónis domum in locum immódicæ loquacitátis vertunt.

℟. Veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte; * Nam & † Pater tales quærit qui adórent eum. ℣. Spíritus est Deus; & eos qui adórant eum, in spíritu & veritáte opórtet adoráre: * Nam. ℣. Glória. † Pater. *Joan. 4.*

Ad Benedictus. *Ant.* Trádite manus Dómino, & veníte ad Sanctuárium ejus, quod sanctificávit in ætérnum. *II. Paral. 3.*

Collecta. *Sacr. Ambr.*

DEus, qui loca nómini tuo dicáta sanctíficas; † effúnde super hanc oratiónis domum grátiam tuam; * ut ab ómnibus hìc invocántibus te, auxílium tuæ misericórdiæ sentiátur; Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* Stábimus coram domo hâc in conspectu tuo, in quâ invocátum est nomen tuum: & clamábimus ad te in tribulatiónibus nostris, & exáudies, Dómine. *II. Paral. 20.*

DIE III.
INTRA OCTAVAM.
LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Augustini Episcopi de Civitate Dei. *Edit. Ben.* *Cap.* 28.

POpuli confluunt ad Ecclésias castâ celebritáte, honestâ utriusque sexûs distinctióne: ubi áudiant quàm benè hìc ad tempus vívere débeant, ut post hanc vitam beátè semperque vívere mereántur: ubi sanctâ Scriptúrâ, justitiæque doctrínâ de superióre loco in conspectu ómnium personante, & qui fáciunt, áudiant ad præmium: & qui non fáciunt, áudiant ad judícium. Quo etsi véniunt quidam tálium præceptórum irrisóres, omnis eórum petulántia aut repentínâ immutatióne depónitur, aut timóre vel pudóre comprímitur. Nihil enim eis turpe ac flagitiósum spectandum imitandumque propónitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulántur.

℟. Qui habet in cœlis habitatiónem visitátor & adjútor est loci illíus, * Et † Venientes ad malè faciendum pércutit ac perdit. ℣. Verè Dóminus est in loco isto. * Et venientes. ℣. Glória. † Venientes. *II. Machab.* 3. *Genes.* 28.

Ad Benedictus. *Ant.* Ponam fáciem meam contra illum qui contamináverit Sanctuárium meum, ac pollúerit nomen sanctum meum. *Levit.* 20.

COLLECTA. *Sacr. Ambr.*

ADesto invocatiónibus nostris, omnípotens Deus, & hujus domûs, cujus es fundátor, esto protector: † nulla hìc nequítia contráriæ potestátis obsistat; * sed virtúte sancti Spíritûs operante, fiat hìc tibi semper purum servítium & devóta libertas: Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* Domus tua, Dómine, in sanctificatióne tuâ permáneat: & omnes gentes agnoscant quia tu es Deus, & non est álius præter te. *Judith*, 9.

DIE IV.
INTRA OCTAVAM.
LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Unitáte Ecclésiæ. *Edit. Baluz.*

LOquitur Dóminus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, & portæ inferórum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlórum, & quæ ligáveris super terram, erunt

tenet, non tenet Patris & Filii fidem, vitam non tenet & salútem.

℟. Sollíciti sitis serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis; unum corpus, & unus spíritus in unâ spe vocatiónis vestræ: * Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. ℣. Fundamentum áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. * Unus. ℣. Glória. * Unus. *Ephes.* 4. *I. Cor.* 3.

Ad Benedictus. *Ant.* Beáti qui díligunt te, Cívitas Dei, & qui gaudent super pace tuâ. *Tob.* 13.

Collecta. *Psalt. Thomas.*

Dona, Dómine, virtútem pópulo tuo, † & éffice nos templum Spíritûs sancti; * ut tibi de corde puro, holocaustum acceptábile semper offerámus; Per Dóminum.

Ad Magníficat. *Ant.* Adorábunt vestígia pedum tuórum, qui detrahébant tibi, & vocábunt te civitátem Dómini, Sion Sancti Israel. *Isai.* 60.

DIE VII.
INTRA OCTAVAM.
Lectio III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi adversùs Epístolam Manichæi. *Edit. Bened. Cap.* 4.

Multa sunt quæ in Ecclésiæ grémio me justíssimè téneant. Tenet consénsio populórum atque géntium: tenet auctóritas miráculis inchoáta, spe nutrítâ, caritáte aucta, vetustáte firmáta: tenet ab ipsâ sede Petri Apóstoli, cui pascendas oves suas post resurrectiónem Dóminus commendávit usque ad præsentem Episcopátum succéssio Sacerdótum: tenet postrémò ipsum Cathólicæ nomen, quod non sine causâ inter tam multas hæreses sic ista Ecclésia sola obtínuit, ut cùm omnes hærétici se Cathólicos dici velint, quærenti tamen peregríno alicúi, ubi ad Cathólicam conveniátur, nullus hæreticórum vel basílicam suam vel domum áudeat osténdere. Ista ergo tot & tanta nóminis Christiáni caríssima víncula rectè hóminem tenent credentem in Cathólicâ Ecclésia, etiamsi propter nostræ intelligéntiæ tarditátem vel vitæ méritum véritas nondum se apertíssimè ostendat.

℟. Réspice Sion civitátem solemnitátis nostræ: óculi tui vidébunt Jerúsalem habitatiónem opuléntam, tabernáculum quod nequáquam transferri póterit: * Quia solúmmodò ibi magníficus est Dóminus. ℣. Non auferentur clavi ejus in sempitérnum, & omnes funículi ejus non rumpentur. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Isai.* 33.

Ad Benedictus. *Ant.* Ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem séculi. *Matth.* 28.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui te in rectis ac sincéris manére pectóribus adseris ; † da nobis, quæsumus, tuâ grátiâ tales exsístere, * in quibus semper habitáre dignéris ; Per Dóminum.

OCTAVA
DEDICATIONIS.
Solemnitas III. Classis.

AD I. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. ECce ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memóriâ prióra. *Isai.* 65.

II. Gaudébitis & exsultábitis usque in sempitérnum in his quæ ego creo ; quia ecce ego creo Jerúsalem exsultatiónem & pópulum ejus gáudium. *Ibid.*

III. Exsultábo in Jerúsalem, & gaudébo in pópulo meo ; & non audiétur in eo ultrà vox fletûs & vox clamóris. *Ibid.*

IV. Gáudium & lætítia inveniétur in Sion, gratiárum áctio, & vox laudis. *Isai.* 51.

LECTIO. *Apoc.* 21.

VIdi cœlum novum, & terram novam : primum enim cœlum, & prima terra ábiit, & mare jam non est : † Et ego Joannes vidi sanctam civitátem, Jerúsalem novam, descendentem de cœlo à Deo, * parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

℟. *br.* Gloriósa dicta sunt de te, * Civitas Dei. ℟. Gloriósa. ℣. Sicut lætántium, ómnium habitátio est in te, * Cívitas. ℣. Glória. ℟. Gloriósa. *Ps.* 86.

Hymnus, Urbs Jerúsalem. *ut ad primas Vesperas Festi, pag.* lxxxvij.

℣. Dóminus in templo sancto suo : ℟. Dóminus in cœlo sedes ejus. *Ps.* 10.

Ad Magníficat. *Ant.* Novos cœlos, & novam terram, secundùm promissa Dómini exspectámus in quibus justítia hábitat. *II. Petr.* 3.

Collecta ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

In Ps. Veníte. *Ant.* Christum Jesum, qui diléxit Ecclésiam, & se ipsum trádidit pro eâ ; * Veníte, adorémus. *Ephes.* 5.

Hymnus, Angularis fundamentum. *ut in Die, pag.* lxxxviij.

IN I. NOCTURNO.

Ant. I. Venérunt structóres tui, Sion ; destruentes te, & dissipantes, à te exíbunt. *Is.* 49.

II. Ecce in mánibus meis descripsi te : muri tui co-

ram óculis meis semper. *Ib.*

III. Ego Sternam per órdinem lápides tuos, & fundábo te in Sápphiris. *Is.* 54.

IV. Ponam jáspidem propugnácula tua, & portas tuas in lápides sculptos, & omnes términos tuos in lápides desiderábiles. *Is.* 54.

V. In justítiâ tuâ fundáberis; calúmnia & pavor non appropinquábit tibi. *Is.* 49.

VI. Montes commovebuntur & colles contremiscent; misericórdia autem mea non recédet à te. *Is.* 54.

℣. Benignè fac, Dómine, in bonâ voluntáte tuâ, Sion. ℟. Ut ædificentur muri Jerúsalem. *Ps.* 50.

Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Consurge, Sion, induére vestiméntis glóriæ tuæ Jerúsalem, cívitas Sancti. *Is.* 52.

II. Abstulit Dóminus judícium tuum; avertit inimícos tuos; Rex Israel in médio tuî; non timébis malum ultrà. *Soph.* 3.

III. Vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo Sancti gaudentes Dei memóriâ. *Baruch.* 5.

IV. Addúcet illos Dóminus ad te portátos in honóre sicut filios regni. *Baruch.* 5.

V. Addúcam eos in montem sanctum meum, & lætificábo eos in domo oratiónis meæ. *Is.* 55.

VI. Vocábunt eos pópulus sanctus, redempti à Dómino; tu autem vocáberis: quæsita cívitas, & non derelicta. *Is.* 62.

℣. Quis sápiens & custódiet hæc? ℟. Et intélliget misericórdias Dómini. *Ps.* 106.

LECTIO V.

Ex enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum octogésimum sextum. *Edit. Bened. n.* 1.

Civitas quædam in isto Psalmo cantáta & commendáta est, cujus cives sumus, in quantum Christiáni sumus; & unde peregrinámur, quámdiù mortáles sumus; & ad quam téndimus, per cujus viam, quæ omnino quasi dumétis & séntibus interclúsa non inveniebátur, Rex ipsíus civitátis se fecit viam, ut ad civitátem pervenirémus. Ambulantes ergo in Christo, & adhuc peregrinantes donec perveniámus, & suspirantes desidério cujusdam ineffábilis quiétis, quæ hábitat in illâ civitáte, de quâ quiéte dictum est hoc nobis esse promissum, quod óculus non vidit; nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit: ambulantes ergo, sic cantémus, ut desiderémus. Nam qui deside-

rat, etsi lingua táceat, cantat corde : qui autem non desíderat, quólibet clamóre aures hóminum fériat, mutus est Deo.

℟. Pópulus tuus omnes justi in perpétuum hæreditábunt terram, * Germen plantatiónis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum. ℣. Vocábunt eos pópulus sanctus, redempti à Dómino; * Germen. *Is. 60 & 62.*

LECTIO VI. *n. 9.*

TAmquàm jocundatórum ómnium habitátio in te. In peregrinatióne istâ contérimur : habitátio nostra, jocunditas sola erit. Períbit labor & gémitus, tránseunt oratiónes, succédunt laudatiónes. Ibi ergo habitátio jocundatórũ, non erit gémitus desiderántium, sed lætítia perfruéntium. Aderit enim cui modò suspirámus : símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum, sicuti est. Ibi totum negótium nostrum, non erit nisi laudáre Deum, & frui Deo. Et quid áliud quærémus, ubi solus sufficit, per quem facta sunt ómnia ? Habitábimur & habitábimus : subjicientur illi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

℟. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine; & torrente voluptátis tuæ potábis eos; * Quóniam apud te est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen. ℣. Replébimur in bonis domûs tuæ. * Quóniam. *Ps. 35 & 64.*

LECTIO VII.

BEáti ergo qui hábitant in domo tuâ. Unde beáti ? In sécula seculórum laudábunt te. Hoc uno beáti otióso negótio. Hoc ergo unum desiderémus, fratres, cùm venérimus ad hoc, nos parémus gaudére ad Deum, laudáre Deum. Opera bona quæ modò nos perdúcunt, non ibi erunt. Non ibi erunt ópera misericórdiæ, ubi nulla erit miséria. Egentem non invénies, nudum non invénies; nemo tibi occurret sítiens, nullus peregrínus erit, nullus ægrótus quem vísites, nullus mórtuus quem sepélias, nullus litigatórum inter quos pacem compónas. Magna ibi quies. Nam ibi ómnia ópera quæ necéssitas flágitat, subtrahentur; mórtuâ necessitáte, períbunt ópera necessitátis.

℟. Non esúrient, neque sítient, & non percútiet eos æstus & sol : quia miserátor eórum reget eos, * Et ad fontes aquárum potábit eos. ℣. Sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui sedet in throno, habitábit super illos; * Et ad fontes. *Isai. 29. Apoc. 7.*

LECTIO VIII.

Ex Sermóne ducentésimo quinquagésimo quarto ejusdem. *In diebus Paschal. 25. Edit. Bened. n. 8.*

LAudémus ergo Dóminum, caríssimi, laudémus Deum, dicámus allelúia. Festinémus ad domum æternam. Ventúri sumus ad domum Dei, quæ est in cœlis. Ibi non quinquaginta diébus Deum laudábimus; sed quemádmodùm scriptū est, in sécula seculórum. Vidébimus, amábimus, laudábimus. Nec quod vidébimus deficiet, nec quod amábimus períbit, nec quod laudábimus tacébit: sempiternum totum erit, sine fine erit. Laudémus, laudémus; sed non sólis vócibus, laudémus & móribus: laudet lingua, laudet vita: sed hábeat caritátem infinítam.

℟. Beáti qui hábitant in in domo tuâ, Dómine, * In sécula seculórum laudábunt te: ℣. Applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illâ, & erunt mihi in pópulum. * In sécula. ℣. Glória. * In sécula. *Ps.* 83. *Zach.* 2.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Tob.* 13.

De restitutione, & magnâ felicitate futurâ Jerusalem prophetia.

BEnedícite Dóminum, omnes elécti ejus; * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.

Jerúsalem cívitas Dei, * castigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum.

Confitére Dómino in bonis tuis, & benedic Deú seculórum, * ut reædíficet in te tabernáculum suum,

Et révocet ad te omnes captívos, * & gáudeas in ómnia sécula seculórum.

Luce splendidâ fulgébis * & omnes fines terræ adorábunt te.

II. CANTICUM. *Ibid.*

NAtiónes ex longínquo ad te vénient: & múnera deferentes, adorábunt in te Dóminum, * & terram tuam in sanctificatiónem habébunt,

Nomen enim magnum * invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpserint te; & condemnáti erunt omnes qui blasphemáverint te; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in fíliis tuis; * quóniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dóminum.

Beáti omnes qui díligunt te, * & qui gaudent super pace tuâ.

III. CANTICUM. *Ibid.*

ANima mea, bénedic Dóminum, quóniam liberávit Jerúsalem civitátem suam à cunctis tribulatiónibus ejus, * Dóminus Deus noster.

Beátus ero, si fúerint relíquiæ séminis mei * ad videndam claritátem Jerúsalem.

Portæ Jerúsalem ex sápphiro & smaragdo ædificabuntur : * & ex lápide pretióso omnis circúitus murórum ejus.

Ex lápide cándido & mundo omnes platéæ ejus sternentur : * & per vicos ejus allelúia cantábitur.

Benedictus Dóminus qui exaltávit eam, * & sit regnum ejus in sécula seculórum super eam. Amen.

Ant. Vénient & laudábunt in monte Sion; & pópulus meus bonis meis adimplébitur. *Jerem.* 31.

℣. Lauda, Jerúsalem, Dóminum; ℟. Lauda Deũ tuum, Sion. *Ps.* 147.

LECTIO IX.

Ex Libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

Cap. 21.

EGo Joannes vidi sanctã civitátem Jerúsalem novam descendentem de cœlo à Deo, parátam, sicut sponsam ornátam viro suo. Et audívi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erũt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus. Et absterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum; & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce nova fácio ómnia.

℟. Præcipitábit Dóminus mortem in sempiternum, & áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie, * Et oppróbrium pópuli sui áuferet de universâ terrâ : quia Dóminus locútus est. ℣. Oblivióni tráditæ sunt angustiæ prióres; non audiétur ultrà vox fletûs & vox clamóris. * Et oppróbrium. *Is.* 25 *&* 65.

LECTIO X.

VEnit unus de septem Angelis habéntibus phíalas plenas septem plagis novíssimis, & locútus est mecum, dicens : Veni & ostendam tibi sponsam, uxórem Agni. Et sústulit me in spíritu in montem magnum & altum, & osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritátem Dei; & lumen ejus símile lápidi pretióso tamquàm lápidi jáspidis, sicut crystallum. Et habébat murum magnum & altum; habentem portas duódecim; & in portis Angelos duódecim, & nómina inscripta, quæ sunt nómina duódecim tribuum filiórum Israel. Ab Oriente portæ tres, & ab Austro portæ

tres, & ab Occásu portæ tres.

℟. Non audiétur ultrà iníquitas in terrâ tuâ, vástitas & contrítio in términis tuis; * Et occupábit salus muros tuos, & portas tuas laudátio. ℣. Ponam universos filios tuos doctos à Dómino; & multitúdinem pacis fíliis tuis, * Et occupábit. *Isai.* 60 & 54.

LECTIO XI.

ET templum non vidi in eâ: Dóminus enim Deus omnípotens templum illíus est, & Agnus. Et cívitas non eget sole, neque lunâ, ut lúceant in eâ: nam cláritas Dei illumináviteam; & lucerna ejus est Agnus. Et ambulábunt gentes in lúmine ejus; & Reges terræ áfferent glóriam suam & honórem in illam. Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic. Et áfferent glóriam & honórem géntium in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens & mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

℟. Non erit tibi ampliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminábit te: * Sed erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. ℣. Non óccidet ultrà sol tuus, & luna tua non minuétur; * Sed erit. *Isai.* 60.

LECTIO XII. *Cap.* 22.

ET osténdit mihi flúvium aquæ vitæ, splendidum tamquàm crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In médio platéæ ejus, & ex utráque parte flúminis lignum vitæ, áfferens fructus duódecim, per menses síngulos reddens fructum suum, & fólia ligni ad sanitátem géntium. Et omne maledictum non erit ampliùs: sed sedes Dei, & Agni in illâ erunt, & servi ejus sérvient illi. Et vidébunt fáciem ejus; & nomen ejus in fróntibus eórum. Et nox ultrà non erit; & non egébunt lúmine lucernæ, neque lúmine solis, quóniam Dóminus Deus illuminábit illos, & regnábunt in sǽcula sæculórum.

℟. A sǽculo non audiérunt, neque áuribus percepérunt; * Oculus non vidit absque te, quæ præparasti exspectántibus te. ℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondisti timéntibus te. * Oculus. ℣. Glória. * Oculus. *Is.* 64. *Ps.* 30.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

Cap. 10.

FActa sunt Encænia Hierosólymis, & hyems erat; & ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Judæi, & dicébant

ei : Quousque ánimam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit eis Jesus : Loquor vobis, & non créditis. Opera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me : sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt : & ego cognosco eas, & sequuntur me : & ego vitam ætemam do eis : & non períbunt in ætemum, & non rápiet eas quisquam de manu meâ.

AD LAUDES.

ANTIPHONÆ.

I. Lauda, filia Sion ; júbila, Israel ; lætáre & exsulta in omni corde, filia Jerúsalem. *Soph.* 3.

II. Addúcet Deus Israel cum jucunditáte in lúmine majestátis suæ cum misericórdiâ & justítiâ quæ est ex ipso. *Baruch.* 5.

III. Dicent, cùm convértero captivitátem eórum : Benedícat tibi Dóminus pulchritúdo justítiæ, mons sanctus. *Jerem.* 31.

IV. Sedenti in throno & Agno benedíctio, & honor, & glória, & potestas in sécula seculórum. *Apoc.* 5.

V. Qui dealbavérunt stolas suas in sánguine Agni, sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apoc.* 7.

LECTIO. *Apoc.* 19.

Vox de throno exívit dicens : † Laudem dícite Deo nostro omnes servi ejus, & qui timétis eum, pusilli & magni. * Et audívi quasi vocem turbæ magnæ & sicut vocem tonitruórum magnórum dicéntium : Allelúia ; quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens.

℟. *br.* Beáti qui hábitant * In domo tuâ, Dómine, ℟. Beáti. ℣. In sécula seculórum laudábunt te. * In domo. ℣. Glória. ℟. Beáti. *Ps.* 83.

Hymnus, Patris æterni. *ut in Festo. pag.* xcvj.

℣. Vox exsultatiónis & salútis ℟. In tabernáculis justórum. *Ps.* 117.

Ad Benedictus. *Ant.* Benedictus es, Dómine Deus patrum nostrórum, in templo sancto glóriæ tuæ, & benedictus in throno regni tui, & superlaudábilis & superexaltátus in sécula. *Dan.* 3.

COLLECTA. *Br. Clun.*

Deus, qui nobis ætemæ supernæ Jerúsalem gáudia, per temporálem hujus sancti templi tui solemnitátem adumbráre voluisti ; † fac nos, quæsumus, ita dilígere decórem domûs tuæ, * ut & ipsi templum grátiæ tuæ in terris, & locus habitatiónis glóriæ tuæ fieri mereámur in cœlis ; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo. *An.* 1536. *Part.* 9. *Cap.* 13.

SIgnat Templi Dedicátio, tam fidélis ánimæ, quàm Ecclésiæ cum Christo desponsatiónem. Ipsa enim Ecclésia Cathólica, ex multis vivis lapídibus adunáta, verum Dei templum est. Quamóbrem, nisi ómnia quæ in hujuscémodi consecratióne extériùs aguntur, in nobis spirituáliter impleantur, parum hinc fructûs nobis accésserit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Isai.* 51.

VEnient in Sion laudantes; & lætítia sempitérna super cápita eórum; † gáudium & lætítiam tenébunt, * fúgiet dolor & gémitus.

℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: ℟. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus. *Ps.* 45.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Sophon.* 3.

IN die illâ dicétur Jerúsalem: Noli timére, Sion, non dissolvátur manus tuæ. Dóminus ipse salvábit; † Gaudébit super te in lætítiâ, silébit in dilectióne suâ, * exsultábit super te in laude.

℣. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, ℟. Et abundántia diligéntibus te. *Ps.* 121.

AD NONAM.

LECTIO. *Apoc.* 3.

QUi vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, & foras non egrediétur ámpliùs: † & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei, novæ Jerúsalem, * quæ descéndit è cœlo à Deo meo.

℣. Semen servórum Dómini possidébit eam, ℟. Et qui díligunt nomen ejus habitábunt in eâ. *Ps.* 68.

AD II. VESPERAS.

PSALMI ET ANT.

I. *Psalm.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

Ant. Illa quæ sursum est Jerúsalem líbera est, quæ est mater nostra. *Galat.* 4.

II. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 75.

Ant. Non habémus hic manentem civitátem, sed futúram inquírimus. *Hebr.* 13.

III. *Ps.* 136. Super flúmina Babylónis. *pag.* 97.

Ant. Dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino; per fidem enim ambulámus, & non per spéciem. *II. Cor.* 5.

IV. *Ps.* 147. Lauda, Jerúsalem, Dóminum. *pag.* 120.

Ant. Audèmus, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præsentes esse ad Dóminum. *II. Cor.* 5.

LECTIO. *II. Cor.* 5.

SCimus quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, † quòd ædificatiónem ex Deo habémus, * domum non manufactam, æternam in cœlis.

℟. *br.* Concupíscit & déficit ánima mea * In átria Dómini. ℟. Concupíscit. ℣. Quando véniam & apparébo ante fáciem Dei * In átria. ℣. Glória. ℟. Concupíscit. *Ps.* 83 & 41.

Hymnus, Urbs Jerúsalem. *ut ad I. Vesp. Festi pag.* lxxxvij.

℣. Heu mihi quia incolátus meus prolongátus est: ℟. Habitávi cum habitántibus Cedar. *Ps.* 119.

Ad Magníficat. *Ant.* In hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur. *II. Cor.* 5.

OFFICIUM VOTIVUM

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

AD OFFICIUM NOCT.

Ave, María, &c. *secretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum intende, ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. ℣. Glória, &c. Allelúia.

In Ps. Veníte. *Ant.* Jesum de Maríâ natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

HYMNUS. *S. V.*

QUis ore digno te canat,
Virgo Dei puérpera?
Adeste, puri Spíritus,
Vestri sit illud múneris.
Quis intret augustíssima
Mentis tuæ sacrária?
Dotes quis enarrans tuas,
Pertérritus non hæreat?
Dic, Virgo, quæ vis tráxerit
Patri coævum Fílium,
E Patris æterno sinu,
Mortális in matris sinum?
Ad hos honórum te gradus,
Non virginális te pudor,
Non éxtulit tantùm fides,
Nec igne fervens cáritas:
Sed, quæ sibi nunquam placet,
Deo placens modéstia:
Quâ tu tibi sis vílior,
Hâc digna sis mater Dei.

Quàm celsa, quæ se déprimens,
Altum Tonantem déprimit!
In te, suî jam non memor,
Descendit è cœlo Deus.

Sit laus Patri, laus Filio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Filius
Infúdit alvo Vírginis. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Feria II. & V.

Ps. 8. Dómine, Dóminus noster. *pag.* 100.

Ps. 18. Cœli enarrant glóriam Dei. *cum suâ divisione, pag.* 155.

Ps. 44. Eructávit cor meum. *pag.* 104.

Ant. Ave grátiâ plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

℣. Adducentur Regi Vírgines, post eam: ℟. Próximæ ejus afferentur tibi. *Ps.* 44.

Absolutio. Deus memínerit testamenti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras. *II. Mach.* 1.

LECTIO I.

Ex Isáiâ Prophétâ. *Cap.* 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Numquid parùm vobis est molestos esse homínibus; quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet, & páriet Filium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℟. Benedícam ei, & ex illâ dabo Filium cui benedictúrus sum: * Constítuam pactum meum illi, in fœdus sempitérnum. ℣. Hic erit magnus & Filius Altíssimi vocábitur; & regnábit in domo Jacob in ætérnum. * Constítuam. *Gen.* 17. *Luc.* 1.

LECTIO II.

Ex Diálogo sancti Justíni Mártyris cum Tryphóne Judæo. *n.* 84.

SI non è Vírgine iste de quo Isáias dicébat, nascitúrus erat, de quo Spíritus Sanctus exclamábat: Ecce Dóminus dabit signum, Ecce Virgo in útero concípiet & páriet Filium; si perinde atque álii omnes primogéniti, iste quoque ex concúbitu gignendus erat, quodnam signum non cùnctis primogénitis commúne fácere se dixit? Enim verò quod verè signum est & humáno géneri credíbile, futúrum erat, hoc est, ut ex virgináli útero primogénitus creaturárum ómnium caro factus verè puer fíeret.

℟. Ecce concípies in útero, & páries Filium; * Et vocábis nomen ejus Jesum. ℣. Ipse salvum fáciet pópulum suum à peccátis eó-

rum; * Et vocábis. *Luc.* 1. *Matth.* 1.

LECTIO III.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. *Cap.* 4.

QUanto témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit Dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est, usque ad præfinítum tempus à patre: ita & nos cùm essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus, serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus fílium suum, factum èx mulíere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℞. Abrahæ dictæ sunt promissiónes, & sémini ejus: * Non dicit, Et semínibus, quasi in multis; sed, quasi in uno, Et sémini tuo, qui est Christus. ℣. Dixit ad Abraham Deus: Státuam pactum meum, ut sim Deus tuus & séminis tui post te, dabóque tibi & sémini tuo possessiónem ætérnam. * Non. ℣. Glória Patri. * Non. *Galat.* 3. *Gen.* 17.

IN II. NOCTURNO.

Feria III. & VI.

Ps. 45. Deus noster refúgium & virtus. *pag.* 98.

Ps. 84. Benedixísti, Dómine, terram tuam. *p.* 66.

Ps. 86. Fundamenta ejus. *pag.* 147.

Ant. Ecce concípies in útero & páries filium; & vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus; ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

Absolutio. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1.

LECTIO I.

Ex Jeremíâ Prophétâ. *Cap.* 31.

USquequò delíciis dissolvéris, fília vaga? quia creávit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israel: adhuc dicent verbum istud in terrâ Judâ, & in úrbibus ejus, cùm convértero captivitátem eórum: benedícat tibi Dóminus, pulchritúdo justítiæ, mons sanctus.

℞. Aperíte portas; quóniam nobíscum est Deus: * Qui fecit virtútem in Israel. ℣. Quod in eâ natum est, de Spíritu Sancto est. * Qui fecit. *Judith* 13. *Matth.* 1.

LECTIO II.

Ex Epístolâ Synódicâ sancti Cyrilli Alexandríni ad Nestórium. *Apud Concil. Ephes.*

QUia sacra Vìrgo Deum carni secundùm hypóstasim unítum corporáliter

génuit, ob id, illam quoque Deíparam esse dícimus: non quòd Dei Verbum natúrâ existendi inítium ex carne traxerit; sed quia, humánâ natúrâ secundùm hypóstasim sibi unítâ, corpóream ex útero nativitátem expertum est.

℟. Deus ex sémine David * Secundùm promissiónem eduxit Israel, salvatórem Jesum. ℣. Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eam. * Secundùm. *Act.* 13. *Ps.* 131.

LECTIO III.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. *Cap.* 5.

SI uníus delícto mors regnávit per unum, multo magìs abundántiam grátiæ, & donatiónis & justítiæ, accipientes, in vitâ regnábunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per uníus delíctum in omnes hómines in condemnatiónem, sic & per uníus justítiam in omnes hómines justificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam uníus hóminis, peccatóres constitúti sunt multi, ita & per uníus obeditiónem, justi constituentur multi.

℟. Benedixit te Dóminus, in virtúte suâ, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. * Quia. ℣. Glória * Quia. *Judith.* 13. *Luc.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Feria IV. & Sabbato.

Ps. 95. Cantáte Dómino, ... cantáte. *pag.* 9.

Ps. 96. Dóminus regnávit, exsultet terra. *pag.* 10.

Ps. 97. Cantáte Dómino, ... quia. *pag.* 11.

Ant. Quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Descendet sicut plúvia in vellus: ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Absolutio. Pater Dómini nostri Jesu Christi det nobis Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. *Ephes.* 3.

LECTIO I.

Ex Isáiâ Prophétâ. *Cap.* 45.

EGo Dóminus, & non est alter; formans lucem, & creans ténebras, fáciens pacem, & creans malum: ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte, cœli, désuper; & nubes pluant Justum: aperiátur terra, & gérminet salvatórem; & justítia oriátur simul: ego Dóminus creávi eum.

℟. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis; * Et

ipse Deus cum eis erit eórum Deus ; ℣. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ. * Et. *Apoc.* 21. *Ps.* 7.

LECTIO II.

Ex Libro décimo tértio sancti Augustíni Epíscopi de Trinitáte. *Cap.* 18.

POterat Deus hóminem suscípere non de génere Adam ; sed méliùs judicávit & de ipso quod victum fúerat génere assúmere hóminem per quem géneris humáni vínceret inimícum: & tamen ex Vírgine ; cujus conceptum spíritus, non caro ; fides, non libído prævénit. Nascebátur homo, nullum habens, nullum habitúrus omnínò peccátum ; per quem renascerentur liberandi à peccáto qui nasci non possent sine peccáto. Oportébat ítaque ut concupiscéntia nulla ibi esset omnínò, quandò concipiebátur Vírginis partus : in quo nihil dignum morte fúerat inventúrus & eum tamen occisúrus autor mortis, autóris vitæ morte vincendus.

℟. Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar, * Semen ejus in æternum manébit, & thronus ejus sicut sol in conspectu meo. ℣. Antè promíserat Deus per Prophétas de fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secundùm carnem : * Semen ejus. *Ps.* 88. *Rom.* 1.

LECTIO III.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Cap.* 1.

NOvíssimè diébus istis locútus est nobis Deus in Fílio suo quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit & sécula ; qui cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus, portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórũ fáciens, sedet ad déxteram in excelsis : tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit. Cui enim dixit aliquando Angelórum : Fílius meus es tu : ego hódie génui te ? Et rursùm : ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in fílium.

℟. Péperit múlier Fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virgâ férreâ ; * Et † Raptus est Fílius ejus ad Deum & ad thronum ejus. ℣. De ore ejus procédit gládius ex utrâque parte acútus, ut in ipso percútiat gentes, & ipse reget eos in virgâ férreà. * Et raptus est. ℣. Glória Patri. † Raptus est. *Apoc.* 12 & 19.

AD LAUDES.

Ps. 66. Deus misereátur nostrî. *pag.* 14.

Ps. 92. Dóminus regnávit, decórem, *pag.* 15,

Ps. 99. Jubiláte Deo, omnis terra; servíte. *p.* 15.

CANTICUM. *Zach.* 2.

LAuda & lætáre, fília Sion; * quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illâ; & erunt mihi in pópulum, & habitábo in médio tuî: * & scies quia Dóminus exercítuum misit me ad te.

Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terrâ sanctificátâ; * & éliget adhuc Jerúsalem.

Síleat omnis caro à fácie Dómini;* quia consurrexit de habitáculo sancto suo.

Ps. 150. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *pag.* 68.

Ant. Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

LECTIO. *Cant.* 6.

QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

HYMNUS. *S. V.*

AUróra, quæ solem paris,
Et ipsa solis fília;
Quàm spléndidum, cùm násceris,
Affers diem mortálibus!

Te luce sol vestit suâ,
Tibíque luna stérnitur;
Aptáta sacro vértici,
Nectunt corónam sydera.

Te mille virtútum chori;
Te turma cingit Cœlitum;
Ambit suo te Númine,
Qui te facit matrem, Deus.

Uti potens exércitus,
Tu, Virgo, terror hóstium;
Te sic obumbrátam Deo
Pavent, tremuntque tártara.

Qui tabe nos inficerat,
Serpentis élidis caput;
Attrítus æterno jacet
Non jam tremendus vúlnere.

Fac, Virgo, quem scimus Deum
Venísse terris hóspitem,
Per te, manens nobis adhuc,
Nostri sit hospes péctoris.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Fílius
Infudit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ,
℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

CANTICUM. *Luc.* 1.

NE tímeas, María; * invenisti enim grátiá apud Deum.

Ecce concípies in útero, & páries fílium, * & vocábis nomen ejus JESUM.

Hic erit magnus, * & Fílius Altíssimi vocábitur:

Et dabit illi Dóminus Deus * sedem David patris ejus:

Et regnábit in domo Jacob in æternum; * & regni ejus non erit finis.

Ant. Beáta quæ credidisti; quóniam perficientur

eâ quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui de beátæ Maríæ vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti; præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eumdem.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

MEmento, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Nostrî misertus, pérditi
Mundi Redemptor véneris.

Et nos, Dei Virgo parens,
Vultu benigno réspice;
Placábilem tuâ prece
Fac esse nobis Fílium.

Qui natus es de Vírgine,
JESU, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

Ps. 14. Dómine quis hábitábit. *pag.* 69.

Ps. 53. Deus in nómine tuo salvum me fac. *pap.* 71.

Ps. 116. Laudáte Dóminum omnes gentes. *p.* 154.

Ant. Fílius Dei factus est ei ex sémine David secundùm carnem. *Rom.* 1.

LECTIO. *Isai.* 11.

EGrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascendet; & requiescet super eum Spíritus Dómini.

℣. Homo natus est in eâ, ℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus. *Ps.* 86.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

GRátiam tuam, Dómine, méntibus nostris infunde; ut qui, Angelo nuntiante, Christi Fílii tui incarnatióne cognóvimus, per passiónem ejus & crucem, ad resurrectiónis glóriam perducámur: Per eumdem.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Memento, de Deo Deus. *ut suprà ad Primam.*

Ps. 119. Ad Dóminum, cum tribulárer. *pag.* 92.

Ps. 120. Levávi óculos meos. *pag.* 159.

Ps. 121. Lætátus sum. *pag.* 75.

Ant. De Maríâ natus est Jesus, qui vocátur Christus. *Matth.* 1.

LECTIO. *Mich.* 5.

EGrediétur qui sit dominátor in Israel, & egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis.

℣. Dominábitur à mari uſque ad mare, ℟. Et à flúmine uſque ad términos orbis terrárum. *Pſ.* 71.

Kyrie, eleéſon: Chriſte, eleéſon: Kyrie, eleéſon.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

DEus, qui ſalútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ humáno géneri præmia præſtitiſti; tribue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus autórem vitæ ſuſcipere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Memento, de Deo Deus. *ut ſuprà ad Primam.*

Pſ. 122. Ad te levávi. *pag.* 92.

Pſ. 123. Niſi quia Dóminus. *pag.* 123.

Pſ. 124. Qui confidunt. *pag.* 123.

Ant. Benedicta es tu, filia, à Dómino Deo excelſo, præ ómnibus muliéribus ſuper terram. *Judith.* 13.

LECTIO. *Mich.* 5.

DAbit eos uſque ad tempus in quo partúriens páriet; & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Iſrael.

℣. Véritas de terrâ orta eſt, ℟. Et juſtítia de cœlo proſpéxit. *Pſ.* 84.

Kyrie, eleéſon: Chriſte, eleéſon: Kyrie, eleéſon.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

COncéde, miſéricors Deus, fragilitáti noſtræ præsídium; ut qui ſanctæ Dei genitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio à noſtris iniquitátibus reſurgámus: Per eumdem.

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus. Memento, de Deo Deus. *ut ſuprà ad Primam.*

Pſ. 125. In convertendo. *pag.* 53.

Pſ. 126. Niſi Dóminus. *pag.* 75.

Pſ. 127. Beáti omnes. *pag.* 160.

Ant. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ ſuxiſti. *Luc.* 11.

LECTIO. *I. Petr.* 5.

DEus ſuperbis reſiſtit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitatiónis.

℣. Reſpexit humilitátem ancillæ ſuæ; ℟. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. *Luc.* 1.

Kyrie, eleéſon: Chriſte, eleéſon: Kyrie, eleéſon.

Orémus,

Orémus.

Collecta. *Sacr. Greg.*

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne adjuvémur: Per eumdem.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium.

Ps. 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

Ps. 128. Sæpè expugnavérunt me. *pag.* 134.

Ps. 129. De profundis. *pag.* 96.

Ps. 130. Dómine non est exaltátum. *pag.* 96.

Ant. In me ancillâ suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. *Judith*, 13.

Lectio. *Cant.* 6.

VIdérunt eam filiæ, & beatíssimam prædicavérunt; reginæ, & laudavérunt eam.

Hymnus. *B.*

DAvídis sóboles, glória Vírginum,
Christi Virgo parens, te pósuit Deus,
Partu virgíneo quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
Rebus princípium qui dedit ómnibus,
A te princípium sumpsit Homo-Deus;
Cunctis prospíciens qui tríbuit cibos,
Pastus lacte fuit tuo.
Per te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctiùs:
Tu clausas míseris, heu nímiùm diu!
Cœlórum réseras fores.
Qui lucis Pater est, glória sit Patri;
Cujus Virgo parens, glória Fílio;
Quo fœcunda tibi, nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus.
Amen.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Canticum. *Luc.* 1.

BEnedicta tu inter mulíeres, * & benedictus fructus ventris tui.

Et unde hoc mihi * ut véniat mater Dómini mei ad me?

Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, * exsultávit in gáudio infans in útero meo.

Et beáta quæ credidísti; * quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino.

Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui po-

tens est, & sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

Kyrie, eleeison: Christe, eleeison: Kyrie, eleeison.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

IN méntibus nostris, Dómine, veræ fidei sacramenta confirma; ut qui conceptum de Virgine Deũ verum & hóminem confitémur, per ejus salutiferæ resurrectionis poténtiam, ad æternam mereamur pervenire lætitiam: Per eumdem.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos, &c.

℣. Deus, in adjutórium.

Ps. 131. Memento, Dómine, David. *pag.* 160.

Ps. 132. Ecce quàm bonum. *pag.* 75.

Ps. 133. Ecce nunc benedicite. *pag.* 33.

CANTICUM. *Luc.* 2.

SImeon dixit ad Maríam matrem Jesu: * Ecce pósitus est hic in ruinam, & in resurrectiónem multórum in Israel;

Et in signum * cui contradicétur:

Et tuam ipsius ánimam pertransíbit gládius; * ut revelentur ex multis córdibus cogitatiónes.

HYMNUS. *Brev. Paris.*

VIrgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis,
In tua se clausit viscera, factus homo.
Hinc méritis [illegible] secula cuncta [illegible];
Hinc pópuli [illegible], & dominamque [illegible].
Súscipe quos [illegible] tibi pendere [illegible] honóres:
Annue sollicitâ quam [illegible] poscit opem.
Glória magna Patri; compar sit glória Nato;
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus. Amen.

LECTIO. *Genes.* 22.

POssidébit semen [illegible] portas inimicorum suorum; & benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ.

℣. Veníte, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, ℟. Quanta fecit ánimæ meæ. *Ps.* 65.

Kyrie, eleéison: Christe, eleéison: Kyrie, eleeison.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Alcuin.*

PRótege, Dómine, famulos tuos subsidiis pacis; & beatæ Mariæ semper virginis patrociniis confidentes, à cunctis hostibus & periculis redde securos: Per Dóminum.



OFFICIUM DEFUNCTORUM.

In fine Psalmorum & Canticorum dicitur : Requiem æternam.

AD VESPERAS.

Psalm. 114. Dilexi ; quóniam exáudiet. *p.* 53.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam.

Ps. 119. Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi. *pag.* 92.

Ant. Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus est.

Ps. 120. Levávi óculos meos in montes. *pag.* 159.

Ant. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram.

Ps. 129. De profundis clamávi ad te, Dómine. *pag.* 96.

Ant. Si iniquitátes obfervéveris, Dómine ; Dómine, quis sustinébit ?

Ps. 137. Confitébor tibi, Dómine... quóniam. *p.* 54.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

℣. Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum, ℟. Et non derelínquet omnes qui sperant in eo.

Ad Magníficat. *Ant.* Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet ; & eum qui venit ad me, non ejíciam forás. *Joan.* 6.

Secretò dicitur : Pater noster. *Altâ voce,* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónē ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Ps. 145. Lauda, ánima mea, Dóminum. *pag.* 89.

℣. A portâ ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps.* 88.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

In depositione Defuncti.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur ;† ut ánimam fámuli tui *N.* quā de hoc século migráre jussisti, * in pacis ac lucis regióne constítuas, & Sanctórum tuórum júbeas esse consortem.

Pro Diacono, post litteram N. *additur* Diáconi.

In depositione Defunctæ.

COLLECTA. *Miss. Rom.*

QUæsumus, Dómine, pro tuâ pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* †

& à contágiis mortalitátis exútam * in ætérnæ ſalvatiónis partem reſtítue.

In depoſitione Sacerdotis.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DEus, qui inter Apoſtólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Sacerdotáli feciſti dignitáte vigére; † præſta, quæſumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio.

Pro Epiſcopo, loco Sacerdotáli, *dicitur* Pontificáli.

In Anniverſariis.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

DEus indulgentiárum, Dómine, † da ánimæ fámuli tui *N.* (Sacerdótis, *vel* Pontíficis) (*vel* fámulæ tuæ *N.*) cujus (*vel* animábus famulórum tuórum *N.* & *N.* quorum) (*vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* quárum) anniversárium depoſitiónis diem commemorámus, * refrigérii ſedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem.

Pro Fratribus, Propinquis, & Benefactoribus.

COLLECTA. *Sacr. Grimold.*

DEus, véniæ largítor, & humánæ ſalútis amátor, † quæſumus cleméntiam tuam, ut noſtræ congregatiónis fratres, propinquos & benefactóres qui ex hoc ſéculo tranſiérunt, beátâ Maríâ ſemper Vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis conſórtium pervenire concédas; Per.

Pro omnibus Defunctis.

COLLECTA. *Sacr. Gelaſ.*

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularumque tuárum remiſſiónem cunctórum tribue peccatórum; * ut indulgéntiam, quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur: Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Collecta, Fidélium. *ut ſuprà, cum integrâ Concluſione ſequenti:* Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

Sic terminantur Veſperæ & Laudes Defunctorum.

In die Depoſitionis, & in Officio ſolemniori Defuncti dicitur Collecta cum integrâ Concluſione; aliis diebus dicitur Collecta conveniens ſub brevi Concluſione.

Privatìm pro Patre & Matre.

COLLECTA. *Miſſ. Rom.*

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepiſti; miſerére clementer animábus patris ac

matris meæ, eórumque peccáta dimitte; meque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére; Per.

AD VIGILIAS.

In Ps. Veníte. *Ant.* Deŭ, cui omnes vivunt; * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

Hoc Invitatorium dicitur in die Depositionis Defuncti, & quotiès Vigiliæ cum suis tribus Nocturnis dicuntur. Aliis Temporibus dicitur unum tantùm Nocturnum sine Invitatorio, hoc ordine: Fer. II. & V. dicitur primum; Fer. III. & VI. secundum; Fer. IV. & Sabbato, tertium, cum Lectionibus & ℟℟. *cuilibet Feriæ propriis, ut infrà annotantur pag.* cxxxj. *& sequentibus.*

IN I. NOCTURNO.

Fer. II. & V.

Cum suis Lectionibus, infrà, pag. cxxxj.

Psalmi dicuntur cum suis Divisionibus.

Ps. 5. Verba mea áuribus pércipe, Dómine. *pag.* 86.

Ant. Dómine, deduc me in justítiâ tuâ, propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Ps. 6. Dómine, ne in furóre tuo árguas me: ... miserére meî. *pag.* 55.

Ant. Salvum me fac propter misericórdiam tuam; quóniam non est in morte qui memor sit tuî.

Ps. 12. Usquéquò, Dómine, oblivíscéris me in finem? *pag.* 94.

Ant. Illúmina óculos meos, ne unquàm obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem. *Ps.* 73.

Lectiones sine Benedictione leguntur.

Lectio I.

De Libro Job. *Cap.* 14.

HOmo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquàm in eódem statu pérmanet; & dignum ducis super hujuscemodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo conceptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui præteriri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiescat; donec optáta véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. Ad Dóminum aspíciam; exspectábo Deum Salvatórem meum: consurgam, cùm sédero in ténebris. * Iram Dómini por-

& a contagiis mortalitatis exutam * in æternæ salvationis partem restituæ.

In depositione Sacerdotis.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum *N.* Sacerdotali fecisti dignitate vigere; † præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpétuo aggregétur consórtio.

Pro Episcopo, loco Sacerdotali, *dicitur* Pontificali.

In Anniversariis.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus indulgentiarum, Dómine, † da ánimæ famuli tui *N.* (Sacerdótis, *vel* Pontificis) (*vel* famulæ tuæ *N.*) cujus (*vel* animabus famulórum tuórum *N.* & *N.* quorum) (*vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* quárum) anniversarium depositiónis diem commemorámus, * refrigérii sedem, quiétis beatitudinem, & lúminis claritatem.

Pro Fratribus, Propinquis, & Benefactoribus.

COLLECTA. *Sacr. Grimold.*

DEus, véniæ largitor, & humánæ salútis amátor, † quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propinquos & benefactóres qui ex hoc século transiérunt, beátâ Maríâ semper Vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas; Per.

Pro omnibus Defunctis.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

FIdelium, Deus, omnium conditor & Redemptor; animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; * ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur: Qui vivis & regnas in secula seculorum. ℟. Amen.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Collecta, Fidelium. *ut supra, cum integra Conclusione sequenti:* Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per ómnia secula seculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Sic terminantur Vesperæ & Laudes Defunctorum.

In die Depositionis, & in Officio solemniori Defuncti dicitur Collecta cum integrâ Conclusione; aliis diebus dicitur Collecta conveniens sub brevi Conclusione.

Privatim pro Patre & Matre.

COLLECTA. *Miss. Rom.*

DEus, qui nos patrem & matrem honorare præcepisti; miserére clementer animábus patris ac

matris meæ, córumque peccáta dimitte; meque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére; Per.

AD VIGILIAS.

In Ps. Veníte. *Ant.* Deũ, cui omnes vivunt; * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

Hoc Invitatorium dicitur in die Depositionis Defuncti, & quotiès Vigiliæ cum suis tribus Nocturnis dicuntur. Aliis Temporibus dicitur unum tantùm Nocturnum sine Invitatorio, hoc ordine: Fer. II. & V. dicitur primum; Fer. III. & VI. secundum; Fer. IV. & Sabbato, tertium, cum Lectionibus & ℟℟. cuilibet Feriæ propriis, ut infrà annotantur pag. cxxxj. *& sequentibus.*

IN I. NOCTURNO.

FER. II. & V.

Cum suis Lectionibus, infrà, pag. cxxxj.

Psalmi dicuntur cum suis Divisionibus.

Ps. 5. Verba mea áuribus pércipe, Dómine. *pag.* 86.

Ant. Dómine, deduc me in justítiâ tuâ, propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

Ps. 6. Dómine, ne in furóre tuo árguas me: ... miserére meî. *pag.* 55.

Ant. Salvum me fac propter misericórdiam tuam; quóniam non est in morte qui memor sit tuî.

Ps. 12. Usquéquò, Dómine, oblivíscéris me in finem? *pag.* 94.

Ant. Illúmina óculos meos, ne unquàm obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem. *Ps.* 73.

Lectiones sine Benedictione leguntur.

LECTIO I.

De Libro Job. *Cap.* 14.

HOmo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis miseriis. Qui quasi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquàm in eódem statu pérmanet; & dignum ducis super hujuscemodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo conceptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui prætiríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiescat; donec optáta véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. Ad Dóminum aspíciam; exspectábo Deum Salvatórem meum: consurgam, cùm sédero in ténebris. * Iram Dómini por-

tábo; quóniam peccávi ei. ℣. Flagellat Dóminus omnem filium quem récipit. * Iram. *Mich.* 7. *Hebr.* 12.

LECTIO II. *Job.* 17.

SPíritus meus attenuábitur; dies mei breviabúntur; & solum mihi superest sepulchrũ. Non peccávi; & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine; & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérũt; cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquentes cor meum; noctem vertérunt in diem, & rursùm post ténebras spero lucem. Si sustinúero, infernus domus mea est, & in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea, vérmibus; ubi est ergo nunc præstolátio mea? & patiéntiam meam quis consíderat?

℟. Inundavérunt aquæ super caput meum, dixi: Périi: invocávi nomen tuum, Dómine, de lacu novíssimo; vocem meam audísti: * Ne avertas aurem tuam à singultu meo & clamóribus. ℣. Qui voluntáriè genuísti nos verbo veritátis. * Ne avertas. *Thren.* 3. *Jac.* 1.

LECTIO III. *Job.* 19.

PElli meæ, consumptis cárnibus, adhæsit os meum, & derelícta sunt tantùmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amíci mei; quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro, stylo férreo, & plumbi lámina, vel celte sculpántur in sílice? Sciò enim quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum, & rursùm circúmdabor pelle meâ, & in carne meâ, vidébo Deum meum, quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Scio quia universórũ memíneris, Dómine; * Si peccávi, & ad horam pepercisti mihi; cur ab iniquitáte meâ mundum me esse non páteris? ℣. Qui emundas nos ab omni iniquitate. * Si. *Job*, 10. *I. Joan.* 1.

IN II. NOCTURNO.

FER. III. & VI.

Cum suis Lectionibus infrà, pag. cxxxij.

Psalm. 22. Dóminus regit me. *pag.* 115.

Ant. In médio umbræ mortis, non timébo mala; quóniam tu mecum es, Dómine.

Ps. 24. Ad te, Dómine, levávi. *pag.* 6.

Ant. Delícta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Ps. 26. Dóminus illuminátio mea & salus mea. *pag.* 7.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terrâ vivéntium.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ℟. Ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 26.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* 173. *de Verbis Apost. n.* 1. *Ed. Ben.*

QUando celebrámus dies fratrum defunctórum, in mente habére debémus, & quid sperandum, & quid timendum sit. Secundùm hoc enim sperandum est, quóniam pretiósa in conspectu Dómini mors Sanctórum ejus: secundùm hoc autem timendum est, quia Mors peccatórum péssima. Ideóque propter spem, in memóriâ æternâ erit justus: propter timórem, Ab audítu malo non timébit. In hâc ergo medietáte vitæ, illud quod audívimus ex Evangélio, tenére debémus: Qui credit, inquit, in me, licèt moriátur, vivit. Quid est: Licet moriátur, vivit? Licèt moriátur córpore, vivit spíritu. Deindè adjungit: Et qui vivit, & credit in me, non moriétur in æternum. Certè licèt moriátur; quómodò, si non moriétur? sed licèt moriátur ad tempus, non moriétur in æternum.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum; * Et in carne meâ vidébo Deum meum. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem; * Et in carne. *Job*, 19. *I. Cor.* 15.

LECTIO V. *n.* 2. 3.

COnsolémur ergo nos ínvicem, & in his sermónibus nostris. Potest non dolére cor humánum, defuncto caríssimo: mélius tamen cùm dolet sanátur cor humánum, quàm non dolendo fit inhumánum. María Dómino cohærébat, mórtuum fratrem dolébat. Sed quid miráris quia María dolébat tunc, cùm ipse Dóminus flebat? Ideò & Apóstolus, de dormiéntibus, inquit: Nolo vos ignoráre, fratres, ut non contristémini, sicut & gentes quæ spem non habent. Non tantùm ait, ut non contristémini: sed, ut non sic contristémini, quemádmodùm gentes quæ spem non habent. Necesse est enim ut contristémini: sed ubi contristáris, consolétur te spes.

℟. Omnes nos manifestári oportet ante tribúnal Christi, * Ut réferat unusquisque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. ℣. Statútum

est homínibus semel mori; post hoc autem judícium. * Ut. *II. Cor.* 5. *Hebr.* 9.

LECTIO VI.

QUómodò non contristáris, ubi corpus quod vivit ex ánimâ, fit exánime, discedente ánimâ? Qui ambulábat, jacet; qui loquebátur, tacet. Discessit qui non videbátur; remansit quod cum dolóre videátur: ista est causa tristítiæ. Si hæc est causa tristítiæ, sit hujus tristítiæ consolátio. Quæ consolátio? Quia, Ipse Dóminus in jussu & in voce Archángeli, & in novíssimâ tubâ descendet de cœlo, & mórtui in Christo resurgent primi: deinde viventes qui réliqui sumus, simul cum illis rapiémur in núbibus óbviàm Christo in áera. Numquid & hoc ad tempus? Non: sed quid est? Et ita semper cum Dómino érimus. Péreat contristátio ubi tanta est consolátio; detergátur luctus ex ánimo; fides expellat dolórem. In tantâ spe non decet esse triste templum Dei. Ibi hábitat bonus consolátor; ibi qui non fallit, promissor. Quid mórtuum diù plangámus? Quóniam mors amára est? per illam transívit & Dóminus. Consolétur vos abundántiùs qui non migrat de corde vestro; sed ita dignétur habitáre, ut nos dignétur étiam in fine mutáre.

℟. Omnes qui in monuméntis sunt, áudient vocem Fílii Dei; * Et procédent qui bona fecérunt, in resurrectiónem vitæ; *qui* verò mala egérunt, in resurrectiónem judícii. ℣. In momento, in ictu óculi, in novíssimâ tubâ, mórtui resúrgent. * Et procédent. *Joan.* 5. *I. Cor.* 15.

IN III. NOCTURNO.

FER. IV ET SABBATO.

Cum suis Lectionibus infrà, pag. cxxxiij.

Ps. 38. Dixi: Custódiam vias meas. *pag.* 121.

Ant. Amove à me plagas tuas, Dómine: áuribus pércipe lácrymas meas.

Ps. 40. Beátus qui intélligit super egénum. *pag.* 71.

Ant. Numquid qui dormit non adjíciet ut resurgat? Dómine, miserére meî, & resúscita me.

Ps. 41. Quemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum. *pag.* 93.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei!

℣. Quare tristis es, ánima mea, & quare conturbas me? ℟. Spera in Deo: quóniam adhuc confitébor illi. *Ps.* 42.

LECTIO VII.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses. *Cap.* 4.

SI crédimus quòd Jesus mórtuus est, & resurrexit

rexit : ita & Deus eos qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos qui vívimus, qui residui sumus in adventum Dómini, non prævenièmus eos qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu, & in voce Archángeli, & in tubâ Dei descendet de cœlo : & mórtui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviàm Christo in áera, & sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

℟. Non resurgent ímpii in judício, neque peccatóres in concílio justórum : * Quóniam novit Dóminus viam justórum ; & iter impiórum períbit. ℣. Mors peccatórum péssima : pretiósa in conspectu Dómini, mors Sanctórum ejus. * Quóniam. *Ps.* 1. 33. & 115.

LECTIO VIII. *Cap.* 5.

DE tempóribus autem, & momentis, fratres, non indigétis ut scribámus vobis : ipsi enim diligenter scitis, quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim dixerint : Pax & secúritas ; tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habentis, & non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa, tamquàm fur comprehendat: omnes enim vos fílii lucis estis & filii diei : non sumus noctis, neque tenebrárum.

℟. Deus meus, ne síleas à me : * Ne simul trahas me cum peccatóribus ; & cum operántibus iniquitátem ne perdas me. ℣. Pars illórum erit in stagno ardenti igne & súlphure. * Ne simul. *Ps.* 27. *Apoc.* 21.

LECTIO IX.

NOn dormiámus, sicut & cæteri ; sed vigilémus, & sóbrii simus. Qui enim dórmiunt, nocte dórmiunt ; & qui ébrii sunt, nocte ébrii sunt : nos autem qui diéi sumus, sóbrii simus, indúti lorícam fidei & caritátis, & gáleam spem salútis, quóniam non pósuit nos Deus in iram, sed in acquisitiónem salútis per Dóminum nostrum Jesum Christum, qui mórtuus est pro nobis : ut sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum illo vivámus. Propter quod consolámini ínvicem, & ædificáte altérutrum.

℟. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me : non absórbeat me profundum, neque úrgeat super me púteus os suum : * Exaudi me, quóniam † Benigna est misericórdia tua : ¶ In-

tende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Dómine Deus, Rex seculórum, solus pius es. * Exaudi me, quóniam † Benigna est misericórdia tua. ¶ Intende ánimæ meæ & líbera eam. ℣. Miserére meî, Dómine, Fili David: Dómine, ádjuva me. † Benigna est misericórdia tua: ¶ Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Propósuit te, Deus, propitiatiónem per fidem propter remissiónem delictórum. ¶ Intende ánimæ meæ, & líbera eam. *Ps.* 68. *Apoc.* 15. *Matth.* 15. *Rom.* 3.

AD LAUDES.

Psalm. 50. Miserére meî, Deus, secundùm. *p.* 162.

Ant. Secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum dele iniquitátem meã.

Ps. 64. Te decet Hymnus. *pag.* 87.

Ant. Exaudi, Deus, oratiónem meam; ad te omnis caro véniet.

Ps. 142. Dómine, exaudi oratiónem meam; áuribus. *pag.* 72.

Ant. Propter nomen tuũ, Dómine, vivífica me.

CANTICUM. *Baruch.* 3.

DOmine, omnípotens, Deus Israel, * ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te:

Audi, Dómine, & miserére, quia Deus es miséricors; * & miserére nostrî, quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempiternum, * & nos períbimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Israel, * audi nunc oratiónem mortuórum Israel,

Et filiórum ipsórum, qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei sui, * & agglutinata sunt nobis mala.

Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum, * sed memento manûs tuæ, & nóminis tui in témpore isto:

Quia tu es Dóminus Deus noster; * & laudábimus te, Dómine.

Ant. Miserére nostrì, Dómine; quia peccávimus ante te.

Ps. 150. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *pag.* 68.

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum.

℣. Educ de custódiâ ánimam meam, ℟. Ad confiténdum nómini tuo, Dómine. *Ps.* 140.

Ad Benedictus. *Ant.* Ego sum resurréctio & vita; qui credit in me, étiam si mortuus fúerit vivet: & omnis qui vivit & credit in me, non moriétur in æternum. *Joan.* 11.

Pater noster, &c. *ut suprà ad I. Vesperas, pag.* cxxiij, *excepto quòd loco Psalmi* Lauda. *dicitur Ps.* 129. De profundis. *suprà pag.* 96.

In Officiis Defunctorum in quibus unum tantùm dicitur Nocturnum, Psalmi, Ant. & ℣. sumuntur ex Officio præcedenti secundùm Feriam, & tres dicuntur Lectiones cum suis ℟℟. ordine qui infrà notatur.

FERIA II. ET V.

LECTIO I.

De Libro Job. *Cap.* 7.

MIlítia est vita hóminis super terram: & sicut dies mercenárii, dies ejus. Sicut servus desíderat umbram, & sicut mercenárius præstolátur finem óperis sui; sic & ego hábui menses vácuos, & noctes laboriósas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam: Quando consurgam? & rursum exspectábo vésperam, & replébor dolóribus usque ad ténebras. Indúta est caro mea putrédine & sórdibus púlveris: cutis mea áruit, & contracta est. Dies mei velóciùs transiérunt quàm à texente tela succíditur, & consumpti sunt absque ullâ spe. Memento quia ventus est vita mea, & non revertétur óculus meus ut vídeat bona, nec adspíciet me visus hóminis.

℟. Defecérunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut crémium aruérunt. * Tu autem, Dómine, idem ipse es, & anni tui non deficient. ℣. Quæ est vita nostra? vapor est ad módicum parens. * Tu autem. *Ps.* 101. *Jac.* 4.

LECTIO II.

Ex Enchiridio sancti Augustíni Epíscopi de Fide, Spe, & Caritáte. *Edit. Bened. Cap.* 109.

NEque negandum est Defunctórum ánimas pietáte suórum vivéntium relevári, cùm pro illis sacrifícium Mediatóris offertur vel eleemósynæ in Ecclésiâ fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm víverent, ut hæc sibi póstcà possent prodesse, meruérunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requírat ista post mortem; nec tam malus, ut non ei prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requírat; & est rursus talis in malo, ut nec his váleat, cùm ex hac vitâ transíerit, adjuvári. Quocirca hic omne méritum comparátur, quo possit post hanc vitam relevári quíspiam, vel gravári. Nemo se autem speret, quod hìc negléxerit, cùm obíerit, apud Deum promeréri.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repósitam grátiam. * Sancta ergo & salubris est cogitátio pro Defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur. ℣. U-

niuscujusque opus quale sit, ignis probábit. * Sancta ergo. *II. Machab.* 12. *I. Cor.* 3.

LECTIO III.

Ex Epistolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios. *Cap.* 3.

FUndamentum áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur; & uniuscujusque opus quale sit, ignis probábit. Si cujus opus mánserit quod superædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árserit, detrimentum patiétur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

℟. Líbera me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: secundùm multitúdinē miseratiónum tuárum réspice in me. * Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Deus, propítius esto mihi peccátori. * Intende. *Ps.* 68. *Luc.* 18.

FERIA III. ET VI.

LECTIO I.

De Libro Job. *Cap.* 7.

PArce mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glútiam salívam meam? Peccávi; quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi & factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; & si manè me quæsíeris, non subsístam.

℟. Dies mei sicut umbra declinavérunt; & ego sicut fenum árui. * Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes. ℣. Præcisa est velut à texente vita mea: de mane usque ad vésperam finies me. * Tu autem. *Ps.* 101. *Isai.* 38.

LECTIO II.

Ex Homíliâ vigésimâ primâ sancti Joannis Chrysóstomi in Acta Apostolórum. *n.* 4. *Edit. Ben.*

NOn frustra oblatiónes pro Defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemósynæ. Hæc ómnia spíritus dispósuit volens, ut nos mútuò juvémus. Non frustra clamat Diáconus: Pro iis qui in Christo defuncti sunt & pro iis qui illórum memóriam fáciunt. Non Diáconus hanc emittit vocem;

ſed ſpíritus; non ſanctus dico, ſed donum ejus. Quid dicis? In mánibus eſt hóſtia, & ómnia paráta proſtant. Adſunt Angeli, Archángeli; adeſt Filius Dei; cum tanto horróre adſtant omnes, adſtant illi clamantes ómnibus ſiléntibus, & putas hæc fruſtra fieri? Abſit. Sed ómnia cum fide fiunt. Hæc cùm ſciámus, conſiderémus quantas póſſumus conſolatiónes Defunctis conferre vice lacrymárum, vice flétuum, vice monumentórum; eleemóſynas, nempe, oratiónes, oblatiónes; ut & illi & nos promiſſa conſequámur bona.

℟. Dómine omnípotens, Deus Iſrael, ánima in angúſtiis, & ſpíritus ánxius clamat ad te: * Audi, Dómine, & miſerére, quia Deus es miſéricors. ℣. Occíſus es, & redemiſti nos in ſánguine tuo. * Audi. *Baruch*. 3. *Apoc*. 5.

LECTIO III.

Ex Epíſtolâ ſecundâ beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios. *Cap*. 5.

SCimus quóniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupientes; audentes ígitur ſemper, ſcientes quóniam dum ſumus in córpore, peregrinámur à Dómino; per fidem enim ambulámus, & non per ſpéciem, audémus autem, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præſentes eſſe ad Dóminum. Et ídeo conténdimus, ſive abſentes, ſive præſentes, placére illi. Omnes enim nos manifeſtári oportet ante tribúnal Chriſti, ut réferat unuſquiſque própria córporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.

℟. Líbera me, Dómine, quóniam benigna eſt miſericórdia tua: & ne avertas fáciem tuam à púero tuo: * Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Salvátor ómnium hóminum, máximè fidélium. * Intende. *Pſ*. 68. *I. Tim*. 4.

FERIA IV. ET SABBATO.

LECTIO I.

De Libro Job. *Cap*. 10.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ: dimittam adverſùm me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre; índica mihi cur me ita júdices? Numquid bonum tibi vidétur, ſi calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & conſílium impiórum ádjuves?

Numquid óculi cárnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, & anni tui sicut humána sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo qui de manu tuâ possit erúere.

℟. Non intres in judícium cum servo tuo, Dómine; quia * Non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. ℣. Si justus vix salvábitur, ímpius & peccátor ubi parébunt? * Non. *Ps.* 142. *I. Petr.* 4.

LECTIO II.

Ex Sermóne Sancti Augustíni Epíscopi de Verbis Apóstoli. *Serm.* 172. *Cap.* 2. *Edit. Bened.*

ORatiónibus sanctæ Ecclésiæ, & sacrificio salutári, & eleemósynis quæ pro eórum spirítibus erogantur, non est dubitandum mórtuos adjuvári; ut cum eis misericórdiùs agátur à Dómino, quàm eórum peccáta meruérunt. Hoc enim à Pátribus tráditum; universa obsérvat Ecclésia, ut pro eis qui in córporis & sánguinis Christi communióne defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrifícium loco suo commemorantur, orétur; ac pro illis quoque id offerri commemorétur. Cùm eórum commendatórum causâ, ópera misericórdiæ celebrantur; quis eis dúbitet suffragári, pro quibus oratiónes Deo non inániter allegantur? Non omníno ambigendum est ista prodesse defunctis; sed tálibus, qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utília esse post mortem.

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere * Evigilábunt; álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium, ut vídeant semper. ℣. Omnes quidem resurgémus; sed non omnes immutábimur. * Evigilábunt. *Dan.* 12. *I. Cor.* 15.

LECTIO III.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses. *Cap.* 4.

NOlumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus; ut non contristémini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim crédimus quòd Jesus mórtuus est, & resurrexit; ita & Deus eos qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in Verbo Dómini, quia nos qui vívimus, qui resídui sumus in adventum Dómini, non præveniémus eos, qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu, & in voce Archángeli, & in tubâ Dei descendet de cœlo: & mórtui qui in Christo sunt, resurgent

primi. Deinde nos qui vívimus, qui relínquimur, ſimul rapiémur cum illis in núbibus óbviàm Chriſto in áera; & ſic ſemper cum Dómino érimus. Itaque conſolámini ínvicem in verbis iſtis.

℟. Líbera me, Dómine, quóniam benigna eſt miſericórdia tua: quóniam tríbulor, velóciter exáudi me. * Inténde ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Utique, Dómine, ego crédidi quia tu es Fílius Dei vivi. * Inténde. *Pſ.* 68. *Joan.* 11.

PSALMI PŒNITENTIÆ.

Pſ. 6. Dómine, ne in furóre. *pag.* 55.

Pſ. 31. Beáti quorum remiſſæ ſunt. *pag.* 95.

Pſ. 37. Dómine, ne in furóre. *pag.* 142.

Pſ. 50. Miſerére meî, Deus. *pag.* 162.

Pſ. 101. Dómine, exaudi orationem meam. *pag.* 116.

Pſ. 129. De profundis. *pag.* 96.

Pſ. 142. Dómine, exaudi. . . . áuribus. *pag.* 72.

Ant. Dómine, memor eſto meî, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delícta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

LITANIÆ.

Kyrie, eleéſon; Chriſte, eleéſon; Kyrie, eleéſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili Redēptor mundi Deus, Miſerére nobis.
Spíritus Sancte Deus, Miſ.
Sancta Trínitas unus Deus, Miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginū, ora.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes ſancti Angeli & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes ſancti beatórum Spiríruum Ordines, oráte.
Sancte Joañes Baptiſta, ora.
Sancte Joſeph, ora.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacóbe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*)
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thaddæe,
Sancte Mathía,
Sancte Bárnaba,
Sancte Marce,
Sancte Luca,
Ora pro nobis.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.

Omnes sancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Symeon, ora.
Sancte Ignáti, ora.
Sancte Polycarpe, ora.
Sancti Gervási & Protási, oráte pro nobis.
Sancte Pothíne cum sóciis tuis, ora.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancti Fabiáne & Sebastiáne, oráte.
Sancti Cornéli & Cypriáne, oráte pro nobis.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Mauríti cum sóciis tuis, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Cosma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, oráte pro nobis.
Sancte Fulgenti, ora.
Sancte Plácide cum sóciis tuis, ora.
Omnes sancti Mártyres & Cōfessóres Christi, oráte.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Athánasi, ora.
Sancte Básili, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Joannes Chrysóstome, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Rémigi, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Vitóne, ora.
Sancte Cárole, ora.
Omnes sancti Pontífices & Doctóres, oráte.
Sancte Lázare cum soróribus tuis, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Pater Benedícte, ora.
Sancte Maure, ora.
Sancte Bruno, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora pro nobis.
Sanctæ Perpétua & Felícitas, oráte.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Mónica, ora.
Sancta Scholástica, ora.
Omnes sanctæ Vírgines, oráte pro nobis.
Omnes sanctæ Mulíeres & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro nobis.
Propítius esto, Parce nobis, Dómine.
Propítius esto, Exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.

Ab irâ tuâ, líbera.
A ſubitáneâ & improvísâ morte,
Ab insídiis diáboli,
Ab immundis cogitatiónibus,
A ſpíritu fornicatiónis,
Ab irâ, & ódio, & omni malâ voluntáte,
A fúlgure & tempeſtáte,
A morte perpétuâ,
Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ,
Per Adventum tuum,
Per Nativitátem tuam,
Per Baptiſmum & ſanctum Jejúnium tuum,
Per Crucem & Paſſiónem tuam,
Per Mortem & Sepultúram tuam,
Per ſanctam Reſurrectiónem tuam,
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam,
Per adventum Spíritûs Sancti Paracléti,
In die judícii,

Líbera nos, Dómine.

Peccátores, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut remiſſiónem peccatórum noſtrórum nobis dones, te.
Ut compunctiónem cordis, fontemque lacrymárum nobis dones, te.
Ut fidem, ſpem, & caritátem nobis dones, te.
Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere & conſerváre dignéris, te.
Ut Domnum Apoſtólicum & omnes gradus Eccléſiæ in ſanctâ Religióne conſerváre dignéris, te.
Ut inimícos ſanctæ Eccléſiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Regem noſtrum cuſtodíre dignéris, te.
Ut Régibus & Princípibus Chriſtiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te.
Ut cuncto Pópulo Chriſtiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te.
Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervítio confortáre & conſerváre dignéris, te.
Ut mentes noſtras ad cœléſtia deſidéria érigas, te.
Ut ómnibus Benefactóribus noſtris ſempiterna bona retríbuas, te.
Ut ánimas noſtras, fratrum, propinquórum, & benefactórũ noſtrórum ab æternâ damnatióne erípias, te.
Ut fructus terræ dare & conſerváre dignéris, te.
Ut ómnibus Fidélibus defunctis, réquiem æternam donáre dignéris, te.
Ut nos exaudíre dignéris, te.
Fili Dei, te rogámus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis.

Chriſte, audi nos; Chriſte, exaudi nos.

Kyrie, eleéſon: Chriſte, eleéſon: Kyrie, eleéſon.

Pater noſter, *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem: ℟. Sed líbera nos à malo.

Pſ. 69. Deus, in adjutórium. *pag.* 128.

℣. Dómine, non ſecundùm peccáta noſtra fácias nobis; ℟. Neque ſecundùm iniquitátes noſtras retríbuas nobis. *Pſ.* 102.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Collectæ. *Sacr. Leon. Gelaſ. Greg. & Alcuin.*

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere; ſúſcipe deprecatiónem noſtram, ut nos & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa conſtringit, miserátio tuæ pietátis clementer abſolvat.

EXaudi, quæſumus, Dómine, ſúpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benignus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam clementer oſténde; ut ſimul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris; preces pópuli tui ſupplicantis propítius réſpice, & flagella tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis noſtris merémur, avérte.

OMnípotens, ſempitérne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro N. & dírige eum ſecundùm tuam cleméntiam in viam ſalútis ætérnæ ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

OMnípotens, ſempitérne Deus, cujus Spíritu totum corpus Eccléſiæ ſanctificátur & régitur: exaudi nos pro univerſis Ordínibus ſupplicantes; ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter ſerviátur.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noſter *N.* qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre; & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat pervenire.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta conſília, & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra

mandátis tuis dédita, & hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, adspirando præveni, & adjuvando proséquere; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te semper finiátur.

FIdélium Deus ómnium Cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur.

OMnípotens, sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, omniumque miseréris, quos tuos fide & ópere futúros esse prænoscis; te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequántur; Per Dóminum.

BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM, *Superior incipit;* Benedícite, *Respondent alii:* Dóminus. *Deinde dicit* ℣. Oculi ómnium, *Alii prosequuntur:* In te sperant, Dómine; & tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144. ℣. Glória. ℟. Sicut erat. Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. Pater noster. *secretò.* Et ne nos, &c.

Posteà Superior dicit: Orémus. *Sacr. Gelas.*

BEnedic, Dómine, dona ✠ tua quæ de tuâ largitáte sumus sumptúri: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Lector: Jube, Domne, benedícere. *Benedictio.* Mensæ cœlestis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

ANTE CŒNAM, *Superior benedicturus mensam, dicit,* Benedícite; *Respondent alii:* Dóminus. *Deinde Superior incipit*

℣. Edent páuperes, & saturabuntur; *Alii prosequuntur:* Et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum; vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. Kyrie, eleéson. &c. Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne

nos. ℟. Sed líbera nos. Orémus. Bénedic, Dómine, *ut suprà ad Prandium.* ℣. Jube, Domne, benedícere. *Benedictio.* Ad cœnam vitæ ætærnæ perdúcat nos Rex ætærnæ glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO.

Post Prandium. *Ad signum Superioris omnes surgunt. Superior incipit :*

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum, ℟. Miséricors & miserátor Dóminus; escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110. ℣. Glória Patri. ℣. Sicut erat, &c.

Posteà Superior absolutè dicit :

Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis; Qui vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

Deinde Psalm. 50. Miserére. *pag.* 162. *A Nativit. ad Septuages. Ps.* 97. Cantáte Dómino... quia. *pag.* 11. ℣. Glória Patri, &c. Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. *Sacerdos dicit :* Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Deinde sine Orémus.

RETribúere, dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Post Cœnam. *Superior dicit :* Memóriam fecit mirabílium suórum, ℟. Miséricors & miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110. ℣. Glória Patri. ℣ Sicut erat.

Superior dicit : Benedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis; qui vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Ps. 116. Laudáte Dóminum, omnes gentes. *pag.* 154. *Reliqua ut suprà.*

In Jejuniis, ad Refectionem., *fit Benedictio mensæ & gratiarum actio, ut notatum est pro Cœnâ, excepto quòd loco Psalmi* Laudáte. *dicatur Psalm.* 50. Miserére.

Prædictus modus benedicendi mensam, & agendi gratias servatur omni tempore, præterquàm in triduo ante Pascha.

ITINERARIUM.

Viator, in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari; si cum sociis, in plurali ut sequitur.

Canticum, Benedíctus Dóminus Deus Israel. *pag.* 18.

Ant. In viam pacis & prosperitátis dírigat nos

omnípotens & misericors Dóminus; & Angelus Ráphael comitétur nobiscum in viâ, ut cum pace, salúte & gáudio revertámur ad própria.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto; ℟. Et de Sion tuére nos.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

COLLECTÆ. *Sacr. Gelas. &c.*

DEus, qui fílios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecisti, quique Magis, iter ad te, stellâ duce, pandisti: tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum, tempusque tranquillum; ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pergimus, ac demùm ad ætærnæ salútis portum pervenire felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum eductum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodisti; quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis, Dómine, in procinctu suffrágium, in viâ solátium, in æstu umbráculum, in plúviâ & frígore tegumentum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, prósperè perveniámus, & demùm incólumes ad própria redeámus.

ADesto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris; & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne: ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes, tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; & beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

℣. Procedámus in pace, ℟. In nómine Dómini. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM.

Ad libitum Sacerdotis.

Ps. 83. Quàm dilecta. *pag.* 114.

Ps. 84. Benedixisti. *pag.* 66.

Ps. 85. Inclína, Dómine. *pag.* 163.

Ps. 115. Crédidi. *pag.* 118.

Ps. 129. De profundis. *pag.* 96.

Ant. Dómine, memor esto meî; & ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea. *Tob.* 3.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Pater noster, &c. Et ne nos inducas, &c.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére meî; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 48.

℣. Convértere, Dómine; úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justitiam, ℟. & Sancti tui exsultent. *Ps.* 131.

℣. Ab occultis meis munda me, Dómine; ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Ps.* 18.

℣. Dómine, exaudi, &c. ℟. Et clamor, &c.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Leon. &c.*

AUres tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, & grátiâ Sancti Spíritûs illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis dignè ministráre, teque æternâ caritáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & *quem nullum* latet secrétum; *purífica* per infusiónem Sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri, ut te perfectè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne Sancti Spíritûs renes nostros, & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet; & indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs Sancti; quæ & corda nostra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur advérsis.

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritûs illustratióne docuísti; da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére.

COnsciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitando purífica; ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem: Qui tecum vivit & regnat &c. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Ps. 22. Dóminus regit me. *pag.* 115.

Ps. 33. Benedícam Dóminum. *pag.* 158.

Ps. 102. Bénedic, ánima mea, Dómino, & ómnia. *pag.* 117.

Ant. O quàm suávis est, Dómine, Spíritus tuus! qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, dívites dimittens inánes.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus: ℟. Escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Quid est homo, quòd memor es ejus? ℟. Aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea; ℟. Et lábiis exsultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Nunc dimittis servum tuum, Dómine, secundùm verbum tuum in pace; ℟. Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. *Luc.* 2.

℣. Dómine, exaudi, &c.
℟. Et clamor, &c.

Orémus.

COLLECTÆ. *Sacr. Gelas. &c.*

VIsita, quæsumus, Dómine, famíliam tuam; & corda sacris dicáta mystériis pervígili tuére pietáte: ut remédia salútis ætérnæ, quæ, te miserante, percípiunt, te protegente custódiant.

MEnsa tua nos, Deus, à delectatiónibus terrénis expédiat; & cœléstibus semper ínstruat alimentis.

COgnóscimus, Dómine, tuæ circa nos cleméntiæ largitátem; & ídeo fiduciáliùs implorámus, ut quos páscere non desistis imméritos, & dignè tibi servíre perfícias, & donis uberióribus prosequáris.

TUa nos, Dómine, medicinális operátio & à nostris perversitátibus expédiat; & tuis semper fáciat hærére mandátis.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ne períre patiáris quibus tanta remédia providisti; sed cum divíni frequentatióne mystérii crescat nostræ salútis effectus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, adspirando præveni, & adjuvando proséquere; ut cun-

cta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te semper finiátur.

ADjuvet nos grátia tua; omnípotens Deus; ut qui officium Sacerdotále suscépimus, dignè ac devótè tibi in omni puritáte, & consciéntiâ bonâ famulári valeámus: & si non póssumus in tantâ innocéntiâ vitæ conversári, ut debémus; concéde nobis tamen dignè flere mala quæ géssimus; & in spíritu humilitátis, ac bono voluntátis propósito, tibi fervéntiùs de cætero desservíre: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ORDO ABSOLUTIONIS

in Sacramento Pœnitentiæ tenendus.

Dicto à Pœnitente, Bénedic mihi, Pater; quia peccávi; *Sacerdos subjungit:* Dóminus sit in corde tuo, & in lábiis tuis; ut váleas confitéri ómnia peccáta tua: In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Deinde Pœnitens dicit, Confíteor, &c. *usque ad* meâ culpâ.

Et post Confessionem reliqua prosequitur. Tum Sacerdos, injunctâ ei priùs, & ab eo acceptatâ salutari pœnitentiâ, primò dicit: Misereátur tuî omnípotens Deus, & dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem, ✠ & remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens & miséricors Dóminus. Amen.

Deinde dexterâ versùs Pœnitentem elevatâ, dicit:

DOminus noster Jesus Christus, qui est summus Póntifex, te absolvat; & ego autoritáte ipsius te absolvo ab omni vínculo excommunicatiónis, (suspensiónis,) & interdicti, in quantum possum & tu índiges. *Deinde.* Ego te absolvo à peccátis tuis, in nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Si Pœnitens sit laicus, omittitur verbum (suspensiónis.)

Deinde manum removens, subdit:

PAssio Dómini nostri Jesu Christi, mérita beatæ Maríæ Vírginis, & ómnium Sanctórum, quidquid boni féceris, & mali sustinúeris, sint tibi in remissiónem peccatórum, augmentum grátiæ, & præmium vitæ ætérnæ. Amen.

Urgente verò gravi necessitate, aut in periculo mortis, satis erit dicere: Ego te absolvo ab ómnibus censúris & peccátis, in nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

LITANIÆ

LITANIÆ DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Dominicâ, Fer. III. V. & VI. & in omnibus Solemnitatibus Domini, pridie & die.

Kyrie, eleéson.
Christe, eleéson.
Kyrie, eleéson.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, Miserére nobis.
Fili Redemptor mundi, Deus,
Spíritus Sancte, Deus,
Sancta Trínitas, unus Deus,
Jesu Christe, Fili Dei vivi,
Jesu, Virtus & Sapiéntia Dei,
Jesu, spéculum sine máculâ majestátis Dei,
Jesu, cui data est omnis potestas in cœlo & in terrâ,
Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapiéntiæ & sciéntiæ Dei abscónditi,
Jesu, qui es super ómnia Deus benedictus in sécula,
Jesu, quem adórant Angeli,
Jesu, cui omnes Prophétæ testimónium perhibent,

Miserére nobis.

Jesu, Princeps regum terræ,
Jesu, exspectátio géntium,
Jesu, Verbum caro factum,
Jesu, qui venisti ad nos justus, mansuétus & pauper,
Jesu, Mediátor Dei & hóminum,
Jesu, melióris testamenti sponsor,
Jesu, Oblátio munda, quæ in omni loco sacrificátur & offertur,
Jesu, Sacerdos in ætérnum,
Jesu, Póntifex futurórum bonórum,
Jesu, Rex & Salvátor noster,
Jesu, quem Advocátum habémus apud Patrem,
Jesu, causa salútis ætérnæ,

Miserére nobis.

Jesu, auctor & consummátor fidei,
Jesu, petra & fundamentum Ecclésiæ,
Jesu, Princeps pastórum,
Jesu, qui es Pastor & Epíscopus animárum nostrárum,
Jesu, bone Pastor, dans ánimam tuam pro óvibus tuis,
Jesu, Via, Véritas & Vita,
Jesu, lux vera illúminans omnem hóminem,
Jesu, Légifer noster,
Jesu, exemplar nostrum,
Jesu, thesaurus noster,

Jesu, sapiéntia & justítia nostra,
Jesu, sanctificátio & redémptio nostra,
Jesu, qui fecisti nos regnum & sacerdótes Deo & Patri tuo,
Jesu, quem nosse, vívere est,
Jesu, cui servíre, regnáre est,
Jesu, cui glória & impérium,

Miserére nobis.

Propítius esto, Parce nobis, Jesu.
Propítius esto; Exaudi nos, Jesu.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut des servis tuis cor dócile,
Ut scribas legem tuam in córdibus nostris,
Ut casta elóquia tua sint castæ delíciæ nostræ,
Ut faciámus voluntátem tuam corde magno & ánimo volenti,
Ut primùm quærámus regnum Dei, & justítiam ejus,
Ut jugum tuum suáve super nos libenter tollámus,
Ut arctam viam quæ ducit ad vitam ingrediámur & persequámur,
Ut thesaurizémus nobis thesauros in cœlo,
Ut effundas super nos spíritum grátiæ & precum,
Ut mites simus & húmiles corde,

Te rogámus, audi nos.

Ut secundùm vires nostras demus páuperi,
Ut diligámus inimícos & benefaciámus his qui odérunt nos,
Ut orémus pro persequéntibus & calumniántibus nos,
Ut in timóre Dómini declinémus ab omni malo,
Ut horæ mortis néscii, semper vígiles & paráti simus,
Ut custódias in æternùm hanc voluntátem cordis nostri,
Ut quod cœpisti in nobis, opus bonum perfícias,

Te rogámus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Miserére nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

℣. Ego in Dómino gaudébo: ℟. Et exsultábo in Deo Jesu meo. *Hab.* 3.

Orémus.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Pétite, & accipiétis; quærite, & inveniétis; pulsáte, & aperiétur vobis; da quæsumus, nobis peténtibus diviníssimi tui amóris affectum; ut te toto corde, ore & ópere diligámus, & à tuâ nunquam laude cessémus: Qui vivis & regnas.

Lit.

LITANIÆ
BEATÆ
MARIÆ VIRGINIS.

Fer. II. IV. & Sabbato; & in omnibus Festivitatibus beatæ Mariæ, pridie & die.

KYrie, eleéson; Christe, eleéson; Kyrie, eleéson.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, Miserére nobis.
Fili Redemptor mundi, Deus, Miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, Miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, Miserére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Fília David,
Lætítia Israel,
Glória Jerúsalem,
Honorificéntia pópuli tui,
Pátribus promissa,
Prophétis nunciáta,
Quæ caput serpentis Fílii tui virtúte contrivisti,
Justo Joseph desponsáta,
Virgo perpétua,
Quæ grátiam apud Deũ invenisti,
Ad quam Gábriel Angelus à Deo missus est,
Grátiâ plena,
Inter mulíeres benedicta,
Quæ te ancillam Dómini professa es,
Cujus humilitátem Deus respexit,
Ora pro nobis.

In quam Spíritus Sanctus supervénit,
Cui virtus Altíssimi obumbrávit,
Quæ cognátam tuam Elísabeth visitasti,
Cujus Fílius Joannem in sinu matris ejus sanctificávit,
Mater Dei, quæ Cæsaris edicto obtemperasti,
Quæ peregrína & pauper Fílium tuum primogénitum peperisti,
De quâ Jesus Altíssimi Fílius natus est,
Quæ Fílium tuum in præsépio reclinasti,
Quæ Pastóres & Magos venientes adoráre Dóminum vidisti,
Mater Dei, quæ legi purificatiónis te sponte subjecisti,
Ora pro nobis.
Quæ Jesum in Jerúsalem, ut sísteres eum Dómino, tulisti,
Quæ cum Fílio in Ægyptum fugisti,
Quæ dolens Jesum tríduo quæsisti,
Quæ gaudens Jesum in templo invenisti,
Cui Jesus infans súbditus erat,
Quæ super deficiente vino in Canâ miserta es,
Quæ perfectam super cunctis Fílii tui verbis obediéntiam commendasti,
Quæ juxta crucem Fílii tui stetisti,

Cujus ánimam dolóris gládius pertransívit,

Quam Jesus in cruce, discípuli quem diligébat matrem constítuit,

Cui Jesus móriens, Joannem in fílium commendávit,

Quæ post ascensiónem Fílii tui cum Apóstolis unanímiter in oratióne perseverasti,

Cui fecit magna, qui potens est,

Quam beátam omnes generatiónes dicent,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Miserére nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

℣. Beáta es, María, quæ credidisti: ℟. Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Orémus.

Cordibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam, benignus infunde; & intercedente sanctíssimâ Dei Genitríce Maríâ, córpora nostra castitáte, nostrasque mentes humilitáte & caritáte sanctífica: Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

FINIS.

ORDO

COMMENDATIONIS ANIMÆ

ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie, eleéſon. Christe, eleéſon. Kyrie, eleéſon.
Pater de cœlis, Deus; Miſerére ei.
Fili Redemptor mundi, Deus, miſerére ei.
Spíritus Sancte, Deus; miſerére ei.
Sancta Trínitas, unus Deus, miſerére ei.
Sancta María, Ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes ſancti Angeli, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Juſtórum, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptiſta, ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocentes, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Diónyſi cum sóciis tuis, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Pater Benedicte, ora.
Sancte Maure, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancta Thecla, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Scholáſtica, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines, oráte pro eo (*vel* ea.)
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro eo (*vel* ea.)
Propítius eſto, Parce ei, Dómine.
Propítius eſto, Adjuva eum, (*vel* eam) Dómine.
Propítius eſto, Líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A mala morte, líbera.
A poteſtáte diáboli, líbera.
A pœnis inferni, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.

Per crucem & paſſiónem tuam, líbera.
Per Labóres tuos, líbera.
Per ſanctam Agóniam tuã, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Per Angúſtias cordis tui in Cruce, cùm te à Patre derelictum clamaſti, líb.
Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per glorióſam Reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs Sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te.
Ut moriátur morte Juſtórum, te.
Ut deſtructâ terreſtri hujus habitatiónis domo, domum non manufactam hábeat in cœlis, te.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére ei.
Kyrie, eleéſon. Chriſte, eleéſon. Kyrie eleéſon.

Deinde, cùm in agone ſui exitûs anxiatur anima, dicitur:

PRoficíſcere, ánima chriſtiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipotentis, qui te creávit; In nómine Jeſu Chriſti Filii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt; In nómine Spíritûs ſancti, qui in te effúſus eſt. Egredienti de córpore áditus tibi páteat ad Sion montem, civitátem Dei viventis, Jerúſalem cœleſtem, & multórum Angelórum frequéntiam, & Eccléſiam primitivórum qui conſcripti ſunt in cœlis. Exurgat Deus, & diſſipentur omnes poteſtátes tenebrárum; fúgiant cuncta ſpirituália nequítiæ in cœléſtibus, & ovem pretióſo Chriſti ſánguine redemptam violáre non áudeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt. Líberet te ab æternâ morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt: ovem ſuam te bonus paſtor agnoſcat, atque in electórum ſuórum grege conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præſens ſemper aſſiſtens maniſeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ]; precamurque te, Dómine Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, ut, propter quam ad terram miſericórditer deſcendiſti, eam in pace ſuſcípias, & in ſinu Abrahæ per manus ſanctórum Angelórum collocáre dignéris. Agnoſce, Dómine Jeſu, creatúram tuam, per te renátam ex aquâ & Spíritu ſancto, conſecrátam ſigno crucis tuæ, nutrítam

corpore & sánguine tuo, & in Ecclésiæ tuæ sinu verbo veritátis instructam. Ne péreat prétium quod pro ejus æternâ redemptióne persolvisti. Delicta juventútis ejus & ignorántias clementer indulge. Ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas suscitávit furor mali desidérii: sed memento miseratiónum tuárum, & glóriæ nóminis tui. Licèt enim peccáverit, tamen in te sperávit & crédidit, teque Deũ & Salvatórem suum unà cum Patre & Spíritu sancto fidéliter adorávit.

℟. Amen.

Ps. 3. Dómine, quid multiplicáti sunt, *pag.* 1.

Kyrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie, eleéson.

Pater. ℣. Et ne nos, &c.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvum me fac, Deus; ℟. Quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. *Ps.* 68.

℣. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, ℟. In veritáte salútis tuæ. *Ps.* 68.

℣. Eripe me de luto, ut non infigar: ℟. Líbera me ab iis qui odérunt me, & de profundis aquárum. *Ps.* 68.

℣. Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum: ℟. Neque úrgeat super me púteus os suum. *Ps.* 68.

℣. Exurge in adjutórium mihi: ℟. Dic ánimæ meæ, Salus tua ego sum. *Ps.* 34.

℣. Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; ℟. Quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, & consolátus es me. *Ps.* 85.

Orémus.

UNigénite & dilecte Fili Dei vivi, qui pro redemptióne mundi voluisti in præsépio nasci, à Judæis reprobári, à Juda proditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ad víctimam duci, flagellis & cólaphis cædi, sputis fœdári, spinis coronári, cruci affigi, cum scelerátis deputári, & inter acerbíssimos dolóres expiráre: quæsumus, ut per has sanctíssimas pœnas tuas, & per crucem ac mortem tuam, liberáre dignéris fámulum tuum *N.* [*vel* fámulam tuam *N.*] à pœnis inferni, & perdúcere quò perduxisti latrónem tecum crucifixum; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

Posteà legitur de Passione Domini nostri Jesu Christi. (Ex Matth. Marc. Luc.)

ASsúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem secum; & cœpit pavére, & tædére, contristári, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est ánima mea

uſque ad mortem ; ſuſtinéte hìc , & vigiláte mecum. Et progreſſus puſillùm, póſitis génibus, orábat dicens : Pater , ſi vis , transfer cálicem iſtum à me : verúmtamen non mea voluntas , ſed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo , confortans eum. Et prócidit ſuper terram in fáciem ſuam, orans; & factus in agóniâ , prolíxiùs orábat , ut ſi fieri poſſet , transíret ab eo hora. Et dixit : Abba , Pater , ſi poſſíbile eſt , tránſeat à me calix iſte : ómnia tibi poſſibília ſunt ; transfer cálicem hunc à me : ſed non quod ego volo , ſed quod tu. Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſánguinis decurrentis in terram.

Pſ. 69. Deus , in adjutórium meum intende. *pag.* 128.

℣. Exaudi, Deus, oratiónem meam , & ne deſpéxeris deprecatiónem meá : ℟. Intende mihi , & exaudi me. *Pſ.* 54.

℣. Cor meum conturbátum eſt in me : ℟. Et formído mortis cécidit ſuper me. *Pſ.* 54.

℣. Timor & tremor venérunt ſuper me : ℟. Et contexérunt me ténebræ. *Pſ.* 54.

℣. Ego autem in te ſperávi , Dómine ; ℟. Dixi : Deus meus es tu ; in mánibus tuis ſortes meæ. *Pſ.* 30.

℣. Illúmina óculos meos , ne unquam obdórmiam in morte ; ℟. Nequando dicat inimicus meus : Præválui adversus eum. *Pſ.* 12.

℣. Cuſtódi ánimam meam , & érue me : ℟. Non erubeſcam ; quóniam ſperávi in te. *Pſ.* 24.

Orémus.

DOmine Jeſu Christe, cleméntiam tuam humíliter implorámus, per illam ánimæ tuæ triſtítiam uſque ad mortem , & per agóniam quam , inſtante paſſióne , pertuliſti , quando factus eſt ſudor tuus ſicut guttæ ſánguinis decurrentis in terram : ſuccurre fámulo tuo , [*vel* fámulæ tuæ] in agóne mortis conſtitúto [*vel* conſtitútæ] : tuére eum [*vel* eam] in hac hora contra diabólicos incurſus : libera eum [*vel* eam] à mortis imminentis terróribus , & de peccatórum ſuórum conſciéntiâ formidantem , fac eum [*vel* eam] de miſericórdiæ tuæ immensâ largitáte ſecúrum [*vel* ſecúram] : Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

Pſ. 141. Voce meâ ad Dóminum clamávi , voce meâ. *pag.* 97.

℣. Vide, Dómine , humilitátem meam & labórem meum : ℟. Et dimitte univerſa delicta mea. *Pſ.* 24.

℣. Dómine Deus miserátor & miséricors, pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax; ℟. Réspice in me, & miserére meî. *Ps.* 85.

℣. Ne derelinquas me, Dómine Deus meus: ℟. Ne discésseris à me. *Ps.* 37.

℣. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? ℟. Et volábo & requiescam. *Ps.* 54.

℣. Moriátur ánima mea morte Justórum: ℟. Et fiant novíssima mea horum simília. *Num.* 23.

Orémus.

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophétæ dixisti: In caritáte perpétuâ dilexi te; ídeò attraxi te, míserans: te súpplices deprecámur, per istam caritátem quâ dilexisti nos, ut omnes amaritúdines passiónum tuárum, quas pro nobis peccatóribus sustinuisti in cruce, offerre & osténdere dignéris Deo Patri pro ánimâ fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] in hac horâ éxitûs ejus; quátenùs cum ipsâ misericórdiùs agátur, quàm ejus peccáta meruérunt: Qui cum eódem Deo Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus.

℟. Amen.

Finitis Psalmis & Orationibus (vel etiam antequam finiantur,) si instet momentum exitûs animæ de corpore, legitur super moribundum quod sequitur de Passione Domini nostri Jesu Christi. (Ex Matth. Luc. Joann.)

TEnebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam, & obscurátus est sol. Et circa horam nonam clamávit Jesus voce magnâ, dicens: Eli, Eli, lamma sabactháni? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Pósteà, sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Et continuò currens unus ex eis, acceptam spóngiam implévit acéto, & impósuit arúndini; & dabat ei bíbere. Cùm ergo accepisset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et íterùm clamans voce magnâ, ait: Pater, in manus tuas commendo spíritum meũ. Et hæc dicens, inclináto cápite, trádidit spíritum.

Orémus.

MEmor esto, piíssime Dómine Jesu, illius horæ in quâ de cruce pendens, clamasti voce magnâ: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? & iterùm: Pater in manus tuas commendo spíritum meum; & hæc dicens expirasti. Per istam ergo pretiosíssimam mortem quæ vita nostra fuit, obse-

crámus cleméntiam tuam, ut non derelinquas in hâc horâ fámulum tuum [*vel* fámulam tuam] cujus præter te nullus est auxiliátor álius; sed suscípere dignéris, spíritum ejus, & introdúcere in regnum tuum, ubi te, cum Deo Patre & Spíritu sancto, perpétuâ caritáte díligat, & cum sanctis & electis in æternum cantet misericórdias tuas. ℟. Amen.

[*Finitâ præcedenti Oratione, & egressâ animâ, statim dicitur* ℟. In te, Dómine, sperávi. *cum versibus & Oratione, ut infrà.*]

Si autem adhuc anxiatur anima, recitantur sequentes Psalmi, vel eorum pars, prout necesse erit.

Ps. 21. Deus, Deus meus, réspice in me. *pag.* 137.

Ps. 34. Júdica, Dómine, nocentes me. *pag.* 77.

Ps. 53. Deus, in nómine tuo. *pag.* 71.

Ps. 56. Miserére meî, Deus..... quóniam in te confidit. *pag.* 95.

Ps. 70. In te, Dómine, sperávi. *pag.* 129.

Ps. 85. Inclína, Dómine, aurem tuam. *pag.* 163.

Ps. 87. Dómine Deus salútis. *pag.* 155.

Ps. 90. Qui hábitat in adjutório. *pag.* 32.

Ps. 138. Dómine; probasti me. *pag.* 139.

Egressâ autem animâ, dicitur: ℟. In te, Dómine, sperávi; non confundar in æternum: accélera ut éruas me: in manus tuas commendo spíritum meum: * Redemisti me, Dómine Deus veritátis: illustra fáciem tuam super servum tuum [*vel* ancillam tuam]; salvum [*vel* salvam] me fac in misericórdiâ tuâ. ℣. Dómine Jesu, súscipe spíritum meum: * Redemisti me. *Ps.* 30. *Act.* 7.

Kyrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie, eleéson. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum servo tuo [*vel* ancillâ tuâ,] Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi: ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exaudi, &c.

℣. Dóminus vobiscum, &c.

Orémus.

TIbi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* ut defunctus

[*vel* defunctæ] século, tibi vivat: & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu, véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ADDENDA IN HYMNIS

Strophæ in San-Vitoniano Brev. & quidem nostro prætermissæ, & ad genuinam Hymnorum integritatem restitutæ.

In Natali Domini, ad Laudes, pag. 270. post V. Stroph. addatur sequens.

Judex futúrus séculi,
Nunc blandus ad cunas vocat;
Amóre tanto, mútui
Amóris expóscit vices.

In Festiv. S. Stephani Protomart. ad Offic. Noct. pag. 274. post IV. Stroph. addatur sequens.

Tu primus ostensam tibi
Maris rubri sulcas viam:
Quot te sequentur Mártyrum,
Quibus preis, exércitus!

Ad Laudes, pag. 280. post IV. Stroph. duæ sequentes addantur.

Servíre mensis páuperum
Id múneris quondam tuî,
Convíva nunc dignus Deo,
Mensis Supernis assides.

Tu nuptiáli spléndidus
Tui cruóris púrpurâ,
Ad immoláti tránsvolas.
Admissus Agni núptias.

In Festiv. SS. Innocent. pag. 293. ad Offic. Noct. post III. Stroph. hæ duæ addantur.

Inter coævi sánguinis
Fluenta solus íntegर
Ferrum quod orbábat nurus,
Partus fefellit Vírginis.

Sic dira regis ímpii
Edícta quondam fúgerat,
Christi figúram præferens
Moses recéptor cívium.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

HYMNI ALII.

Ad I. Vesperas, pag. lxxxvij.

HYMNUS. *Brev. Clun.*

QUisquis, ô! sacram properas ad ædem,
Dírigat gressus píetas, fidésque;
Regis hæc regum Domus, & Tonantis
Altera sedes.

Cujus in cœlo thronus est perennis,
Parva vult terris habitáre tecta;

Incapax claudi, latet hospes arcto
Clausus in orbe.

Non malos ultor venit inter ignes,
Non nigrâ nimbi tonat è procellâ:
Nec minùs credas placido verenda
Númine templa.

Quid vetus fluxit cruor hostiárum?
Prístinæ cessent holocausta Legis,
Ipse libámen Deus & Sacerdos,
Se litat aris.

Quid venis audax? procul hinc profánus;
Sancta ni fletûs lavet unda crimen.
Munda quàm multis jubet esse mundum
Vócibus ædes!

Quæ tibi fumant, Deus alme, templis,
Thura, jucundo placeant odóre;
Et pluant pingues resolúta lætis
Núbibus imbres.
Amen.

Ad Horas, & per Octavam Dedicationis, sequens dicitur.

DOXOLOGIA.

Qui templa Sancti Spíritûs,
Christi redemptos sánguine,
Nos éfficit, Deo Patri
Sit laus per omne séculum.
Amen.

Ad I. & II. Vesperas diei Octavæ Dedicationis. pag. cv & cxiij.

HYMNUS.

Brev. San-Viton.

URbs beáta, vera pacis
Vísio, Jerúsalem,
Quanta surgit! celsa saxis
Cónditur vivéntibus:
Quæ polívit, hæc coaptat
Sédibus suis Deus.

Síngulis ex margarítis
Síngulæ portæ nitent;
Murus omnis fulget auro,
Fulget uniónibus;
Anguláris petra Christus
Fundat urbis mœnia.

Ejus est sol cæsus Agnus;
Ejus est templum Deus:
Æmulantes hic beáti
Purióres spíritus
Laude jugi Numen unum,
Terque Sanctum cóncinunt.

Undequâque sunt aperta
Civitátis óstia:
Quisquis ambit huc veníre,
Inserique mœnibus,
Antè, duris hic probári
Débuit labóribus.

Sit perennis laus Parenti,
Sit perennis Fílio:
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perennis, Spíritus,
Chrisma cujus nos inungens,
Viva templa cónsecrat.
Amen.

INDEX

INDEX

PSALMORUM.

INDEX CANTICORUM PSALTERII.

FINIS.



